


INTERPRETATIO
SACRAE
SCRIPTVRAE
PER
OMNES VETERIS
ET
NOVI TESTAMENTI
LIBROS

AB

JOANNE NEP. ALBER
Clerico regulari e scholis piis, s. theologiae doctore, linguarum orientalium, et sacrae scripturae in archi-episcopali lyceo colocensi professore.

IN TOMO III.

DEVTERONOMIVM, JOSVE, LIBER JVDICVM, ET RVTH.

Cvm facvltate s[...] et adprobatione per censvram.

PESTHINI,
Typis Matthiae Trattner.
M. DCCC. II.

LIBER DEVTERONOMII.

PRAEFATIO.

Liber Pentateuchi extremus est Deuteronomium. Graecum hoc est vocabulum, quod significat secundam legem, non quasi lex, quae in hoc libro continetur, esset diversa ab illa, quae data est a Deo Israelitico populo in monte Sinai; sed quod idem illud foedus Moyses moriturus cum populo renovaverit, et leges ante datas denuo exposuerit, inculcaveritque. Res haec gesta est in eadem illa castrorum statione, in qua esse coeperunt a Libri Numerorum capite 22. in campis Moab ad flumen Jordanem, ubi e regione urbs erat Jericho. Quoad tempus initium hic liber capit a die prima mensis undecimi in anno quadragesimo postquam exiverunt ex Aegypto, ut est capitis 1. v. 3. Quamdiu autem, et quot dierum spatio produxerit Moyses istos suos ultimos ad populum sermones, non est positum in Scriptura. Josephus l. 4. Ant. cap. 10. ab initio huius libri usque ad obitum Moysis, de quo narratur in ultimo capite huius libri, mensem dicit intercessisse, mortuumque esse Moysem die

prima sequentis mensis, qui proinde illius anni quadragesimi fuit ultimus. Triginta adhuc deinde dies tenuit luctus in castris, et parentatio, quae facta est Moysi, nec castra prius ex illo loco mota sunt, quam luctus iste fuisset terminatus. Postea vero in principio anni alterius quadragesimi primi, duce Josue, continuo transiverunt Jordanem, ita ut pascha illius anni die decima quarta mensis primi iam in Galgalis trans Jordanem celebraverint Josue 5. v. 10. Complectitur ergo liber spatium duorum circiter mensium, qui extremi fuerunt in anno quadragesimo, et antequam Israelitae intrarent in terram Chanaan. Hebraei librum hunc suo more a primis illius verbis vocant *Elle Haddebarim*. (Haec sunt verba) Si pauciora quaedam historica excipiantur, totus liber continet legum doctrinam, quae ut iam dictum est, iterum Israelitis repetita, et commendata a Moyse est.

SYNOPSIS.

CAPVT I. Librum hunc Moyses sic orditur: describit tempus, et locum, quo ista, quae modo propositurus est, gesta sunt. Commemorat ex statione ad montem Horeb missos se esse ad occupandam terram Chanaan, constitutos a se tum magistratus esse populi, cui grave fuerit soli sustinere imperium totius multitudinis; ventum esse ad Cadesbarne, unde illorum postulatione miserit exploratores. Qui vero ipsos facta exploratione terruerint; cumque tum omnes contra Deum murmuravissent, Deum iuravisse neminem ipsorum praeter Josue, et Caleb esse ingressurum in terram promissam, sibi quoqe propter illos interdictum esse eo ingressum. Conatos illos deinde fuisse, contra quam erat iam pronunciatum a Deo, petere eamdem regionem, sed esse repulsos, et clade affectos ab Amorrhaeo, eamque ob rem sedisse ipsos diu in Cadesbarne. *Cap.* 2. Ex eo loco se postea fuisse reversos versus mare Rubrum, atque circa montem Seir diu iter et stationes habuisse, profectos deinde esse per Idumaeorum fines, ac post annos

demum octo, et triginta, ex quo murmurationis illa indignitas in Cadesbarne contra Deum exstitisset, perventum esse ad terminos Moabitarum, et Ammonitarum, sed de quibus Deus praeceperit, itemque de Idumaeis, ne quid illorum tangerent, neve illos armis lacesserent. Cum vero ex solitudine Cademoth legatos ipse ad Sehon regem Amorrhaeorum misisset, qui facultatem peterent transeundi per illius fines, hancque ille denegavisset, exercitumque contra ipsos eduxisset, esse illum devictum, omnemque illius regionem occupatam. *Cap.* 3. Eodem modo Og regem Basan, qui ex stirpe gigantum fuerit, esse a se superatum, illiusque totam regionem in potestatem redactam, quas ambas regiones deinde tribubus Ruben, et Gad, et dimidiae Manasse possidendam tradiderit. Ibi petiisse se, ut Deus poenam ei remitteret, ingressumque concederet in terram Chanaan, sed Deum in negando perstitisse. *Cap.* 4. Hac rerum gestarum praemissa commemoratione transit ad commendationem legis, quam Deus illis dederit, cuius tam praesentem opem, et tot favores semper experti sint. Audivisse ipsos per se voces, quibus Deus ad ipsos locutus est ex monte. Hortari se nunc illos ante suam mortem, ne aliam aliquam imaginem unquam Dei loco colant: multis prodigiis, atque documentis sibi esse demonstratum

verum Deum. Interponitur narratio de tribus civitatibus perfugii designatis in tribu Ruben, Gad, et Manasse. *Cap.* 5. Revocat illis in memoriam foedus, quod cum Deo fecerunt in monte Horeb, repetitque praecepta Decalogi, simulque memorat, quis ipsos tum terror invaserit, quando Deum audiverunt ex monte loquentem, petiisse, ne Deus ipsis per se, sed tantum per Moysen loqueretur. *Cap.* 6. Deum praecipere, ut eum timeant, tota mente diligant, neque alium aliquem Deum colant, ne illum tentent, sed mandata eius observent, posterosque suos doceant caerimonias, et Religionis instituta esse a Deo: qui ipsos ex Aegypto eduxerit inter plurima, maximaque prodigia. *Cap.* 7. Interdicit, ne cum gentibus, quas in Chananaea devicturi sunt, ulla ineant foedera, vel connubia, eorumque idola, ut evertant, mandat. Esse se a Deo adsumptos in peculiarem populum, non ideo, quasi viribus, aut opibus alias nationes superarent, sed tantum Dei erga illos favore, et bonitate. Pollicetur summam omnium rerum prosperitatem, si in observantia mandatorum Dei perseverarent. Monet, ne quidquam timeant suos hostes, quos Deus debellaturus, et in quos iam nunc crabrones missurus sit. *Cap.* 8. Docet fuisse ipsos in deserto iam prosperis, iam adversis rebus exercitatos, ut quo animo

essent erga Deum, proderetur. Hortatur, ne ubertate rerum in terra, quam possessuri sunt, in Dei oblivionem inducerentur; praedicit illos interituros, si falsos deos coluerint. *Cap.* 9. Monet, ne ubi transiverint Jordanem, atque Deus deleverit Chananaeos, sibi, suaeque iustitiae adscribant; quod in eorum locum successerint. Commemorat perpetuam illorum obstinationem erga Deum. Demonstrat, quomodo Deum offenderint adorando vitulum, in incendio, in tentatione (ipsa sunt Scripturae verba, quae suo loco explicabuntur) in sepulchris concupiscentiae, in exploratione terrae Chanaan in Cadesbarne: seque Deum placavisse, ne quod is se facturum minabatur, universos deleret. *Cap.* 10. Memorat obtinuisse se a Deo iterum alias tabulas, quas in arca posuit. Electam esse postea tribum Levi ad Dei ministerium. Deum igitur timerent, et diligerent, atque eius mandata observarent, cuius cum sit summa maiestas, tamen illorum patres, ipsosque, et eorum posteros sibi per amorem adiunxerit. Et quoniam Deus curaret pupillos, viduas, peregrinos, idem hoc ipsi quoque facerent. *Cap.* 11. Exemplo supplicii de Pharaone, de Dathane, et Abirone sumpti, hortatur illos ad observandam legem. Daturum Deum, si eam observarent, tempestivas pluvias, et summam terrae

foecunditatem: benedictionemque ex observantia, maledictionem, ex legum transgressione eventuram ostendit. *Cap.* 12. Praecipit, atque interdicit, ne alibi uspiam, quam in eo loco, quem Deus designaturus sibi esset, sacrificia sua offerrent, neve gentilium superstitiosos ritus, et caerimonias imitentur. *Cap.* 13. Vetat, ne prophetae alicui ullatenus obsequantur, quantumvis id, quod praediceret, evenisset, si ipsos ad falsorum deorum cultum vocaret, sed potius iubet illum interfici: quin ipsos propinquos, et fratres, qui seducere alterum conarentur ad idololatriam, atque ipsas urbes funditus everti, et deleri, in quibus idololatriae aliqua contagio se se ostendisset. *Cap.* 14. Prohibet incisiones in corpore, capillorum rasiones in mortuorum funeribus, animalium immundorum esum, quorum discrimen a mundis per certas eorum qualitates, atque characteres proponit; de decimis in sacrarum epularum usum, deque alterius iterum generis singulis tertiis annis segregandis hospitalitatis causa erga Levitas, atque in subsidium pupillorum, et viduarum; *Cap.* 15. de anno remissionis observando, de studio subveniendi pauperibus, de manumittendis servis anno septimo, de primogenitis Deo offerendis, *Cap.* 16. de paschate, hebdomadarum solennitate, tabernaculorumque festo observando, et de comparitio-

ne trina ad locum tabernaculi quotannis praecepta repetuntur. Judicibus, et magistratibus praecipitur aequitas in iudicio, et ne munera acceptent. *Cap.* 17. Jubentur interfici ii, qui sidus aliquod, aut aliquem falsum deum adorarent. In ancipiti, et dubia quaestione dicitur recurrendum esse ad summum sacerdotem, morteque esse illum plectendum, qui nollet stare illius decreto. De rege, si hunc aliquando habere vellent exemplo aliarum nationum, certae conditiones, et leges statuuntur: ne sit alienigena, ne equos, uxores, thesaurosque sibi accumulet, atque ut Deuteronomium sibi habeat descriptum. *Cap.* 18. Sacerdotibus confirmantur sacrificiorum fructus, et primitiae; decernitur, ut Levitis indiscriminatim eadem portio in templo detur ex reditibus. Interdicuntur lustrationes filiorum per ignem, somniorum vanae observationes, atque ariolorum, pythonumque commercia. Promittitque Deus prophetam venturum similem Moysi, quem tenerentur audire. Prophetae falsi iubentur interfici. *Cap.* 19. De tribus urbibus refugii trans Jordanem constituendis, itemque si illorum fines latius protenderentur, de aliis adhuc tribus superaddendis praeceptum datur. Cavetur, ne possessionum suarum terminos cum vicinorum iniuria proferant. Statuitur poena talionis in falsum accusatorem. *Cap.*

20. Docet illos, qua ratione praelia inire debeant: qui recenter domum aedificavisset, vel vineam novam plantavisset, vel uxorem modo tantum duxisset, itemque formidolosi ante conflictum ex praelio iubentur excedere, domumque reverti: de conditionibus, quibus oppugnationes hostilium urbium deberent institui, deque internecione delendis Chananaeis mandatum datur. *Cap.* 21. Si cadaver reperiretur hominis interfecti, neque deprehenderetur interfector ea, quae maxime ad locum, in quo caedes facta est, vicina esset civitas, iubetur in expiationem occulti homicidii vitulum in aspero, et saxoso loco caedere, atque manus super eum lavare. Mulieres in bello captae permittuntur ad coniugium. Illicitum esse demonstratur anteferre in haereditate duplae illius portionis capiendae causa, quod ius primogenitis competeret, filium uxoris, quam maritus magis diligeret, alteri filio, qui susceptus ex uxore minus chara, sed tamen primogenitus esset. Filius contumax dicitur a parentibus magistratui esse tradendus, et morte plectendus. Cadavera supplicio adfectorum, et suspensa in patibulis iubentur sepeliri eadem die, quod maledictus sit omnis, qui pendet in ligno. *Cap.* 22. De pecoribus errantibus, deque rebus alienis repertis, de non comprehendenda matre una cum pullis in nido, deque cancellis

circa tecta faciendis praecepta dantur, item ne vestes texerentur ex diversi generis filis, neve agri serantur diverso semine, ne bos cum asino ad idem aratrum iungatur. Verberibus subiicitur vir, qui uxoris pudicitiam falso vocaret in crimen. Jubentur morte plecti adulteri. Virginem, qui vitiavisset, obstringitur ad illam ducendam uxorem, et ad quinquaginta siclos illius parenti solvendos. *Cap.* 23. Docet, quos, et quando ad suam ecclesiam debeant admittere. Commendatur munditaes in castris, prohibentur meretricia prostibula, et usurae nonnisi erga alienigenas permittuntur. Persolutiones votorum inculcantur. *Cap.* 24. Libellus repudii, quem maritus uxori possit dare, permittitur: humanitatis, et beneficentiae, aequitatisque rationes traduntur erga pauperes, mercenarios, peregrinos. *Cap.* 25. In verberibus infligendis plagarum modus definitur, ne numerum excedant quadragenarium. Frater fratris defuncti absque liberis uxorem iubetur in matrimonium accipere. Prohibetur ponderum iniquitas. De Amalecitis iubet Deus ultionem sumi, illorumque stirpem penitus deleri. *Cap.* 26. De primitiis omnium frugum praestandis, et de separanda decima anni cuiuslibet tertii praeceptum repetitur. *Cap.* 27. 28. Praecipitur, ut postquam transiverint Jordanem, lapidem in monte Hebal erigant, eique

legem inscribant, simulque altare aedificent, et sacrificium in eo offerant, ac deinde constitutis Levitis, et sex tribubus, quae nominatim designantur, in monte Garizim, aliis vero sex in monte Hebal, Levitae maledictiones, et benedictiones pronuncient in eos, qui observaturi, vel transgressuri essent legem, universaque multitudo, uti tum ad singulas maledictiones, atque benedictiones respondeat: amen. *Cap.* 29. Renovatur pristinum foedus inter Deum, et populum, et ad illud observandum Moyses populum hortatur memoria beneficiorum, quae erant experti a Deo; et poenas comminatur transgressoribus. *Cap.* 30. Si tamen propter transgressionem, poenae in ipsos inciderent; pollicetur futurum, ut Deus, si poenitentiam agerent, iterum sit illis reconciliandus. Docet mandatorum observantiam non esse supra illorum vires. Offert ipsis, atque proponit tam benedictionem, quam maledictionem, ut alterutram sibi eligant. *Cap.* 31. Deuteronomium descriptum curat reponendum ad latus arcae, illudque iubet septimo quovis anno in tabernaculorum festo publice legi. Deus Moysem iubet scribere Canticum, idque docere populum, ut illud memoriter teneat, atque decantet. Praedicit futurum, ut a lege Israelitae desciscant, ad idololatriamque deficiant. *Cap.* 32. Ponitur ipsum Canticum. In eo

Moyses ad audientiam primo caelum, et terram invitat. Laudat Deum. Exponit ingratitudinem populi offendentis Deum. Memorat antiqua Dei opera, beneficiaque Israelitico populo praestita. Exponit ipsorum crimina, et defectionem ad idololatriam. Deum nihilominus iram differre, ac supplicium, ne hostes, quibus illos Deus subderet, eam sibi virtutem adscriberent. Comminatur etiam hostibus exitium, atque inanitatem deorum, quos colerent, quique nullum ipsis auxilium ferre possint, proponit. Extremum futura iterum Dei in Israeliticum populum misericordia praedicatur. Jubet Deus Moysem adscendere ad montem Nebo, ibique mori. *Cap.* 33. Moyses moriturus benedicit populo, cuilibet tribui seorsim distincta, et propria benedictione. *Cap.* 34. Conscendit postea montem, atque oculis perlustrat promissam terram. Moritur, in eodemque loco sepelitur. Lugent illum Israelitae triginta dies. In eius locum succedit Josue. Moysi tribuitur elogium habuisse illum neminem sui similem post se prophetam.

CAPVT I.

Commemoratio rerum, quae Israelitis a statione Horeb acciderunt, et nominatim de exploratoribus ad terram Chanaan missis, et de indignitate, qua tum Deum offenderint, et propter quam quadraginta annorum peregrinatione per desertum mulctati sint.

1. *HAEC sunt verba, quae locutus est Moyses*
ad omnem Israel trans Jordanem in solitudine cam-
pestri contra mare Rubrum inter Pharan, et Tho-
phel, et Laban, et Haseroth, ubi est auri pluri-
mum. 2. *Undecim diebus de Horeb per viam mon-*
tis Seir usque ad Cadesbarne. Nonnisi post mortem
Moysis duce Josue Israelitae transiverunt Jordanem. Hebraeus hic loco: *trans Jordanem* habet: *in transitu Jordanis* (בְּעֵבֶר הַיַּרְדֵּן) hoc est nimirum ad ripas Jordanis, et in procinctu ad transeundum. Etiam eadem Hebraea vox *Eber*, quam hic Latinus Interpres vertit: *trans*, saepe in Hebraeo pro citeriore parte ponitur: ut Josue 9. v. 1. et cap. 12. v. 1. ubi, quamvis etiam Latinus Interpres iterum Latinam praepositionem posuerit: *trans*, tamen perspicuum est debere esse *cis* quod reges illi, cum quibus Josue dicitur bellum gessisse citra omnem dubitationem in eadem cum Josue parte fuerint Jordanis. Praeterea de solitudine hac campestri, in qua nunc verba fecit Moyses, dicitur, quod fue-

rit sita *contra mare Rubrum.* Intervallum fuit valde magnum, ut inde a mari Rubro determinaretur istius Moabiticae planitiei situs, et positio. Mare Rubrum Hebraei vocant *Jam Suph.* (יַם סוּף) Suph vero proprie significat iuncum, a cuius frequentia in mari Rubro illi nomen hoc indiderunt. Non est autem positum in Hebraeo contra mare Rubrum, sed tantum *contra* (e regione) *Suph* (מוּל סוּף) hoc est ergo e regione iunceti. Fuisse vero tale iuncetum etiam ad mare Asphaltidis, quo Jordanes influit, ad quem Israelitae constiterunt, est apud Thomam Malvendam. Quare verisimillime loci situm, ubi tum erat Moyses, cum haec extrema verba faceret ad populum, inde ab illo iunceto determinavit, hocque propinquius, non illud mare Rubrum fuit: quod cetera etiam loca, quae hic memoravit Pharan, Thophel, Laban, et Haseroth, oppidorum nomina sint, quae circa illum eumdem campum, ubi castra Israelitae tum habuerunt, sita fuerunt. Illud vero, quod quasi de Haseroth videtur esse dictum: *ubi est auri plurimum*, in Hebraeo sic est: *et sufficientiam auri* (וְדִי זָהָב) cum particula copulativa. Auri fodinas luculentius (καταχρύσεα) Septvaginta verterunt. Docetque S. Hieronymus de locis Hebraicis ibi in montibus vicinis ad illum campum fuisse omnino montes auri, metallorumque feraces. Illud: *Undecim diebus de Horeb per viam montis Seir usque ad Cadesbarne*, ad distantiam loci determinandam pertinet, quod Chaldaeus apertius sic expressit: *Iter undecim die-*

rum

rum est de Horeb per viam montis Seir usque ad Cadesbarne. Calmetus censuit duos istos primos versiculos non esse scriptos a Moyse, sed ab alio, sicut de ultimo etiam capite huius Deuteronomii esse factum inferius dicetur. In hanc vero opinionem deductus est, quod cum hos quinque libros omnes idem Moyses scripserit, hoc putaverit eum fecisse uno fluxu scriptionis, nec sectio ipsius huius operis in quinque libros, ut modo habemus, ab illo, sed ab aliquo alio serius facta sit. Quoniam vero ultimus versus prioris Numerorum libri convenit cum initio, et primis versiculis huius primi capitis in Deuteronomio, non videri hoc bis esse positum eodem in loco ab ipso Moyse. Non est autem probabile, Judaeos, apud quos in summa reverentia semper fuerunt libri Moysis, ausos fuisse per se aliquid in illis attingere, illosque, si iam separati ab ipso Moyse non fuissent, distrahere: et si hoc etiam quoad anteriores quatuor daretur, tamen de Deuteronomio fuisse illum a reliquis separatum perspicue ex ipsius Deuteronomii cap. 17. v. 18. deducitur: ubi futurus Israelitarum rex tantum solum Deuteronomium *Mischne Hattora*, quod omnino secundam legem significat, iubetur sibi describere, atque apud se habere, ac proinde Moyses Deuteronomium iam ita praeparavit, ut seorsim a reliquis libris commode haberetur, neve aliqua confusio suboriretur. Verba ista extrema libri anterioris: *Haec sunt mandata, atque iudicia*, pertinent, et referuntur ad ea documenta, quae in eodem Nume-

rorum libro partim ultimo, partim proxime praecedentibus aliquot capitibus Moyses populo exposuit; Ista: *haec sunt verba*, quibus Deuteronomium orditur, spectant ad praecepta, quae modo in Deuteronomio, quemadmodum sequetur, proposuit.

3. *Quadragesimo anno, undecimo mense primo die Mensis locutus est Moyses ad filios Israel omnia, quae praeceperat illi Dominus, ut diceret eis,* 4. *postquam percussit Sehon regem Amorrhaeorum, qui habitavit in Hesebon, et Og regem Basan, qui mansit in Astaroth, et in Edrai* 5. *trans Jordanem in terra Moab.* Hic interpunctio orationis adcurata non est. Nam Og, rex Basan nec percussus est in terra Moab, sed in Edrai Numer. 21. v. 33. nec Edrai civitas erat etiam in terra Moab, sed erat in terra regis Og, ac proinde in regione Basanitica, cuius rex erat Og. Quare in fine superioris versus: *qui mansit* Hebraice *habitavit* (יוֹשֵׁב) *in Astaroth, et in Edrai* figi debet punctum: ista vero: *trans Jordanem in terra Moab* pertinent ad id, quod subsequitur: *coepitque Moyses explanare legem, et dicere:* Quae in latina Versione post verbum coepit vocula copulativa *que* est, non est in Hebraeo; atque interpunctio media huius versiculi per punctum est delenda: 6. *Dominus Deus noster locutus est ad nos in Horeb:* in Sinai monte est locutus, ibi enim legem dedit: sed Horeb, et Sinai sunt eorumdem montium duo iuga, quamobrem saepe nomina haec permutantur, *dicens: sufficit vobis, quod in hoc*

monte mansistis: anno fere integro (Num. 10. v. 11.) ad montem Sinai castrorum stationem habuerunt Israelitae. 7. *Revertimini* non sunt reversi, sed potius versus Chananaeam ulterius processerunt, ut subsequentia declarant, atque ipsa haec loca, quo nominatim Deus ipsos proficisci iussit. In Hebraeo non est compositum verbum: *revertimini*, sed tantum simplex: *vertite vos* (פְּנוּ) nempe non retro, sed Chananaeam versus, ut se verterent, iterque suum dirigerent, praecipiebatur: *et venite ad montem Amorrhaeorum, et ad cetera, quae ei proxima sunt campestria, atque montana, et humiliora loca contra Meridiem, et iuxta littus maris, terram Chananaeorum, et Libani usque ad flumen magnum Euphraten.* 8. *En, inquit, tradidi vobis: ingredimini, et possidete eam, super qua iuravit Dominus patribus vestris Abraham, Isaac, et Jacob, ut daret illam eis, et semini eorum post eos.* De terminis regionis, ad flumen usque Euphraten, quos Deus Genesis 15. v. 18. etiam Abrahamo promisit, licet se postea eorum regio, quam incoluerunt, nunquam eo usque extenderit, dictum est, resque ista explicata ad eumdem illum Geneseos locum.

9. *Dixique vobis in illo tempore:* 10. *non possum solus sustinere vos, quia Dominus Deus vester multiplicavit vos, et estis hodie sicut stellae caeli plurimi.* 11. (*Dominus Deus patrum vestrorum addat ad hunc numerum multa millia, et benedicat vobis, sicut locutus est.*) 12. *Non valeo*

solus negotia vestra sustinere, et pondus, ac iurgia. 13. *Date ex vobis viros sapientes, et gnaros, et quorum conversatio sit probata in tribubus vestris, ut ponam eos vobis principes.* 14. *Tunc respondistis mihi: bona res est, quam vis facere.* 15. *Tulique de tribubus vestris viros sapientes, et nobiles, et constitui eos principes, tribunos, et centuriones, et quinquagenarios ac decanos, qui docerent vos singula.* Ex hoc loco demonstratur non Exodi capite 18. ubi hoc factum etiam memoratur, cum ne quidem tum perventum adhuc fuisset ad stationem montis Sinai, sed Numerorum capite 11. v. 11. cum ex hac statione montis Sinai ulterius processissent, constitutos esse istos magistratus, et postquam hoc Moyses postulavisset etiam a Deo. Qua de re iam dictum est, controversiaque haec explicata est ad Exodi 18. v. 5. et Numerorum capitis 10. v. 29.

16. *Praecepitque eis dicens: audite illos, et quod iustum est, iudicate, sive civis ille sit, sive peregrinus.* 17. *Nulla erit distantia personarum* hoc est differentia, *ita parvum audietis, ut magnum, nec accipietis cuiusquam personam, quia Dei iudicium est.* In Hebraeo est: *non agnoscetis vultum*, (לֹא־תַכִּירוּ פָנִים) hoc est, ne considerarent, quisnam ille sit, de quo iudicium exercerent, sed ad solam causam attenderent, secundumque eam negotium diiudicarent, sententiamque pronunciarent nulla habita ratione personarum, divitesne, et potentes, an pauperes sint. Quorum iudicium,

Dei esset iudicium, cuius scilicet vices obirent in
exercendis iudiciis, et quorum auctoritas exercen-
di illa esset a Deo. Qualiter etiam rex Josaphat ad
constitutos a se iudices locutus est: „Non enim,
„inquit, hominis exercetis iudicium, sed Dei.“
2. Par. 19. v. 6. *Quod si difficile vobis visum ali-
quid fuerit, referte ad me, et ego audiam,* 18.
Praecepique omnia, quae facere deberetis.

19. *Profecti autem de Horeb, transivimus
per eremum terribilem; et maximam, quam vidi-
stis per viam montis Amorrhaei, sicut praeceperat
Dominus Deus noster nobis.* Eremus haec fuit de-
sertum Pharan, ut intelligitur ex Numer. 13. v. 1.
iterque illud duravit undecim dies, donec venirent
ad Cadesbarne, ut est huius capitis vers. 2. At ibi
iter hoc memoratur, tanquam per montem Seir, hic
autem per montem Amorrhaei. In Hebraeo in neu-
tro loco est praepositio per: sed sine ulla praepo-
sitione positum est superius: *via montis Seir*
(דֶּרֶךְ הַר־שֵׂעִיר) hic *via montis Amorrhaei.*
(דֶּרֶךְ הַר הָאֱמֹרִי) Ex reliquo autem contextu ora-
tionis, quae subsequitur, perspicitur, et ex versu
septimo huius eiusdem capitis montem Seir fuisse,
qua iter instituerunt, montem vero Amorrhaei, quo
idem illud iter direxerint veniendi eo gratia.

Cumque venissemus in Cadesbarne, 20. *dixi
vobis: venistis ad montem Amorrhaei, quem Do-
minus Deus noster daturus est nobis.* 21. *Vide
terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. Ad-
scende, et posside eam, sicut locutus est Dominus*

Deus noster patribus tuis. Noli timere, nec quidquam paveas. 22. *Et accessistis ad me omnes, atque dixistis: mittamus viros, qui considerent terram, et renuncient, per quod iter debeamus adscendere, et ad quas pergere civitates. Cumque mihi sermo placuisset, misi ex vobis duodecim viros singulos de tribubus suis.* 24. *Qui cum perrexissent, et adscendissent in montana, venerunt usque ad vallem botri, et considerata terra,* 25. *sumentes de fructibus eius, ut ostenderent ubertatem, attulerunt ad nos, atque dixerunt: bona est terra, quam Dominus Deus noster daturus est nobis.* Superioris libri Numerorum cap. 13. res ista gesta est. 26. *Et noluistis adscendere, sed increduli ad sermonem Domini Dei nostri* 27. *murmurastis in tabernaculis vestris, atque dixistis: odit nos Dominus, et idcirco eduxit nos de terra Aegypti, ut daret nos in manu Amorrhaei, atque deleret.* 28. *Quo adscendemus? Nuncii terruerunt cor nostrum dicentes: maxima multitudo est, et nobis statura procerior; urbes magnae, at ad caelum usque munitae, filios Enacim vidimus ibi.* Gigantea statura istos fuisse, intelligitur ex Numer. 13. v. 34. et eiusdem capitis vers. 23. hique qui de stirpe Enacim fuerint, nominatim ibi exponuntur. 29. *Et dixi vobis: nolite metuere, ne timeatis eos:* 30. *Dominus Deus qui ductor est vester, pro vobis ipse pugnabit, sicut fecit in Aegypto cunctis videntibus.*

31. *Et in solitudine, (ipse vidisti) portavit te Dominus Deus tuus, ut solet homo gestare parvulum filium suum, in omni via, per quam ambulastis, donec veniretis ad locum istum.* 32. *Et ne sic quidem credidistis Domino Deo vestro.* 33. *Qui praecessit vos in via, et metatus est locum, in quo tentoria figere deberetis nocte ostendens vobis iter per ignem, et die per columnam nubis.* 34. *Cumque audisset Dominus vocem sermonum vestrorum, iratus iuravit, et ait:* 35. *non videbit quispiam de hominibus generationis huius pessimae terram bonam, quam sub iuramento pollicitus sum patribus vestris* 36. *praeter Caleb filium Jephone. Ipse enim videbit eam, et ipsi dabo terram, quam calcavit, et filiis eius, quia secutus est Dominum.* 37. *Nec miranda indignatio in populum, cum mihi quoque iratus Dominus propter vos dixerit: nec tu ingredieris illuc:* 38. *Sed Josue filius Nun minister tuus, ipse intrabit pro te.* Impegisse tum Moysem ad aquas contradictionis aliquam dubitationem habendo de eventu prodigii propterea, quod exacerbatus ab ipsis sit, demonstratum est ad Numerorum cap. 20. v. 12. ubi res haec gesta narratur. *Hunc exhortare et robora, et ipse sorte terram dividet Israeli.* 39. *Parvuli vestri, de quibus dixistis, quod captivi ducerentur, et filii, qui hodie boni, ac mali ignorant distantiam, ipsi ingredientur, et ipsis dabo terram, et possidebunt eam.* 40. *Vos autem revertimini, et abite in solitudinem per viam maris Rubri.* 41. *Et respondi-*

stis mihi: peccavimus Domino. Adscendemus, et pugnabimus, sicut praecepit Dominus Deus noster. Cumque instructi armis pergeretis in montem,
42.
ait mihi Dominus: dic ad eos: nolite adscendere, neque pugnetis, non enim sum vobiscum, ne cadatis coram inimicis vestris.
43.
Locutus sum, et non audistis, sed adversantes imperio Domini, et tumentes superbia adscendistis in montem.
44.
Itaque egressus Amorrhaeus, qui habitabat in montibus, et obviam veniens persecutus est vos, sicut solent apes persequi, et caecidit de Seir usque Horma.
45.
Cumque reversi ploraretis coram Domino, non audivit vos, nec voci vestrae voluit acquiescere.
46.
Sedistis ergo in Cadesbarne multo tempore. Quid petierint, clare non dicitur. Sed tamen, cum et poenitere se se prius ostendissent, quod de ingressu suo in terram Chanaan diffidentiam erga Deum habuerint, atque hoc postea ipsi per se correptis armis facere adgressi sint; colligitur hoc ipsos a Deo petiisse, ut ingrediendi potestatem ipsis faceret, cum iste illis conatus contrario sibi Deo non successisset.

CAPVT II.

De peregrinatione Israelitarum spatio annorum triginta, et octo, usque dum victo rege Amorrhaeorum Sehon ad terminos iterum terrae Chanaan accederent.

1. *PROFECTIQVE inde venimus in solitudinem, quae ducit ad mare Rubrum, sicut mihi dixerat Dominus; et circuivimus montem Seir longo tempore.* 2. *Dixitque Dominus ad me:* 3. *sufficit vobis circuire montem istum, ite contra Aquilonem,* 4. *et populo praecipe dicens: transibitis per terminos fratrum vestrorum filiorum Esau, qui habitant in Seir, et timebunt vos.* Est Numerorum 20. v. 21 ab Idumaeis Israelitas petiisse facultatem transeundi per illorum fines, hanc vero denegatam illis esse. Qua de re cum tam ad illum Numerorum locum dictum est, tum ratio itineris illius tota sic se habuit. Anno secundo post exitum ex Aegypto per desertum Pharan pervenerunt ad Cadesbarne, Numerorum 10. v. 12. et cap. 13. v. 27. Ibi denegata illis facultate ulterius progrediendi propter murmur, et diffidentiam suam erga Deum, perstiterunt longiore tempore, ut est superioris capitis v. 46. Inde versus mare Rubrum Dei iussu debuerunt redire, et morantes in deserto per diversas stationes, donec explerentur quadraginta anni, longo etiam tempore haeserunt in itinere circa montem Seir. Cumque iam ad finem ver-

gerent illi anni, iter versus Aquilonem, eo enim a mari Rubro spectat Chananaea, denuo verterunt, atque tum per Idumaeae, et montis Seir unam partem Idumaeorum permissu iverunt, perveneruntque ineunte anno quadragesimo in Cades, seu alio nomine Cadesbarne. (Num. 20. v. 1.) Ex quo loco cum versus montem Hor, atque propius ad Palaestinam per fines Moabitarum vellent procedere, iterumque per Idumaeae alteram partem iter tenere, Idumaei tum hoc illis non concesserunt.

5. *Videte ergo diligenter, ne moveamini contra eos. Neque enim dabo vobis de terra eorum, quantum potest unius pedis calcare vestigium, quia in possessionem Esau dedi montem Seir.* 6. *Cibos emetis ab eis pecunia, et comedetis; aquam emptam haurietis, et bibetis.* 7. *Dominus Deus tuus benedixit tibi in omni opere manuum tuarum: novit iter tuum, quomodo transieris solitudinem hanc magnam:* Adcuratius secundum Hebraeum: *novit ambulare tuum solitudinem istam magnam* (יָדַע לֶכְתְּךָ אֶת־הַמִּדְבָּר הַגָּדֹל הַזֶּה) Ponitur vero noscere pro amare: quale illud etiam est 1 salmi 1. v. 6. „Novit Dominus viam iustorum" et rursus Psal. 36. v. 18. „Novit Dominus dies immaculatorum." Est igitur sensus iste: Deus te dilexit, erat tibi bene affectus, dum ambulares per desertum hoc magnum. Arabs vertit: „Dominus benefecit tibi in iti„nere tuo per solitudinem hanc maximam:" *per quadraginta annos habitans tecum Dominus Deus tuus, et nihil tibi defuit.*

8. *Cumque transissemus fratres nostros filios Esau, qui habitabant in Seir per viam campestrem per Elath, et de Asiongaber, venimus ad iter, quod ducit in desertum Moab.* Superius vers. 3. cum versarentur circa montem Seir, iussi sunt progredi versus Aquilonem. Elath autem, et Asiongaber respectu Idumaeae, et montis Seir, unde altius debebant procedere,. sita sunt magis infra ad Meridiem. Sunt enim duae civitates, ut S. Hieronymus de locis Hebraicis docet ad maris Rubri sinum Elaniticum. Res ergo haec sic est concillanda. Hoc cum accidisset adpropinquante iam anno exitus ex Aegypto quadragesimo, quo se tempore deberent iam iterum ad septemtrionem, et versus Chananaeam tenere; illi iter hoc instituerunt non rectum ex monte Seir, sed deflexum, secuti planitiem, declinaruntque versus Meridiem, campestrique itinere per Elath, et Asiongaber facto circuitu propositum tenuerunt eundi Aquilonem versus ad fines Moabitarum.

9. *Dixitque Dominus ad me: non pugnes contra Moabitas, nec ineas adversus eos praelium. Non enim dabo tibi quidquam de terra eorum, quia filiis Loth tradidi Ar in possessionem.* Tamen non tantum Moabitae, verum etiam Idumaei devicti sunt postea, et sub iugum missi a Davide 2. Reg. cap. 8. v. 2, 14. Nempe hoc Dei mandatum spectabat ad praesens tempus, ne hac una tantum de causa occupandi pro se regionem, illis etiam conarentur bellum inferre, sicut Chananaeis; non, ut

si postea iustam bellandi adversus eos causam haberent, non liceret eos appetere, victoriaeque fructum ex illis capere, quod postea fecit David. Ar metropolis fuit regni Moabitarum. 10. *Emim primi fuerunt habitatores eius, populus magnus, et validus, et tam excelsus, ut de Enacim stirpe* 11. *quasi gigantes crederentur, et essent similes filiorum Enacim. Denique Moabitae adpellant eos Emim.* Denominarunt autem illos sic, vel quod ob proceritatem corporum terrori omnibus essent ab Hebraeo vocabulo *Aema* (אֵימָה) quod terrorem significat; vel ab *Amma* (אַמָּה) quod mensuram, et cubitum significat, quasi homines longae mensurae. Cum Enacim vero illos confert, quod illorum proceritas iam illis innotuerit, famamque de illis iam exploratores attulerint Numer. 13. v. 34. quique tum adhuc superstites essent, et quos visuri essent: quos redacta in potestatem Chananaea interfecit postea Caleb. Josue 15. v. 14.

12. *In Seir autem prius habitaverunt Horrhaei. Quibus expulsis, atque deletis habitaverunt filii Esau, sicut fecit Israel in terra possessionis suae, quam dedit illi Dominus.* Nondum adhuc istud tum factum erat ab Israelitis integre, quoad totam terram habitationis suae. Vel ergo Enallage, et figura permutationis est hic in verbo praeterito, posito pro futuro; vel vero hoc dictum est relate ad ditiones regis Sehon, et Og, quas illa ex parte Jordanis iam occupaverant Israelitae interfectis, atque deletis pristinis regionum illarum incolis.

Num. 21. v. 24, 35. 13. *Surgentes ergo, ut transiremus torrentem Zared, venimus ad eum.* Ad torrentem hunc scilicet. Terminabat fines regni Moabitarum, et ab Oriente Occidentem versus in mare Mortuum ferebatur.

14. *Tempus autem, quo ambulavimus de Cadesbarne usque ad transitum torrentis Zared triginta, et octo annorum fuit, donec consumeretur omnis generatio hominum bellatorum de castris, sicut iuraverat Dominus,* 15. *cuius manus fuit adversum eos, ut interirent de castrorum medio.* Quando ad Cadesbarne ventum ab illis est, erat tum annus iam alter post exitum ex Aegypto, et ubi in desperationem acti de occupanda terra, quae illis erat promissa a Deo, quadraginta annorum peregrinatione puniti sunt a Deo per desertum. In Cadesbarne autem post id factum dicuntur sedisse, et mansisse multo tempore superioris capitis versu ultimo. Et tamen a Cadesbarne, atque a motione ex hac statione adhuc triginta octo annos dicuntur, usque dum transirent torrentem Zared, peregrinati esse. Ex statione montis Sinai moverunt die vigesima mensis secundi, anno, posteaquam exiverunt ex Aegypto, secundo. (Num. 10. v. 11.) Inde diebus tribus venerunt ad desertum Pharan, ubi in loco, qui postea nominatus est Sepulchra concupiscentiae minimum morati sunt mensem unum. (Num. 11. v. 20.) Inde progressi ad Haseroth, saltem iterum in hac statione consumpserunt dies septem. (Num. 12. v. 15.) Unde demum perve-

nerunt in Cadesbarne, nonnisi post anni secundi mensem tertium. Postquam vero transivissent torrentem Zared, in campis Moab circiter etiam duos menses morati sunt: uno mense duravit luctus in castris post mortuum Moysem; ad spatium vero circiter mensis duravit ipsa haec Deuteronomii expositio, ut in praefatione ad hunc librum est dictum, ac proinde si ad annos triginta octo additae istae omnes partes temporis fuerint, quod partim ante, partim post stationem in Cadesbarne insumpserunt, remanebunt vix menses integri septem pro statione ipsa in Cadesbarne: ubi tamen sedisse dicuntur longo tempore, nec vero septem menses comparate ad totum quadraginta annorum, quibus peregrinati sunt, spatium, longum tempus est. Quare peregrinatio haec, quae a Cadesbarne per triginta, et octo annos duravit ad transitum usque torrentis Zared sic debet accipi, ut in hac duratione temporis comprehendatur iam ipsa etiam statio Cadesbarnensis: quae longo tempore duravit, quamvis adcurate, quamdiu duraverit, incertum sit. Non ergo a fine stationis Cadesbarnensis, sed ab eius principio numerari illi triginta octo anni debent, atque ratio computandi annos hic eadem servanda est, quae in ipsis quadraginta annis, quibus Deus pronunciavit illos peregrinaturos post diffidentiae, atque desperationis suae admissum illud crimen, (Num. 14. v. 34.) licet ab eo tempore, quando hoc admiserunt, iam quadraginta anni non fuerint, in illisque quadraginta annis anterius quoque tempus

comprehendatur, quod ab exitu ex Aegypto egerunt in deserto: siquidem totum tempus integrae peregrinationis non fuerit longius annis quadraginta, infra cap. 8. v. 2.

16. *Posteaquam autem universi ceciderunt pugnatores,* 17. *locutus est Dominus ad me dicens:* 18. *tu transibis hodie terminos Moab urbem nomine Ar, et accedens in vicina filiorum Ammon, cave ne pugnes contra eos, nec movearis ad praelium. Non enim dabo tibi de terra filiorum Ammon, quia filiis Loth dedi eam in possessionem.* 20. *Terra gigantum reputata est, et in ipsa olim habitaverunt gigantes, quos Ammonitae vocant Zomzommim:* Istud nomen ab Hebraea radice *Zamam* (זָמַם) deductum, machinatorem facinoris, atque flagitiosum significat. 21. *Populus magnus, et multus, et procerae longitudinis, sicut Enacim, quos delevit Dominus a facie eorum, et fecit illos habitare pro eis;* 22. *sicut fecerat filiis Esau, qui habitant in Seir delens Horrhaeos, et terram eorum illis tradens, quam possident usque in praesens.* 23. *Hevaeos quoque, qui habitabant in Haserim usque Gazan, Cappadoces expulerunt, qui egressi de Cappadocia deleverunt eos, et habitaverunt pro illis.* Cappadoces isti non illi sunt, qui vulgo Cappadoces minoris Asiae incolae vocantur, sed scribuntur Hebraice *Caphthorim*, et iidem sunt, qui Philisthaei, quorum regio ad Chananaeae illam partem, quae ad mare sita est, et qua spectat ad Meridiem. Istud vero deducitur inde, quod Gaza

civitas omnino in illorum regione fuerit, et infra eam Haserim, vel Haseroth in deserto, ubi Israelitarum una fuit statio Numeror. 11. v. 34. Regionem, unde isti huc egressi sunt, quaeque in Hebraeo Caphtor nominatur, eamdem fuisse cum Creta insula erudite demonstrat Calmet in Dissertatione in Libr. 1. Reg. et in Biblico suo Lexico, inde cumprimis, quod iidem Philisthaei Cerethim iuxta textum Hebraeum adpellentur Ezechielis 25. v. 26. et Sophoniae 2. v. 5. et 1. Reg. 30. v. 14. quae inter se vocabula conveniunt.

24. *Surgite, et transite torrentem Arnon,* alter iste ibi erat rivus, qui a montibus Galaad itidem in mare Mortuum decurrit: *ecce tradidi in manu tua Sehon regem Hesebon Amorrhaeorum, et terram eius incipe possidere, et committe adversus eum praelium.* 25. *Hodie incipiam mittere terrorem, atque formidinem tuam in populos, qui habitant sub omni caelo, ut audito nomine tuo paveant, et in morem parturientium contremiscant, et dolore teneantur.* 26. *Misi ergo nuncios de solitudine Cademoth,* civitatis hoc nomen est ad amnem Arnon, *ad Sehon regem Hesebon verbis pacificis dicens:* 27. *transibimus per terram tuam, publica gradiemur via, non declinabimus neque ad dexteram, neque ad sinistram.* 28. *Alimenta pretio vende nobis, ut vescamur, aquam pecunia tribue, et sic bibemus. Tantum est, ut nobis concedas transitum,* 29. *sicut fecerunt filii Esau, qui habitant in Seir, et Moabitae, qui morantur in*

Ar,

Ar, donec veniamus ad Jordanem, et transeamus ad terram, quam Dominus Deus noster daturus est nobis. 30. Noluitque Sehon rex Hesebon dare nobis transitum, quia induraverat Dominus Deus tuus spiritum eius, et obfirmaverat cor illius, ut traderetur in manus tuas, sicut nunc vides. „Haec „dicens Moyses, ait S. Augustinus Quaest. 3. in „Deut. dum populum alloquitur, tale aliquid com„memorat, quale dicebatur in Exodo: Ego indu„ravi cor Pharaonis (Exod. 10. v. 1.) et quod in „Psalmis legitur: Convertit cor eorum, ut odissent „populum eius. (Psal. 104. v. 25.) Nec tacetur „hic causa indurationis huius, cum dicitur: ut tra„deretur in manus tuas, sicut in hac die, id est, „ut vinceretur a te, quod non fieret, nisi resiste„ret; non autem resisteret, nisi corde obdurato. „Cuius rei iustitiam si quaesierimus, inscrutabilia „sunt iudicia Dei. Iniquitas autem non est apud „Deum (Rom. 9. v. 14.)" De induratione, quomodo nihil contrarium habeat aequitati Divinae, expositum est ad Exodi 4. v. 21. Non fecit nimirum, sed tantum permisit Deus illam ipsorum duritiem, et obstinationem. Ex qua tamen mala illorum voluntate, et iniusta utrobique eius, quod a Moyse petebatur denegatione eliceret Deus, et uteretur ad bonum: in Pharaone, ut se Deum ostenderet, cui nemo resistere possit, et unde non tantum Israelitae in eius cultu confirmarentur, verum etiam ipsi Aegyptii, si voluissent, ipsum esse Deum potuissent agnoscere; in Sehone autem, ut

bello ab eo ultro illato, victoriae illius fructum Israelitis concederet, quibus Deus benefacere decreverat.

31. *Dixitque Dominus ad me: ecce coepi tibi tradere Sehon, et terram eius: incipe possidere eam.* 32. *Egressusque est Sehon obviam nobis cum omni populo suo ad praelium in Jasa.* Ipsius regni haec una erat civitas. 33. *Et tradidit eum Dominus Deus noster nobis, percussimusque eum cum filiis suis, et cum omni populo suo,* 34. *cunctasque urbes in tempore illo cepimus interfectis habitatoribus earum viris, ac mulieribus, et parvulis. Non reliquimus in eis quidquam* 35. *absque iumentis, quae in partem venere praedantium, et spoliis urbium, quas cepimus* 36. *ab Aroer, quae est super ripam torrentis Arnon, oppido, quod in valle situm est usque Galaad. Non fuit vicus, et civitas, quae nostras effugeret manus: omnes tradidit Dominus Deus noster nobis* 37. *absque terra filiorum Ammon, ad quam non accessimus, et cunctis, quae adiacent torrenti Jeboc,* Jeboc, vel Jaboc amnis erat veniens a montibus Galaad, et influens in Jordanem, *et urbibus montanis, universisque locis: a quibus nos prohibuit Dominus Deus noster.*

CAPVT III.

De bello gesto cum Og rege Basan, occupatisque tam huius, quam Sehon regis Amorrhaeorum ditionibus: Moysi etiam roganti Deum fuisse ab eo denegatum ingressum in terram Chanaan.

1. *ITAQVE conversi adscendimus per iter Basan, egressusque est Og rex Basan in occursum nobis cum populo suo ad bellandum in Edrai.* In finibus ipsius regni haec una illius erat civitas. 2. *Dixitque Dominus ad me: ne timeas eum, quia in manu tua traditus est cum omni populo, ac terra sua, faciesque ei, sicut fecisti Sehon regi Amorrhaeorum, qui habitavit in Hesebon.* 3. *Tradidit ergo Dominus Deus noster in manibus nostris etiam Og regem Basan, et universum populum eius, percussimusque eos usque ad internecionem* 4. *vastantes cunctas civitates illius uno tempore. Non fuit oppidum, quod nos effugeret, sexaginta urbes, omnem regionem Argob regni Og in Basan:* subintellige verbum antecedens: vastavimus. Argob nomen est provinciae, quae fuit in regno Basan, quaeque postea in possessionem venit mediae tribus Manasse. 5. *Cunctae urbes erant munitae muris altissimis, portisque, et vectibus, absque oppidis innumeris, quae non habebant muros.* Loco vocabuli: *innumeris* est in Hebraeo *multis valde*

(הַרְבֵּה מְאֹד) Oppida non habentia muros in Hebraeo luculentius dicuntur *pagi* (עָרֵי הַפְּרָזִי)

6. *Et delevimus eos, sicut feçeramus Sehon regi Hesebon disperdentes omnem civitatem, virosque, ac mulieres, et parvulos.* 7. *Jumenta autem, et spolia urbium diripuimus.* 8. *Tulimusque illo in tempore terram de manu duorum regum Amorrhaeorum, qui erant trans Jordanem a torrente Arnon usque ad montem Hermon.* Amnis ille regionem hanc terminaverat ex parte Australi, Hermon mons ex parte Septemtrionali. Mons iste tam altus est, ut in media illa calidissima regione etiam summa aestate perpetuis nivibus sit contectus. Inde Tyrum consvevisse aestate nives deferri propter delicias ad refrigerationem docet S. Hieronymus de locis Hebraicis. 9. *Quem Sidonii Sarion adpellant, et Amorrhaei Sanir:* 10. *Omnes civitates, quae sitae sunt in planitie, et universam terram Galaad, et Basan usque ad Selcha, et Edrai civitates regni Og in Basan.* Hic quoque antecedens verbum: *tulimus* subintelligitur.

11. *Solus quippe Og rex Basan restiterat de stirpe gigantum. Monstratur lectus eius ferreus, qui est in Rabbath filiorum Ammon, novem cubitos habens longitudinis, et quatuor latitudinis ad mensuram cubiti virilis manus.* Quos gigantes Latinus Interpres adpellat, istis in Hebraeo non semper idem nomen respondet. Sed illi, ut superiore capite est, iam Emim, iam Zomzommim, iam Enacim secundum textum Hebraeum dicuntur,

et partim a stirpe, ex qua originem ducebant, partim aliunde denominationem suam acceperunt. Occurrit vero alia etiam in Scriptura gigantum adpellatio, et quoddam illorum genus, qui ab Hebraeis Rephaim adpellabantur. Ex quo Rephaim genere, atque stirpe iste etiam Og secundum textum Hebraeum dicitur fuisse. Non igitur solus dicitur superstes fuisse ex omni genere gigantum, sed tantum ex hac una Rephaim stirpe, et progenie. Nam gigantes ex stirpe Enacim fuisse tum in Chananaea superstites, quando haec ad populum Moyses verba faciebat, ad superioris capitis vers. 11. demonstratum est. Sed etiam ex stirpe Rephaim remansisse plures, quique superfuerint etiam Davidis aetate, efficitur pluribus documentis: Josue cap. 17. v. 15. 2. Reg. cap. 21. v. 16, 18, 20. 1. Paral. cap. 20. v. 6, 7. Quomodo ergo hic nunc dicitur solus Og remansisse ex stirpe Rephaim? Solent hoc vulgo conciliare sic, quod solus superfuerit in regione Basan, non vero etiam alibi, aut quod solus superfuerit ex iis, qui regiam dignitatem ex stirpe gigantum exerceret. Commoda satis explicatio. Est autem adhuc alia meo iudicio adcuratior. Loco vocabuli *solus* est in Hebraeo *Rak*, (רַק) quod vocabulum Hebraicum cum illam significationem habet, quam Latine istis vocabulis exprimere solemus: Solum, tantum, ut intelligatur Latinis istis vocibus nihil ex eo genere, de quo loquimur, praeterea esse; tum affirmandi, atque adseverandi vim etiam habet, et rem quasi demonstrandi. Cuius

rei exemplum est etiam statim sequentis capitis versu 6. Nam, quod ibi Latine versum habemus: „En populus sapiens, et intelligens“ loco huius demonstrativae particulae *en* est in Hebraeo *Rak*. Item Psalmi 31. v. 6. est huius rei perspicuum quoque exemplum. Nam quod ibi versum est sic in nostra Vulgata: „Verumtamen in diluvio aqua„rum multarum ad eum non adproximabunt“ loco vocabuli: *Verumtamen* est rursus in Hebraeo *Rak*, et vim habet affirmationis, ut hoc etiam S. Hieronymus vertit: qua de re ad illum Psalmi locum iam dicetur. Quare sensus efficitur iste: non solum Og iam reliquum fuisse ex stirpe gigantum; sed omnino illum unum ex illis fuisse, quin negetur praeter eum alios etiam fuisse. Huius deinde Og gigantis ex lecti illius longitudine proceritas declaratur, qui longus fuerit cubitos novem. Cubiti novem faciunt pedes quindecim, et quatuor pollices. Si in lecto concipiatur duorum, vel trium pedum maior longitudo, quam Ogi statura fuerit, quo commode in illo lecto iaceret, tamen adhuc pro corporis illius longitudine remanent pedes duodecim, cum tamen bene alti apud nos ii sint, qui statura aequant pedes sex. Qui Pentateuchum oppugnant, quasi non esset reipsa scriptus a Moyse, etiam istud pro argumento adhibent, ut quid Moysi tum opus fuisset ex lecti magnitudine declarare staturam Og, cum illum in praelio interfectum viderint; deinde cum praeda ad ipsos omnis pervenerit, non tantum ex exercitu, verum etiam ex toto

illius regno, quomodo ferreus tunc Ogi lectus in Rabbath Ammonitarum civitate esse potuerit. Nempe, quod ad primum attinet, si illa aliquid valeret obiectio, consequens esset, Moysen prorsus nec de istis praeliis, atque devictis his regibus, sed neque de plerisque reliquis rebus ullam debuisse mentionem facere, quandoquidem illas quoque oculis suis spectaverint. Sed Moyses modo cum verba ad populum faciebat, ista commemorabat, non ut quasi rem ignotam Israelis narraret, sed unde Dei erga illos beneficentiam, ipsis demonstraret, excitaretque ipsos ad habendam fiduciam, et observantiam erga Deum. Certe autem, quando Deuteronomium, reliquosque suos libros Moyses scripsit, resque, quae erant gestae, literarum monumentis tradidit, de non praesentibus tantum Israelitis, verum etiam et cumprimis de iis, qui futuro tempore victuri erant, cogitavit, ut haberent, unde discerent, certamque de his rebus, quae modo sub illo acciderunt, notitiam sibi acquirerent. Quamquam vero tam Og, quam exercitus illius in praelio fusus sit; hoc tamen non impediebat, ne aliqui cum aliquibus impedimentis effugerent, ad vicinasque nationes fuga se reciperent. Quod cum aliqua parte supellectilis regiae, cur non potuerit contingere, lectusque ferreus Ogi ad Ammonitarum urbem Rabbath deferri, res supra captum non est. Quid, si iam ante praelium securitatis causa quaedam ex suis rebus, et ipsum illum lectum Og eo deportanda curavit? Est ergo hoc valde leviter

armatum illorum argumentum. Erat autem Rabbath metropolis regni Ammonitarum, quae postea a Ptolomaeo Philadelpho rege Aegypti, qui Arabiam, Ammonitarumque regnum sibi subiecerat, eius nomine adpellata est Philadelphia, ut docet S. Hieronymus in caput 25. Ezechielis.

12. *Terramque possedimus tempore illo ab Aroer, quae est super ripam torrentis Arnon usque ad mediam partem montis Galaad, et civitates illius dedi Ruben, et Gad.* 13. *Reliquam autem partem Galaad, et omnem Basan regni Og tradidi mediae tribui Manasse, omnem regionem Argob: cunctaque Basan vocatur terra gigantum.* 14. *Jair filius Manasse possedit omnem regionem Argob usque ad terminos Gessuri, et Machati.* Duae hae civitates erant intra fines regni Og, quarum incolas Israelitae conservaverunt, nec cum reliquis civitatibus regni Og deleverunt, Josue 13. v. 13. Videntur proprium, atque distinctum civitatis ius habuisse, quique se Ogo in bello contra Israelitas minime sociaverint. *Vocavitque ex nomine suo Basan Havoth Jair, id est villas Jair usque in praesentem diem.* Jair nimirum sic regionem illam, quam in possessionem accepit, a nomine suo compellavit. Etiam autem haec expressio: *usque in praesentem diem* non recte olet revelatae Religionis hostibus, Moysisque adversariis, tanquam quae non quadret illorum iudicio in rem recenter tunc gestam, et ex quo consequentiam faciunt non a Moyse librum hunc Deuteronomii, sed serius ab

aliquo alio esse scriptum. Est autem nihil nisi Hebraismus, et quod Moyses Hebraice etulit Basaniticas illas civitates compellari nomine Jair usque in praesentem diem; hoc nos Latine diceremus: vocantur autem illae civitates nunc nomine Jair. Nec illud: *in praesentem diem* refertur ad durationem cuiusdam longioris temporis, quod iam antecesserit, sed pertinet ad indicandum, quid ipso illo tempore, et quis rei illius, de qua hoc enunciatur, status tum sit. Nam etiam de arca 3. Reg. 8. v. 8. est sub Salomone, quod vectes in ea fuerint usque in praesentem diem, licet ista talis cum vectibus suis in templo collocatio illius tantum tunc etiam sub Salomone facta recenter sit. Etiam Matthaeus agrum illa pecunia comparatum, qua Judas Christum Judaeis vendidit, cum hoc non multo ante accidisset, atque is ager ab ea emptione ager sangvinis fuisset adpellatus, scripsit tenuisse illam denominationem usque in hodiernam diem. Matth. 27. v. 8.

15. *Machir quoque dedi Galaad:* filius Manassis iste erat: Gen. 50. v. 22. Machiri igitur posteris, et familiae Moyses dedit Galaad: neque enim Machir iam tum vixit. 16. *Et tribubus Ruben, et Gad dedi de terra Galaad usque ad torrentem Arnon medium torrentis, et confinium usque ad torrentem Jeboc, qui est terminus filiorum Ammon,* 17. *et planitiem solitudinis, atque Jordanem, et terminos Cenereth* idem hic est, qui lacus Genesareth, quem fluvius Jordanes efficit

fere in Judaeae regione media *usque ad mare deserti, quod est salsissimum ad radices montis Phasga contra Orientem.* Lacus hic est Asphaltidis, vel mare Mortuum, quo Jordanes influit.

18. *Praecepique vobis in tempore illo dicens: Dominus Deus vester dat vobis terram hanc in haereditatem: expediti praecedite fratres vestros filios Israel omnes viri robusti 19. absque uxoribus, et parvulis, atque iumentis. Novi enim, quod plura habeatis pecora, et in urbibus remanere debebunt, quas tradidi vobis, 20. donec requiem tribuat Dominus fratribus vestris, sicut vobis tribuit, et possideant ipsi etiam terram, quam daturus est eis trans Jordanem. Tunc revertetur unusquisque in possessionem suam, quam dedi vobis. 21. Josue quoque in tempore illo praecepi dicens: oculi tui viderunt, quae fecit Dominus Deus vester duobus his regibus: sic faciet omnibus regnis, ad quae transiturus es. 22. Ne timeas eos. Dominus enim Deus vester pugnabit pro vobis. 23. Precatusque sum Dominum in tempore illo dicens: 24. Domine Deus, tu coepisti ostendere servo tuo magnitudinem tuam, manumque fortissimam. Neque enim est alius Deus vel in caelo, vel in terra, qui possit facere opera tua, et comparari fortitudini tuae. 25. Transibo igitur, et videbo terram hanc optimam trans Jordanem, et montem istum egregium, et Libanum.* Montis egregii nomine intelligitur tota Palaestina, quae cum montosa regio sit, et nihilominus uber, et

ferax, montis nomine saepius in Scriptura compellatur. Exodi 15. v. 17. ipse Moyses in suo Cantico post transitum maris Rubri „Introduces eos, „inquit, et plantabis in monte haereditatis tuae" et Psal. 77. v. 54. „Et induxit eos in montem sancti- „ficationis suae, montem, quem acquisivit dextera „eius." Libanus, quem in specie montem commemoravit, est celeberrimus mons inter Palaestinam, et Syriam inter medios ardores, ut Tacitus de eo ait hist. l. 5. c. 5. opacus, et fidus nivibus.

26. *Iratusque est Dominus mihi propter vos, nec exaudivit me, sed dixit mihi: sufficit tibi: nequaquam ultra loquaris de hac re ad me.* Non est Moysi iratus Deus, quod rogaverit, sed quoniam ei iratus erat propter illos, quod propter ipsos, cum eum exacerbassent, dubitaverit, procederetne prodigium aquarum ex rupe, quam iussus erat ferire, ut aquae elicerentur, (Num. 20. v. 12.) hanc illi veniam denegavit. Dicebat autem ei sufficere, quod nimirum regionem, ad quam voluisset intrare, visurus esset. Quamobrem, ut subsequitur, ipsum in montem Phasga iussit adscendere contemplandi terram promissam causa. 27. *Adscende cacumen Phasga, et oculos tuos circumfer ad Occidentem, et ad Aquilonem, Austrumque, et Orientem, et adspice. Nec enim transibis Jordanem istum.* 28. *Praecipe Josue, et corrobora eum, atque conforta, quia ipse praecedet populum istum, et dividet eis terram, quam visurus es.* Phasga eundem esse montem, qui Nebo, vel Abarim iam

ad Numerorum 27. v. 12. demonstratum est. Moyses cum populo gravissimorum criminum veniam, condonationemque poenarum saepius impetravisset; pro se tamen istius poenae remissionem obtinere non potuit. Cur illam ipsi non concesserit, utique Deus altiorem aliquam rationem habuit. S. Augustinus Quaest. 53. in Num. illam sic explicat: „Huius autem rei, inquit, mysterium datur intelligi, „quia nec sacerdotium, quod prius institutum est, „cuius personam gerebat Aaron; nec ipsa Lex, „cuius personam garebat Moyses, introducunt populum Dei in terram haereditatis aeternae, sed „Jesus (sic a Graecis Josue vocatur, significatio„neque inter se conveniunt) in quo typus erat Do„mini Jesu Christi, id est Gratia per fidem."

29. *Mansimusque in valle contra fanum Phogor.* Hebraice *Bethphegor.* (בֵּית פְּעוֹר) Civitatis vero hoc nomen est, quae in ditione ante erat regis Sehon, deinde vero venit in possessionem tribus Ruben. Deut. 4. v. 46. Josue 13. v. 20. Vi sua significat domum Phogor, planeque verisimile est, sic esse adpellatam ab idolo Phogor, quod fanum ibi suum, et cultum habuerit.

CAPVT IV.

Hortatur populum Moyses ad observandam legem: praecipit, ut vitent idololatriam.

1. *Et nunc Israel audi praecepta, et iudicia, quae ego doceo te, ut faciens ea vivas, et ingrediens possideas terram, quam Dominus Deus patrum vestorum daturus est vobis.* Judicia Hebraice *Hammischphatim* (הַמִּשְׁפָּטִים) non semper talia iudicia, ubi quaestiones de reo exercentur, significant; sed saepe posita sunt in Scriptura pro praeceptis, et statutis. Quare Judices illi etiam vocabantur, qui, non tantum ius dicerent, verum etiam, qui, antequam reges Israelitae habere coepissent, gubernabant populum, praecipiendique auctoritatem in eum exercuerunt. 2. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor; nec auferetis ex eo: custodite mandata Domini Dei vestri, quae ego praecipio vobis.* Celeber iste, et nominatus locus est, ex quo Augustani, atque Helvetae Confessores sibi praesidium petunt adversus Traditiones, et quas, tanquam adscititias ad verbum Dei, et a nobis Catholicis affictas, putant a Religione esse semovendas. Contendunt enim, quidquid ad illius institutum pertineret, id totum esse plene, atque integre in scripto Dei verbo: profanum autem, nec a Revelatione Divina profectum, quid-

quid praeter Scripturam crederetur, et admitteretur. Sed ex praesenti loco nihil quidem minus, quam contra Traditiones, sicut ipsi volunt, aliquid infertur. Nam, quid Israelitis prohibet Moyses? Ne ad verbum, quae ipse illis loqueretur, aliquid adderent, et ne etiam aliquid ex eo auferrent, atque detraherent, hoc est nec plus, nec minus aliquid facerent, quam ipsis esset praeceptum. Istudne vero hoc significat omnia Dei mandata, totumque Religionis institutum esse etiam descriptum, et integre literis mandatum? Atqui hoc debuisset dici, ut possit inferri, nullam Religionis disciplinam exstare extra Dei Verbum scriptum. *Ad verbum, quod vobis loquor*, dicebat Moyses, ne quid adderent. Tuncne, quando loquebatur, scribebat? et loqui significatne scribere? Nihil ergo aliud praecipiebat Moyses, quam ne Verbum, hoc est doctrinam Religionis, et praecepta Dei, atque leges sibi traditas corrumperent praepostera aliqua sive additione, sive diminutione: uti postea fecerunt Pharisaei, quod illis exprobravit Christus Matt. 15. v. 5. cap. 23. v. 16. Nam etiam additiones, si contrariae, et contra scopum legis non essent, facere licuisse, ostenditur exemplo Davidis, qui in officiis Religionis, Deique cultu quaedam mutavit, quaedam addidit. Erat per Moysem praeceptum a Deo Numer. 4. v. 3. ut Levitae, qui in templo deberent servire, trigesimo aetatis anno istud incipiant agere. At vero istud David mutavit, constituitque, ut decem annis ante, et iam vigesimo aetatis suae

anno servire in templo incipiant 1. Paral. 23. v. 24. Non erat a Moyse constitutum, uti cantu, et omni musicorum instrumentorum adparatu quotidie a Levitis in templo coram arca psalmodia fieret. Hoc tamen istituit David citati Paralipomenon capitis versu 30. Ad leges Moysis postea Samuel legem regni addidit, eamque descripsit 1. Reg. 10. v. 25. Et quam multa alia postea a Prophetis, aliisque Sacris Scriptoribus Veteris legis monumenta revelatae doctrinae ad libros Moysis accesserunt? Nisi fortasse aliquis putet Deum, qui deinde sacros illos scriptores movit ad scribendum, si additiones omnes fieri vetuit ad id, quod scribi curavit per Moysen, sibi ipsi contrariatum esse. Vetabantur igitur a Moyse legi, et Religionis doctrinae additiones contrariae, aut alienae, non quae ab eodem Dei Spiritu proficiscerentur, eo plane modo, quo Joannes quoque Apostolus de sua Apocalypsi cavit capitis 22. v. 18. ne quid adderetur, aut demeretur ex ea. „Contestor, inquit, omni audienti ver-„ba prophetiae libri huius: si quis adposuerit ad „haec, adponet Deus super illum plagas scriptas „in libro isto; et si quis diminuerit de verbis libri „prophetiae huius; auferet Deus partem eius de „libro vitae.“ An ergo, quia istud cavit Joannes de sua Apocalypsi, totum iam in ea continetur, quidquid pertinet ad absolutissimam rationem doctrinae Christianae Religionis? Cui ergo usui essent reliqua Apostolorum, Evangelistarumque, atque ipsius Joannis alia scripta? Scio illos hoc ipso Joan-

nis testimonio ex Apocalypsi uti ad pugnandum contra Traditiones. Cum tamen nemo tam plumbeus esse possit, qui non perspiciat, nisi de industria oculos sibi claudat, ne id, quod res est, fateri debeat, Apostolum de sua Apocalypsi nihil aliud velle, quam, ne quis eam addendo aliquid, vel detrahendo auderet corrumpere. Nam certe ex sola Apocalypsi, ne ipsi quidem sive in Augustana, sive in Helvetica confessione omnia sua dogmata dicent esse contenta. Ac, quamvis falsum sit Moysem aliquid statuisse contra Traditiones, qui in illo celeberrimo suo Cantico Deut. 32. v. 7. quod a Deo iussus est docere Israelitas, ut memoriter illud scirent cantare, quo per frequentationem cantus firmius in memoria illis haereret, qui inquam in illo Cantico traditionem etiam commendaverit, eoque Israelitas relegaverit „ Interroga, inquiens, patrem „ tuum, et annunciabit tibi; maiores tuos, et di„ cent tibi; " tamen si tota instructio Veteris legis perfecte, atque integre, quoad omnia suae doctrinae capita literis esset tradita, et mandata; indene esset consequens, idem esse factum, aut necessario debuisse fieri in nova lege etiam a Christo et per Apostolos? Quomodo Christus fundavit, et instituit Ecclesiam? aliterne, quam doctrinae sola de ore ad os traditione? Quid fecerunt, et quale institutum tenuerunt Apostoli? Statimne doctrinam illis scripto, quos ad Fidem converterunt, tradiderunt? Exstant Apostolica scripta non nisi ad paucissimas Ecclesias. nec fere, nisi supervenientes aliquae controversiae,

troversiae, aut difficultates qnaedam circa doctrinam sibi traditam obortae, aut quaedam dissensiones Apostolos ad scribendum impulerunt. Deinde, quando Apostolorum aliquis ad aliquam Ecclesiam: verbi gratia Paulus ad Corinthios literas dedit, complexusne in his fuit doctrinae summam omnem: quamquam ad nullam aliam Ecclesiam, quam ad Corinthiorum, Paulus copiosius scripserit? Itaque Ecclesiae singulae non prius ad perfectionem doctrinae fuissent ab Apostolis perductae, quam ipsae sibi postea Apostolorum omnia scripta ad reliquas omnes Ecclesias data, atque missa collegissent, sibique comparavissent. Nullus igitur Apostolus suos adcurate, atque integre docuisset. Illi vero Apostoli, qui absque ullo literarum adiumento suas, quas fundabant Ecclesias, relinquerent, culpandi etiam fuissent, quod muneris sui partes non recte expleverint. S. Paulus ad Corinthios scribens Ep. 1. cap. 11. v. 34. „ Cetera autem, inquit, cum venero, „ disponam " Si omnia putavit esse scribenda, cur non haec statim tunc per literas disposuit, quae se dispositurum scripsit, postquam ad eos venisset? Tunc fortasse noluit, quod tamen scivit se postea debere scribere. Et quaero ab illis, dicant, si possunt, ubi ista, quae dispositurum Paulus dixit, sint postea scripta? Praesens certe, quoniam, cum ad eos venisset, dixit se ea dispositurum, debuisset illa describere. Exstatne uspiam Pauli aliquod scriptum, quod non semper ad absentes dedisset? Alia Paulum viva voce coram, alia etiam per epi-

stolas tradidisse perspicuum est ex ipsis illius verbis ad Thessalonicenses: „State, inquit, et tenete „traditiones, quas didicistis sive per sermonem, „sive per epistolam nostram" (2. Ep. cap. 2. v. 14.) Quid planius istis verbis pro Traditione? Sed sicut in aliis perspicuis Scripturae locis, et documentis, si illa contra se videant esse; ita hic quoque se versant, et miserabiliter torquent, atque effugia quaerunt detortis, atque male consutis interpretatiunculis: cum tamen homines, qui sese Evangelicos haberi volunt, vel Reformatos iuxta Evangelium, stare deberent claris verbis Scripturae, et Evangelii. Ipsi, ipsi, dum partim Scripturae alienas, atque falsas interpretationes faciunt; partim Religionis ea dogmata, quae a Christo, et Apostolis sola voce Ecclesiae sunt tradita, et sanctorum Patrum testimonio semper viguerunt in Ecclesia; a se repudiant, utrumque faciunt, et iam addunt ad Dei Verbum, iam etiam subtrahunt de eo, neque hoc de non addendo, vel subtrahendo a Dei Verbo Dei mandatum custodiunt.

3. *Oculi vestri viderunt omnia, quae fecit Dominus contra Beelphegor, quomodo contriverit omnes cultores eius de medio vestri* Numerorum cap. 25. versu 4. et sequentibus narratur hoc. 4. *Vos autem, qui adhaeretis Domino Deo vestro, vivitis universi usque in praesentem diem.* 5. *Scitis, quod docuerim vos praecepta, atque iustitias, sicut mandavit mihi Dominus Deus meus; sic facietis ea in terra, quam possessuri estis,* 6. *et observa-*

bitis, et implebitis opere. Haec est enim vestra sapientia et intellectus coram populis: nomen abstractum, *sapientiae et intellectus* positum est pro concreto, et pro legibus, Dei sapientia, ab illiusque Divina mente, et intellectu constitutis, idem est ergo, atque si dixisset vestrae leges sunt sapientissimae, et Divinae, talesque agnoscentur, et praedicabuntur ab aliis populis: *ut audientes universa praecepta haec, dicant: en populus sapiens, et intelligens, gens magna:* propter videlicet et leges tales sibi datas, et talem favorem, providentiamque erga se Dei. 7. *Nec est alia natio tam grandis, quae habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus vestris.* Secundum Versionem Latinam hoc sic videri potest dictum: nullam aliam nationem esse tam grandem, sicut Israeliticam propter tantum nimirum Dei erga se favorem. At pressius iuxta Hebraeum sic est: *Nam quae est natio* (quantumvis) *magna* (כִּי מִי־גוֹי גָּדוֹל) *quae habeat deos adpropinquantes sibi.* Hic vero vocabulum: *deos*, dupliciter potest sumi, et pro vero Deo, et pro falsis diis. Est enim in Hebraeo *Elohim*, quod utroque isto modo usurpari in Scriptura solet. Vero autem Deo cum tribuitur, siquidem nomen est numeri pluralis, iam cum verbo numeri singularis (Gen. 1. v. 1.) iam cum verbo numeri pluralis construitur (Gen. 20. v. 13. Josue 24. v. 19.) Secundum Versionem Latinam est quaedam talis hic comparatio instituta: nulli nationi tam adesse suos falsos deos, quam

Israelitis faveat, omnesque illorum obsecrationes exaudiat is, quem ipsi colerent verum Deum. Si vero *Elohim* accipiatur pro vero Deo, sensus efficietur, nullam nationem, quantumvis magnam, et numerosam, tanto frui Dei favore, quanto perfruuntur Israelitae. Atque iste alter sensus videtur esse aptior, non tantum, quod cum idola nihil sint (1. Cor. 8. v. 4.) nec proinde prodesse quidquam possint, vis comparationis tanta non sit; verum etiam, quod infra capitis 7. v. 7. sic eadem de re sit: „Non, quia cunctas gentes, (Moyses hoc rursus „dicit ad eumdem Israeliticum populum) numero „vincebatis, vobis iunctus est Dominus, et elegit „vos, cum omnibus sitis populis pauciores, sed „quia dilexit vos Dominus.“

8. *Quae est enim alia gens sic inclyta, ut habeat caerimonias, iustaque iudicia, et universam legem, quam ego proponam hodie ante oculos vestros.* 9. *Custodi igitur temetipsum, et animam tuam solicite: ne obliviscaris verborum, quae viderunt oculi tui, et ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitae tuae; docebis ea filios, ac nepotes tuos,* 10. *a die, in quo stetisti coram Domino Deo tuo in Horeb.* In Hebraeo est vocabulum *Jom*, (יום) quod diem significat, sine praepositione. Est igitur sensus: ne obliviscerentur verborum, quae ipsi viderunt, hoc est rerum, ne obliviscerentur, quas ipsi gestas a Deo erga se viderunt, nam verbum pro re, quae fit, solet Hebraica consvetudine loquendi poni, qualis ille Hebra-

ismus est: Non est impossibile apud Deum omne verbum, quod significat nullam rem esse Deo impossibilem, die illo, in quo steterunt coram Deo in monte Horeb, sive Sinai: nam haec esse eiusdem montis duo iuga, et quae propterea pro se invicem ponantur, iam alias dictum est. Ad hunc modum locum hunc etiam Arabs vertit: *Quo tempore stetisti coram Domino Deo tuo prope Horeb:* hoc ipsumque magis explicatur deinde: *Quando Dominus locutus est mihi dicens: congrega ad me populum, ut audiant sermones meos, et discant timere me omni tempore, quo vivunt in terra, doceantque filios suos.* 11. *Et accessistis ad radices montis, qui ardebat usque ad caelum, erantque in eo tenebrae, et nubes, et caligo.* 12. *Locutusque est Dominus ad vos de medio ignis. Vocem verborum eius audistis, et formam penitus non vidistis.* 13. *Et ostendit vobis pactum suum, quod praecepit, ut faceretis, et decem verba, quae scripsit in duabus tabulis lapideis.* 14. *Mihique mandavit in illo tempore, ut docerem vos caerimonias, et iudicia, quae facere deberetis in terra, quam possessuri estis.* 15. *Custodite igitur solicite animas vestras. Non vidistis aliquam similitudinem in die, qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis,* 16. *ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi, vel feminae,* 17. *similitudinem omnium iumentorum, quae sunt super terram, vel avium sub caelo volantium,* 18. *atque reptilium quae moventur in terra, sive*

piscium, qui sub terra morantur in aquis. 19. *Ne forte elevatis oculis ad caelum videas solem, et lunam, et omnia astra caeli, et errore deceptus adores ea, et colas, quae creavit Dominus Deus in ministerium cunctis gentibus, quae sub caelo sunt.* 20. *Vos autem tulit Dominus, et eduxit de fornace ferrea Aegypti, ut haberet populum haereditarium, sicut est in praesenti die:* hoc est populum, quem possideret veluti suam haereditatem. „Te elegit Dominus, dicitur infra cap. 7. v. 6. ut „sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui „sunt super terram" 21. *Iratusque est Dominus contra me propter sermones vestros,* quibus nimirum tunc murmuraverunt adversum Deum, et seditiose consurrexerunt propter penuriam aquae adversus Moysem (Num. 20. v. 3.) *et iuravit, ut non transirem Jordanem, nec ingrederer terram optimam, quam daturus est vobis.* Propter illorum sermones iratus est Deus Moysi, propter quos illorum sermones, quibus erat irritatus, ipse Deum offenderit dubitando de successu prodigii: qua de re iam dictum est et ad capitis 1. v. 38. huius libri, et ad Numerorum cap. 20. v. 12.

22. *Ecce morior in hac humo, non transibo Jordanem: vos transibitis, et possidebitis terram egregiam.* 23. *Cave, ne quando obliviscaris pacti Domini Dei tui, quod pepigit tecum, et facias tibi sculptam similitudinem eorum, quae fieri Dominus prohibuit.* 24. *Quia Dominus Deus tuus ignis consumens est, Deus aemulator.* Hoc est,

quod sicut ignis vis est maxima ad consumendum; sic ipsos quoque Divinae irae ardore brevi esse conficiendos, si scilicet Divini pacti, et foederis cum Deo obliviscerentur: esseque Deum aemulatorem, qui nullum scilicet patiatur aemulum, et quasi rivalem in cultu, qui illi soli debetur. Nam gloriam meam alteri non dabo, dicit Deus Isa. 48. v. 11.

25. *Si genueris filios, ac nepotes, et morati fueritis in terra, deceptique feceritis vobis aliquam similitudinem patrantes malum coram Domino Deo vestro, ut eum ad iracundiam provocetis;* 26. *testes invoco hodie caelum, et terram cito perituros vos esse de terra, quam transito Jordane possessuri estis: non habitabitis in ea longo tempore, sed delebit vos Dominus,* 27. *atque disperget in omnes gentes, et remanebitis pauci in nationibus, ad quas vos ducturus est Dominus,* 28. *ibique servietis diis, qui hominum manu fabricati sunt, ligno, et lapidi, qui non vident, nec audiunt, nec comedunt, nec odorantur.* 29. *Cumque quaesieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quaesieris, et tota tribulatione animae tuae.* Hebraice: *et quaeretis inde Dominum Deum tuum, et invenies, cum quaesieris eum in toto corde tuo, et in tota anima tua, in angustia quae erit tibi.* (וּבִקַּשְׁתֶּם מִשָּׁם אֶת־יְהוָה אֱלֹהֶיךָ וּמָצָאתָ כִּי תִדְרְשֶׁנּוּ בְּכָל־לְבָבְךָ וּבְכָל־נַפְשֶׁךָ בַּצַּר לְךָ) 30. *Postquam te invenerint omnia, quae praedicta sunt, novissimo tempore reverteris ad Dominum Deum tuum, et audies vocem eius.* 31. *Quia Deus*

misericors Dominus Deus tuus est: non dimittet te, nec omnino delebit, neque obliviscetur pacti, in quo iuravit patribus tuis.

32. *Interroga de diebus antiquis, qui fuerunt ante te ex die, quo creavit Deus hominem super terram a summo caelo usque ad summum eius* hoc est ab extremitate una caeli usque ad alteram, *si facta est aliquando huiuscemodi res, aut umquam cognitum est,* 33. *ut audiret populus vocem Dei loquentis de medio ignis, sicut tu audisti, et vixisti;* 34. *si fecit Deus, ut ingrederetur, et tolleret sibi gentem de medio nationum per tentationes, signa, atque portenta, per pugnam, et robustam manum, extentumque brachium, et horribiles visiones iuxta omnia, quae fecit pro vobis Dominus Deus vester in Aegypto videntibus oculis tuis,* 35. *ut scires, quoniam Dominus ipse est Deus, et non est alius praeter eum.* 36. *De caelo te fecit audire vocem suam, ut doceret te, et in terra ostendit tibi ignem suum maximum, et audisti verba illius de medio ignis.* 37. *Quia dilexit patres tuos, et elegit semen eorum post eos: eduxitque te praecedens in virtute sua magna ex Aegypto,* 38. *ut deleret nationes maximas, et fortiores te in introitu tuo, et introduceret te, daretque tibi terram earum in possessionem, sicut cernis in praesenti die.* 39. *Scito ergo hodie, et cogitato in corde tuo, quod Dominus ipse sit Deus in caelo sursum, et in terra deorsum, et non sit alius.* 40. *Custodi praecepta eius, atque mandata, quae ego*

praecipio tibi, ut bene sit tibi, et filiis tuis post te, et permaneas multo tempore super terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi.

41. *Tunc separavit Moyses tres civitates trans Jordanem ad orientalem plagam,* 42. *ut confugiat ad eas, qui occiderit nolens proximum suum, nec sibi fuerit inimicus ante unum, et alterum diem, et ad aliquam harum urbium possit evadere:* 43. *Bosor in solitudine, quae sita est in terra campestri de tribu Ruben, et Ramoth in Galaad, quae est in tribu Gad, et Golan in Basan, quae est in tribu Manasse.* 44. *Ista est lex, quam proposuit Moyses coram filiis Israel,* 45. *et haec testimonia, et caerimoniae, atque iudicia, quae locutus est ad filios Israel, quando egressi sunt de Aegypto* 46. *trans Jordanem in valle contra fanum Phogor*, civitatis hoc fuisse nomen ad superioris capitis versum ultimum demonstratum est, *in terra Sehon regis Amorrhaei, qui habitavit in Hesebon, quem percussit Moyses, filii quoque Israel egressi ex Aegypto* 47. *possederunt terram eius, et terram Og regis Basan, duorum regum Amorrhaeorum, qui erant trans Jordanem ad solis ortum* 48. *ab Aroer, quae sita est super ripam torrentis Arnon usque ad montem Sion, qui est et Hermon:* Sionis nomine etiam arx urbis Jerosolymae adpellabatur: 49. *omnem planitiem trans Jordanem ad orientalem plagam usque ad mare solitudinis, et usque ad radices montis Phasga.*

CAPVT V.

De foedere, quod cum Israelitis Deus fecit in Horeb, et Decalogi praeceptis ab eo datis.

1. *VOCAVITQVE Moyses omnem Israelem, et dixit ad eum: audi Israel caerimonias, atque iudicia, quae ego loquor in auribus vestris hodie: discite ea, et opere complete.* In Israeliticis castris tantum eorum, qui conscripti erant ad arma ferenda in bello erant tunc sexcenta, et amplius millia (Num. 26. v. 51.) praeter Leviticam totam tribum, feminas, et adolescentum tantum numerum, quantus cogitari debet, qui adhuc positi infra annum aetatis vigesimum descripti non erant ad illum bellatorum numerum. Quare censet Estius, cum Moysis vox sufficere naturaliter non potuerit, ut se extenderet ad tantum spatium, quantum implevisset, si Israelitarum totus iste convenisset numerus; id esse intelligendum tantum de quibusdam delectis ex toto illo numero, qui pro aliis etiam verba Moysis exciperent, atque haec deinde ad illos perferrent. At vero Tostatus, Bonfrerius, Tirinus, pluresque alii Interpretes censent etiam hac in re prodigium intervenisse, cuius tunc nulla erat raritas. Est illa quoque ratio, quod, si quando Moyses cum solis senioribus, et aliquibus delectis negotium quodpiam tractavit; hoc distincte soleat ex-

ponere, et declarare, an cum omnibus, vel cum aliquibus tantum rem tractaverit. Quod cum ita sit, a vulgari sermonis intelligentia temere recedendum non est, ut cum se ipse Moyses dicat omnem Israelem convocavisse, atque ad hunc deinde verba fecisse; hoc tamen non de omnibus accipiatur, sed solum de aliquibus. Omnium autem planissime hoc intelligitur, sic esse factum infra ex capitis 29. v. 10. ubi sic omnes recenset, qui steterint ad illum audiendum, cum hanc Deuteronomii legem illis pergeret exponere: „Vos statis, inquit, hodie cun„cti coram Domino Deo vestro, principes vestri, „et tribus, et maiores natu, atque doctores, omnis „populus Israel„ liberi, et uxores vestrae, et ad„vena, qui tecum moratur in castris exceptis ligno„rum caesoribus, et his, qui comportant aquas."

2. *Dominus Deus noster pepigit nobiscum foedus in Horeb.* 3. *Non cum patribus nostris iniit pactum, sed nobiscum, qui in praesentiarum sumus, et vivimus.* 4. *Facie ad faciem locutus est nobis in monte de medio ignis.* Etiam cum illorum patribus fecerat Deus foedus. „In die illo, (dicitur „Genesis 15. v. 18.) pepigit Dominus foedus cum „Abram dicens: semini tuo dabo terram hanc" et rursus capitis 17. v. 7. „Statuam pactum meum „inter me, et te, et inter semen tuum post te „in generationibus suis foedere sempiterno, ut „sim Deus tuus, et seminis tui post te." Foedus ergo illud in monte Horeb non iniit cum illorum patribus, et patriarchis, utpote, qui iam tum

nec superstites in mundo erant; iniit tamen foedus cum illis, et de terra Chanaan danda illorum posteris, et de ipso illo foedere ineundo cum illis, quo illos Deus sibi adsumeret in peculiarem populum. Quod deinde pactum Abrahamo factum Deus exsolvit, quando in monte Horeb foedus cum Israelitico populo fecit. Facie autem ad faciem dicit Moyses tum esse locutum Deum ad ipsos in monte, non quod loquentem Deum viderint, nam superioris capitis vers. 15. diserte pronunciat, nullam ab iis tum visam esse formam Dei, et similitudinem, ne forte postea sibi Dei aliquam conarentur efformare sculptam similitudinem; sed quod Dei ex monte loquentis ad eos voces tam clare, atque distincte exaudiverint, quam illorum verba, atque sermonem percipimus, cum quibus coram, et facie ad faciem, atque de ore ad os loquimur.

5. *Ego sequester, et medius fui inter Dominum, et vos in tempore illo, ut annunciarem vobis verba eius. Timuistis enim ignem, et non adscendistis in montem.* Primum ipse Deus per se ad eos loquebatur ex monte Exodi cap. 20. v. 19. Illi vero, metu perterriti, rogarunt, ne deinceps Deus aliter, quam per internuncium Moysem cum ipsis ageret, hancque eorum petitionem probavit Deus, atque ita postea fecit, ut illi petierant. Quamvis ergo Moyses iam etiam antea legati a Deo ad eos munere functus esset, vicissimque illorum ad Deum postulationes et preces perferret; tamen hic in ipso illo foedere, quod tum Deus percussit cum

illis in monte Horeb, legibus, tanquam conditionibus foederis ad eos deferendis, se sequestrum et medium inter Deum, et illos fuisse dicit. Quod iuxta Hebraeum sic est: *Ego fui stans inter Deum, et inter vos.* (אָנֹכִי עֹמֵד בֵּין־יְהוָה וּבֵינֵיכֶם) Ut vero illud vetus foedus typus erat novi foederis per Christum; ita quoque Moyses, qui in veteri testamento medius fuit inter Deum, et populum; typice expressit unum Mediatorem Dei et hominum Jesum Christum. (1. Tim. 2. v. 5.) quem melioris testamenti mediatorem esse dicit S. Paulus ad Hebraeos 8. v. 6.

Quomodo igitur mediator etiam Moyses, si unus tantum Mediator Dei, et hominum Christus Jesus est? Mediator, in cuius sangvine habemus reconciliationem, est unus Christus Jesus, et talis non fuit Moyses, sed nec quisquam alter, sed nec esse potuit. Neque enim satisfacere pro peccatis praeter Christum alter potuit. Moyses ergo tantum mediator dictus est, quod Dei mandata ad populum, et huius rursus postulationes, et preces ad Deum perferret: etsi Deum populo placavit, quod saepius reperitur fecisse, haec tamen veniae impetratio, facta per ipsum, fundabatur in merito Christi. Nec enim sub caelo aliud nomen datum est hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri Act. 4. v. 12. Et quemadmodum talis mediator, qualis est Christus, nec Moyses dici potest, neque quisquam alter; ita qualis mediator Moyses fuit, qui precibus suis negotium tantum agat apud Deum, quaeque

non per se valeant, et vim impetrandi a Deo habeant, sed eo, quod nixae sint meritis Christi, nihil habet inconveniens, cur non dici possint etiam alii, atque omnes illi, qui suis precibus, quas apud Deum interponunt, quidpiam aliis a Deo impetrant. Omnis enim qui apud Deum pro alio intercedit, mediationis aliquo officio fungitur. Et quoniam talis interpositio, quae fit per preces aliorum pro aliis pia, atque salutaris est, ad quam nos hortatur Jacobus Apostolus cap. 5. v. 16. „Orate, inquiens, pro invicem, „ut salvemini, multum enim valet deprecatio iusti „assidua," certe, dum et sanctorum precibus nitimur apud Deum; et Sanctos, qui apud Deum pro nobis intercedunt, nostros apud eumdem Deum mediatores adpellamus; pia, et cum rectae Religionis spiritu consentiens est actio, quam, qui ex Augustana, Helveticaque Confessione carpunt, dumque Catholicos reprehendunt, quod Deiparam Virginem mediatricem suam, sanctosque mediatores adpellent, non modo iustam causam nullam carpendi Catholicos habent, tametsi illos traducant, quasi per illos plures mediatores uni Mediatori derogarent Christo; verum etiam iniuriosi in ipsam Scripturam, et Religionem sunt, quando id cavillantur, quod ex vero illius spiritu, et intelligentia est. Non licuit autem Israelitis, quando lex illis pronunciabatur a Deo ex monte Sinai, vel propius ad illum montem accedere. Exod. 19. v. 12. Quare, quod hic ponitur, quasi illi suo metu, non a Deo prohibiti noluerint, tunc montem, quando lex dabatur, adscendere, id

sumendum est non de ipso monte, sed tantum de illius radice, qui, ne eousque quidem iam, quo illis permittebatur, voluerint iam postea, postquam primum illum metum erant experti, accedere.

6. *Et ait: ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo servitutis.* 7. *Non habebis deos alienos in conspectu meo,* 8. *Non facies tibi sculptile, nec similitudinem omnium, quae in caelo sunt desuper, et quae in terra deorsum, et quae versantur in aquis sub terra.* Quae tam circa hoc Decalogi praeceptum de non faciendis imaginibus, quam circa reliquas partes, et quidquid per recensionem totam illius est; id iam tractatum, et explicatum est ad Exodi caput 20, ubi ille Decalogus recitabatur Dei voce ex monte. 9. *Non adorabis ea, et non coles. Ego enim sum Dominus Deus tuus, Deus aemulator reddens iniquitatem patrum super filios in tertiam, et quartam generationem his, qui oderunt me,* 10. *et faciens misericordiam in multa millia diligentibus me, et custodientibus praecepta mea.* De hac quoque ratione tam iustitiae Divinae, quam bonitatis actum ibi est ad caput illud 20. Exodi. 11. *Non usurpabis nomen Domini Dei tui frustra* Hebraice *ad mendacium* (לַשָּׁוְא) *quia non erit impunitus, qui super re vana Nomen eius adsumpserit.* 12. *Observa diem sabbati, ut sanctifices eum, sicut praecepit tibi Dominus Deus tuus.* 13. *Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua.* 14. *Septimus dies sabbati est, id est requies Domini Dei*

tui. Non facies in eo quidquam operis tu, et filius tuus, et filia, servus, et ancilla, et bos, et asinus, et omne iumentum tuum, et peregrinus, qui est intra portas tuas, ut requiescat servus tuus, et ancilla tua, sicut et tu. 15. *Memento, quod et ipse servieris in Aegypto, et eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, et brachio extento. Idcirco praecepit tibi, ut observares diem sabbati.* Cur diem septimam, in qua sabbatum, et quies est Dei, quod scilicet ea die cessaverit ab opere in creatione; non propterea Deus iussit coli, et religiose observari, ab Israelitis, quod ipsos eduxerit ex Aegypto, sed in memoriam, quod Deus die septima a creando quieverit, et cessaverit. Sic enim est Exodi 20. v. 10. „Sepitimo die sabbatum Domini Dei tui est, „non facies omne opus in eo - - - Sex enim diebus „fecit Dominus caelum, et terram, et mare, et „omnia, quae in eis sunt, et requievit in die se„ptimo, idcirco benedixit Dominus diei sabbati, „et sanctificavit eum" Quod ergo nunc dicitur idcirco illis praecepisse, ut sabbati diem observarent, quod illos eduxerit ex Aegypto, est sic accipiendum, quod cum illos propterea eduxisset ex Aegypto, ut ipsos ad suum cultum obstringeret, inter officia sui cultus etiam observantiam sabbati illis tradiderit. 16. *Honora patrem tuum, et matrem, sicut praecepit tibi Dominus Deus tuus, ut longo vivas tempore, et bene sit tibi in terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi.* 17. *Non occides.* 18. *Neque moechaberis.* 19. *Furtumque non facies.* 20. *Nec*

Nec loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. 21. *Non concupisces uxorem proximi tui, non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, et universa, quae illius sunt.* 22. *Haec verba locutus est Dominus ad omnem multitudinem vestram in monte de medio ignis, et nubis, et caliginis voce magna nihil addens amplius, et scripsit ea in duabus tabulis lapideis, quas tradidit mihi.*

23. *Vos autem, postquam audistis vocem de medio tenebrarum, et montem ardere vidistis, et accessistis ad me omnes principes tribuum, et maiores natu, atque dixistis:* 24. *ecce ostendit nobis Dominus Deus noster maiestatem, et magnitudinem suam, vocem eius audivimus de medio ignis, et probavimus hodie, quod loquente Deo cum homine vixerit homo.* 25. *Cur ergo moriemur, et devorabit nos ignis hic maximus? Si enim audierimus ultra vocem Dei nostri, moriemur.* 26. *Quid est omnis caro, ut audiat vocem Dei viventis, qui de medio ignis loquitur, sicut nos audivimus, et possit vivere?* Atqui iam probarunt, et erant experti, se, quamvis audiverint Deum loquentem, tamen non esse mortuos. Nimirum res hic refertur, quomodo accidit, etiamsi illi non satis connexe essent locuti. Illi vero periculosum esse iudicarunt ad illum vicinum ignem stare, et tonitruorum terrificae voces gravius ipsos perculerant, ut etiamsi prima vice incolumes perstitissent; tamen periculum idem tentare, atque metum eumdem

nollent saepius subire. Nec illud semper verum est, quod id, in quo periculum perspicitur, si semel superatum sit, semper fiduciam faciat illud iterum subeundi: quin eos, qui prudentes sunt, facit cautiores. 27. *Tu magis accede, et audi cuncta, quae dixerit Dominus Deus noster tibi, loquerisque ad nos, et nos audientes faciemus ea.*

28. *Quod cum audisset Dominus, ait ad me: audivi vocem verborum populi huius, quae locuti sunt tibi. Bene omnia sunt locuti.* 29. *Quis det talem eos habere mentem, ut timeant me, et custodiant universa mandata mea in omni tempore, ut bene sit eis, et filiis eorum in sempiternum?* Quis illis det? utique ille, qui etiam primo homini, cum eduxisset illum ex delicto suo, virtutem dedit continendi omnia. Sap. 10. v. 2. et qui Ezechielis 36. v. 27. dixit: „Faciam, ut in praeceptis „meis ambuletis" „cum, ne sufficientes quidem simus cogitare aliquid a nobis, quasi a nobis, sed sufficientia nostra ex Deo sit" 2. Cor. 3. v. 5. Sed est ratio haec loquendi, ut recte Estius observat instituta de Deo ad modum humanae consvetudinis, in qua voluntatem saepe optando exprimimus, cum id, quod volumus, non ex sola nostra pendet voluntate. Quae ratio de Deo loquendi adhibita est ad ostendendum, etiam cum Deus operatur in nobis velle, et perficere, ut ait S. Paulus ad Philippenses 2. v. 13. esse tamen in homine liberum arbitrium, quod a gratia Dei excitatum libere concurrat ad eam, ad quam a Gratia excitatur piam, Deoque acceptam

actionem. 30. *Vade, et dic eis: revertimini in tentoria vestra.* 31. *Tu vero hic sta mecum, et loquar tibi omnia mandata mea, et caerimonias, atque iudicia, quae docebis eos, ut faciant ea in terra, quam dabo illis in possessionem.* 32. *Custodite igitur, et facite, quae praecepit Dominus Deus vobis: non declinabitis neque ad dexteram, neque ad sinistram.* 33. *Sed per viam, quam praecepit Dominus Deus vester, ambulabitis, ut vivatis, et bene sit vobis, et protelentur dies in terra possessionis vestrae.*

CAPVT VI.

De Deo diligendo super omnia, illiusque praeceptis observandis, et de studio hoc commendando posteris.

1. *HAEC sunt praecepta, et caerimoniae, atque iudicia, quae mandavit Dominus Deus vester, ut docerem vos, et faciatis ea in terra, ad quam transgredimini possidendam,* 2. *ut timeas Dominum Deum tuum, et custodias omnia mandata, et praecepta eius, quae ego praecipio tibi, et filiis, ac nepotibus tuis cunctis diebus vitae tuae, ut prolongentur dies tui.* 3. *Audi Israel, et observa, ut facias, quae praecepit tibi Dominus, et bene sit tibi, et multipliceris amplius, sicut pollicitus est Dominus Deus patrum tuorum tibi terram lacte, et melle manantem.* 4. *Audi Israel: Dominus Deus*

noster Dominus unus est. 5. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua,* Hebraice: *in toto valde tuo* (בְּכָל־מְאֹדֶךָ) hoc est, quanta vi potes. Hanc legem de diligendo Deo ex toto corde, anima, et fortitudine, sic S. Augustinus l. 1. de Doct. Christ. cap. 22. declarat: „Ut omnes, inquit, cogitationes tuas, et omnem vitam, et „omnem intellectum in illum conferas, a quo ha„bes ea ipsa, quae confers: - - - nullam vitae „nostrae partem relinquit, quae vacare debeat, „et quasi locum dare, ut alia re velit frui; sed „quidquid aliud diligendum venerit in animum, „illuc rapiatur, quo totus dilectionis impetus currit."

Ii, qui se seculo decimo sexto seiunxerunt a Catholica Ecclesia, negant possibilitatem homini huius praecepti implendi de amando Deo ex toto corde. Quod si ita esset, Deus exigeret aliquid ab homine, quod ille praestare non potest; et quia legis praetermissio post se poenam trahit; Deus iniuste eum puniret, qui legem observare non potuit. Sunt scilicet omnes illorum rationes exactae ad Scripturam, et ad Evangelium. Nam in fine Deuteronomii capitis 30. v. 11. sic de universa lege, quam ipsis proposuerat, Moyses pronunciat: „Mandatum hoc, inquit, quod ego praecipio tibi ho„die, non supra te est, neque procul positum, „nec in caelo situm, ut possis dicere: quis no„strum valet ad caelum ascendere, ut deferat il„lud ad nos, ut audiamus, atque opere complea-

„mus; neque trans mare positum, ut causeris,
„et dicas: quis ex nobis poterit transfretare ma-
„re, et illud ad nos usque deferre, ut possi-
„mus audire, et facere, quod praeceptum est:
„sed iuxta te est sermo valde in ore tuo, et
„in corde tuo, ut facias illum.“ Firmant se tamen in illo Pauli ad Romanos 7. v. 23. „Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis“ et quod de motibus concupiscentiae involuntariis dictum est, id adplicant ad impossibilitatem faciendae legis de amando Deo super omnia: cum tamen ipse Paulus legis observantiam, quam nihilominus mente observaret, ibi e vestigio professus de se sit. „Igitur ego ipse, inquit, mente servio „legi Dei, carne autem legi peccati.“ Si dixissent, peccatum, quod in homine habitat pravos motus concupiscentiae efficere, ne amor ille Dei ex toto corde, quamdiu mortalis haec vita durat, propter repugnantiam carnalium motuum, et cupiditatum legi mentis stabiliter semper maneat, et quod efficiat, ut amor ille Dei non tantum aliquando remittat, verum etiam saepe penitus exstingvatur per lapsum in grave peccatum, quique amor Dei tantum apud Beatos in caelo firmus ita, et constans fiat, ut vicissitudinem iam aliquam deinceps numquam subeat, quomodo etiam S. Augustinus in Libro de Spiritu et litera cap. ult. perfectum, et similem ei, qui in Beatis est, amorem

Dei in hac vita docuit non reperiri, omnino recta esset ipsorum sententia. Sed qui omnia per suam reformationem detraxerunt ex Religione, et Ecclesia, quidquid non arrideret habitanti in homine peccato, atque pravis cupiditatibus, quo liberius putarent se illis frena impune posse laxare, siquidem indomitae illae cupiditates legi mentis de amando totis viribus, et affectu Deo repugnarent, repererunt illud, ut dicerent non esse Deum amandum ex toto corde, et qui Religionem iam aliis rebus, quas dicerent non esse credendas, deplumassent; ipsum etiam Deum despoliaverunt, ne, ut ille praecepit, amaretur ex toto corde.

6. *Eruntque verba haec, quae ego praecipio tibi hodie, in corde tuo,* 7. *et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis in eis sedens in domo tua, et ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens.* 8. *Et ligabis ea, quasi signum in manu tua, eruntque, et movebuntur inter oculos tuos,* 9. *scribesque ea in limine, et ostiis domus tuae.* Phrases istae loquendi, et expressiones iam etiam occurrerunt Exodi 13. v. 9. atque ibi explanatae sunt. 10. *Cumque introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, pro qua iuravit patribus tuis Abraham, Isaac, et Jacob, et dederit tibi civitates magnas, et optimas, quas non aedificasti;* 11. *domos plenas cunctarum opum, quas non exstruxisti, cisternas, quas non fodisti, vineta, et oliveta, quae non plantasti,* 12. *et comederis, et saturatus fueris,* 13. *cave diligenter, ne obli-*

viscaris Domini, qui eduxit te de terra Aegypti, de domo servitutis. Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies, ac per Nomen illius iurabis. „Quod non ita praeceptum accipiendum est, „ait S. Augustinus Quaest. 12. in Deut. quasi iu-„rari iusserit; sed in alterius alicuius dei nomine „iurari prohibuit. Melius autem fit, si secundum „Evangelium (Matth. 5. v. 34.) nec iuraveris, non „quia mala est vera iuratio; sed ne in periurium „incidatur facilitate iurandi. Qui enim iurat, non „solum verum, sed etiam falsum iurare potest: „qui autem omnino non iurat, a periurio longe „ambulat.“

14. *Non ibitis post deos alienos cunctarum gentium, quae in circuitu vestro sunt.* 15. *Quoniam Deus aemulator Dominus Deus tuus in medio tui, nequando irascatur furor Domini Dei tui contra te, et auferat te de superficie terrae.* 16. *Non tentabis Dominum Deum tuum, sicut tentasti in loco tentationis.* Quamvis saepius tentaverint Deum sua erga illum diffidentia; tamen hic in specie illa videtur intelligi tentatio, quae Exodi 17. v. 7. in aquarum penuria accidit: ubi ob eam rem etiam illi loco tentationis nomen inditum fuit. Isto testimonio usus est Christus Matthaei 4. v. 7. adversus tentatorem diabolum, cum ei svasisset, uti se ex pinnaculo templi, quo eum deportavit, praecipitem daret, quoniam futurum esset, ut ipsum angeli in casu, ne se laederet, excipiant. Illud, quo Satan Christum impellebat, fuit praesumptio;

Israelitae per diffidentiam, et desperationem Deum tentaverunt. Nimirum utrumque et praesumere, et desperare species vitiorum sunt, quorum genus est tentatio. Quod ergo in genere est positum, (nam illud: *sicut tentasti in loco tentationis* est tantum per modum exempli adpositum unius ex pluribus modis tentationis) illud valuit ad alteram etiam speciem tentationis, non esse illam exercendam.

17. *Custodi praecepta Domini Dei tui, ac testimonia, et caerimonias, quas praecepit tibi.* 18. *Et fac, quod placitum est, et bonum in conspectu Domini, ut bene sit tibi, et ingressus possideas terram optimam, de qua iuravit Dominus patribus tuis,* 19. *ut deleret omnes inimicos tuos coram te, sicut locutus est.* 20. *Cumque interrogaverit te filius tuus cras dicens: quid sibi volunt testimonia haec, et caerimoniae, atque iudicia, quae praecepit Dominus Deus noster nobis?* Facile perspicitur cras esse hic positum pro ulteriore quantocunque tempore. De posteris enim hoc est, qui deinceps alii aliis successuri essent, et per quos semper uberius volebat Moyses tradi testimoniorum istorum, et caerimoniarum, atque legum memoriam, Testimonia autem Synonymia quadam pro legibus, et praeceptis posita sunt, quod his Deus voluntatem, et quid observari, atque fieri velit, quasi testatum faciat. Judicia autem posita sunt pro decretis, et statutis. 21. *Dices ei: servi eramus Pharaonis in Aegypto, et eduxit nos Dominus de Aegypto in manu forti,* 22.

fecitque signa, atque prodigia magna, et pessima in Aegypto contra Pharaonem, et omnem domum illius in conspectu nostro, 23. et eduxit nos inde, ut introductis daret terram, super qua iuravit patribus nostris, 24. praecepitque nobis Dominus, ut faciamus omnia legitima haec, et timeamus Dominum Deum nostrum, ut bene sit nobis cunctis diebus vitae nostrae, sicut est hodie. 25. Eritque nostri misericors, si custodierimus, et fecerimus omnia praecepta eius coram Domino Deo nostro, sicut mandavit nobis.

CAPVT VII.

De non ineundis foederibus, et connubiis cum Chananaeis gentibus, rerum omnium prosperitas promittitur, si observarent legem.

1. C*VM introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, quam possessurus ingredieris, et deleverit gentes multas coram te: Hethaeum, et Gergezaeum, Amorrhaeum, Chananaeum, et Pherezaeum, et Hevaeum, et Jebusaeum septem gentes multo maioris numeri, quam tu es, et robustiores te, 2. tradideritque eas Dominus Deus tuus tibi, percuties eas usque ad internecionem.*
Decem nationes, quarum regionem se Deus illis daturum pollicitus est, recensentur Genesis 5. v. 19. Exodi autem 3. v. 8. sex, et Exodi 13. v. 5. quinque.

Rursus Deuteronomii 1. v. 7. Amorrhaeorum, et Chananaeorum nomine compellatur tota eadem regio. Est et illud, quod Josue, capitis 12. versu 9. triginta, et unus reges recenseantur, quos per totam Chananaeam Josue, quando illam subegit, deleverit, regionemque illorum occupaverit. Ex quo illud deducitur, Scripturam, quando mentionem facit de Chananaeae populis, non solere in specie semper omnes exponere; sed iam plures, iam pauciores, nec proinde perfectam semper enumerationem facere. In hoc autem Deuteronomii loco septem ex illis determinate sunt positae, tanquam videlicet reliquarum praecipuae, et maximae, sicut citato Deuteronomii primo capite rursus duorum tantum, Chananaeorum scilicet, et Amorrhaeorum nomine omnes etiam alii comprehenduntur, quicunque incoluerunt Chananaeam. Solius autem Chananaeae incolas iussi sunt Israelitae internecione delere. Nam, si cum aliis extra hanc regionem bellum gererent; aliae bellandi conditiones praescribuntur infra capitis 20. v. 10.

Non inibis cum iis foedus, nec misereberis earum, 3. neque sociabis cum eis coniugia. Hoc itidem utrumque quoad solos Chananaeae populos erat mandatum. Nam, si cum aliis bellum haberent, ipsas feminas etiam bello captas permissi sunt sibi copulare matrimonio infra cap. 21. v. 12. et David Maacham filiam Tholmai regis Gessur duxit uxorem 2. Reg. 3. v. 3. et idem foedere se coniunxit cum Achi Philisthaeorum rege, adeo, ut

etiam cum illo ad bellum contra ipsos Israelitas paratus fuerit procedere 1. Reg. 29. v. 2. Etiam Judas Machabaeus cum Romanis inivit foedus, et bellicam societatem 1. Mach. 8. v. 1. Esdras tamen, postquam ex Babylonica reversi essent captivitate, eos obiurgavit, qui alienigenas sibi uxores copulassent ex Israelitis, et has uxores iussit dimitti. 1. Esd. 10. v. 3. Nimirum et hae uxores erant pleraeque acceptae ex Chananaeis. 1. Esd. 9. v. 1. Erat vero ratio, quae, ut subsequetur modo etiam, in hoc Deuteronomii capite, proponitur, ne consvetudine connubiorum, et foederum depravarentur, et ne ad idolalatriam seducerentur. Quod si ergo tale periculum non subesset, praesertim si mulier ad Israeliticam Religionem transiret; aut si populus, cum quo foedus facerent, non intra fines ipsorum, et coniunctim cum ipsis habitaret, sed consvetudine habitandi maneret ab ipsis disiunctus, non erant vetita talia vel foedera, vel connubia.

Filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo. 4. *Quia seducet filium tuum, ne sequatur me, et ut magis serviat diis alienis, irasceturque furor Domini, et delebit te cito.* 5. *Quin potius haec facies eis: aras eorum subvertite, et confringite statuas, lucosque succidite et sculptilia comburite.* 6. *Quia populus sanctus es Domino Deo tuo. Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram.* Populus peculiaris Hebraice: *populus peculii.* (עַם סְגֻלָּה) Peculium autem etiam

ab Latinis id dicitur, quod proprio alicuius labore partum ad iustam illius possessionem pertinet. Derivatum vero est peculii vocabulum a pecude, quod in ea apud antiquos potissimum sitae possessiones fuerint. 7. *Non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis iunctus est Dominus, et elegit vos, cum omnibus sitis populis pauciores;* 8. *sed quia dilexit vos Dominus, et custodivit iuramentum, quod iuravit patribus vestris, eduxitque vos in manu forti, et redemit de domo servitutis, de manu Pharaonis regis Aegypti.* 9. *Et scies, quia Dominus Deus tuus ipse est Deus fortis, et fidelis, custodiens pactum, et misericordiam diligentibus se, et his, qui custodiunt praecepta eius in mille generationes,* 10. *et reddens odientibus se statim, ita, ut disperdat eos, et ultra non differat protinus eis restituens, quod merentur.* Millenarium numerum solere sumi in Scriptura etiam pro aeterno demonstratum est ad Exodi 20. v. 6. Cum ergo Deus dicitur pactum, suamque misericordiam custodire diligentibus se in mille generationes, id significat in aeternum. Sunt vero documenta, et exempla Deum non semper statim solere eum, qui peccavit, punire: quin saepenumero impii, et facinorosi longius etiam, et diutius maxima rerum suarum prosperitate fruuntur.
„Quare via impiorum, queritur Jeremias 12. v.
„1. prosperatur? Bene est omnibus, qui praeva-
„ricantur, et inique agunt? Plantasti eos, et ra-
„dicem miserunt, proficiunt, et faciunt fructum.“

Quare non ita hoc simpliciter sumendum est, quasi Deus semper e vestigio peccatori poenam irrogaret; sed quod illa prosperitas, qua impii perfruuntur, comparate ad illam felicitatem, quam Deus largitur probis, et qui eum diligunt, quaeque duret in mille generationes, hoc est in omne aevum, nulla sit, siquidem omne temporaneum etiamsi quamcunque longum sit, collatum cum aeterno nihili instar est, et evanescit. Quare etiamsi poena impiorum differatur; quia tamen haec dilatio comparate ad durationem poenae, quae postea cum inflicta fuerit, perpetua est futura, nulla est; tali sensu Deus dicitur protinus restituere peccatoribus, quod merentur. Juxta Hebraeum autem pressius etiam est sic: *Et retribuet osori suo in faciem eius ad perdendum eum: non morabitur erga osorem suum, in faciem eius retribuet ei* (וּמְשַׁלֵּם לְשֹׂנְאָיו אֶל־פָּנָיו לְהַאֲבִידוֹ לֹא יְאַחֵר לְשֹׂנְאוֹ אֶל־פָּנָיו יְשַׁלֶּם־לוֹ)

11. *Custodi ergo praecepta, et caerimonias, atque iudicia, quae ego mando tibi hodie, ut facias.* 12. *Si postquam audieris haec iudicia, custodieris ea, et feceris; custodiet et Dominus Deus tuus pactum tibi, et misericordiam, quam iuravit patribus tuis,* 13. *et diliget te, ac multiplicabit, benedicetque fructui ventris tui, et fructui terrae tuae, frumento tuo, atque vindemiae, oleo, et armentis, gregibus ovium tuarum super terram, pro qua iuravit patribus tuis, ut daret eam tibi.* 14. *Benedictus eris inter omnes populos. Non erit apud te sterilis utriusque sexus tam*

in hominibus, quam in gregibus tuis. Sterilitas hic posita est etiam erga mares, quia et in illis inhabilitas quaedam esse potest ad procreandum. Res vero ipsa declarat, esse istud de foecunditate, et quod apud eos, si legum observantes essent, nemo sterilis tam in hominibus, quam in gregibus pecus infoecundum nullum futurum esset; inter Dei benedictiones positum, quibus is illorum erga se observantiam remuneraturus sit, non vero esse positum instar praecepti. Etiam Exodi 23. v. 26. hoc idem de abfutura sterilitate non aliter, quam instar promissionis de foecunditate, qua Deus illis benedicturus esset, positum est. Et tamen, qui se Evangelicos, et Reformatos adpellant, quique sibi tantum tribuunt de Scriptura, et Evangelio, istud: non erit sterilis, eo etiam volunt valere, ut instar praecepti hoc datum sit Israelitis a Deó, ne quis inter eos maneret extra matrimonium, caelibemque vitam ageret. Atque hoc tanto inconsideratius etiam ex Veteri Testamento ad Novum transferunt, et extendunt, quod cum haec lex etiamsi data Israelitis fuisset, non alterius generis esset, quam sint eae, quae purae caerimoniales tantum, et politicae sunt, quibusque respublica ipsorum civilis contineretur; leges autem istae cum antiquo Testamento cum antiquatae ipsae etiam sint, nec iam vim obligandi Christianos habeant: quin cum ipsi, in reformationis suae oestro, omnia ab Ecclesia, et observantia Religionis resecuissent; quidquid ipsorum iudicio videretur redolere Veteris le-

gis caerimonias, et instituta; istud tamen de sterilitate ex eadem Veteri lege conentur transferre ad Novam, et ne quis sterilis, et celebs sit, inducere veterem, sicut illis videtur, obligationem. Atqui non tantum de hominibus est positum, quod non sint futuri steriles, verum etiam de pecorum gregibus. Si ergo erga homines haec fuisset lex; fuisset quoque erga pecora, et iumenta. Istisne vero, quae intellectu, et libero agendi arbitrio destituuntur, convenit aliqua lex? Est in Hebraeo pro Latino vocabulo: *sterilis* positum *Akar* (עָקָר) istud vero significat genuine, quod evulsum est, et sine radice, atque adeo, quod vi caret crescendi, fructumque ferendi. Quare pertinet hoc dictum tantum ad eos, qui, si in matrimonio essent, ex eoque liberorum fructum quaererent, non futuros infructuosos, et steriles. Quod si Moyses inde praeceptum voluisset facere, dicendum ipsi potius fuisset, ne aliquis extra matrimonium maneat, sed uxorem omnis vir, et maritum femina quaevis accipiat, utque operam coniugio dent. Iam in novo Testamento, quid clarius, et evidentius illo est, quod docet Paulus? Qui cum fornicationis vitandae causa dixisset, ut unusquisque uxorem habeat, deinde, ne coniuges etiam mutuo consensu diutius a matrimonii officio abstinerent, „Hoc autem, inquit, dico secundum indulgentiam, „non secundum imperium. Volo enim omnes vos „esse, sicut meipsum. Sed unusquisque proprium „donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius vero sic. Dico autem non nuptis, et viduis: bonum

„est illis, si sic permaneant, sicut et ego. Quod si „non se contineant, nubant. Melius est enim nube- „re, quam uri.“ 1. Cor. 7. v. 6. Estne hoc praeceptum nubendi, et ducendi uxores in nova lege? Infra vero hunc locum vers. 25. etiam consilium dat de servanda Virginitate. „De virginibus autem, „inquit, praeceptum Domini non habeo, consilium „autem do.“ Cuius deinde consilii sui rationem dat versu 32. „Qui, inquit, sine uxore est, sollicitus „est, quae Domini sunt, quomodo placeat Deo: „qui autem cum uxore est, sollicitus est, quae sunt „mundi, quomodo placeat uxori.“ Dicitque postea versu 36. virginem non peccare, si nubat, ac tandem argumentum hoc sic concludit versu 38. „Igi- „tur, qui matrimonio iungit virginem suam, bene „facit, et qui non iungit, melius facit.“ Talis igitur est ratio obligationis ineundi matrimonii in nova Jesu Christi Lege, de qua tantopere laboravit, et anxia fuit Reformatorum decimi sexti seculi conscientia; ut nisi se ad libidinem proiicerent, quamvis praecipui illorum cum sacerdotes, vel monachi essent, etiam ex voto tenerentur ad continentiam, peccare se, atque contra Dei praeceptum se se agere profiterentur: cum istud praeceptum, false ex Scriptura, et pro propria libidine deductum, falsoque Scripturae colore imbutum, pallium tantum esset, et luxuriei tegumentum.

15. *Auferet Dominus a te omnem langvorem; et infirmitates Aegypti pessimas, quas novisti, non inferet tibi, sed cunctis hostibus tuis.* Posset

hoc

hoc referri, ad plagas, et ad ulcera, quibus affecti sunt Aegyptii Exod. 9. v. 10. inter plura alia adversa, cum Pharao noluisset dimittere Israelitas ex Aegypto. At quoniam haec valetudinis adversitas tantum transitoria fuit, et facta per prodigium; nomine infirmitatum Aegypti magis videntur intelligendae esse eae infirmitates, et morbi, qui alias etiam solerent usitati esse in eadem Aegypto. Sunt autem huic regioni morborum quaedam genera peculiaria. Hoc Plinius l. 26. cap. 1. affirmat de Elephantiasi. Juvenalis autem Satyra 13. et Ovidius l. 1. de Ponto elegia 1. phtysi, caecitate, et ulceribus in cruribus laborare vulgo Aegyptios tradiderunt, quosque morbos sibi ab irata Iside immitti superstitiose crederent. Idemque hoc confirmarunt plures, ut Dominus de Joinville, et Le Brun, qui itinera per Aegyptum instituerunt, illaque descripta reliquerunt. Ad istas igitur Aegyptiorum infirmitates, et morbos Moysem digitum intendere est verisimilius.

16. *Devorabis omnes populos, quos Dominus Deus tuus daturus est tibi. Non parcet eis oculus tuus, nec servies diis eorum, ne sint in ruinam tibi.* 17. *Si dixeris in corde tuo: plures sunt gentes istae, quam ego, quomodo potero delere eas?* 18. *Noli metuere, sed recordare, quae fecerit Dominus Deus tuus Pharaoni, et cunctis Aegyptiis:* 19. *plagas maximas, quas viderunt oculi tui, et signa, atque portenta, manumque robustam, et extentum brachium, ut educeret te Dominus Deus tuus: sic facies cunctis populis, quos metuis.*

20. *Insuper et crabrones mittet Dominus Deus*
tuus in eos, donec deleat omnes, atque disperdat,
qui te fugerint, et latere potuerint. 21. *Non ti-*
mebis eos, quia Dominus Deus tuus in medio tui
est Deus magnus, et terribilis. 22. *Ipse consu-*
met nationes has in conspectu tuo paulatim, at-
que per partes. Non poteris eas delere pariter,
Hebraice *cito*, (מַהֵר) *ne forte multiplicentur con-*
tra te bestiae terrae. 23. *Dabitque eos Dominus*
Deus tuus in conspectu tuo, et interficiet illos,
donec penitus deleantur, 24. *tradetque reges eorum*
in manus tuas, et disperdes nomina eorum sub
caelo. Nomen idem est, quod fama, et memoria
illorum. Est autem hyperbolica haec locutio. Nam
fama et memoria, ac nomen populorum illorum,
quos in Chananaea deleverunt, etiam nunc superest.
Sed quod ita deletur, ut ne vestigium quidem ali-
cuius memoriae inde remaneat, id tanto magis in-
telligitur penitus esse sublatum. Pro tali igitur sub-
latione absoluta, amplificata quadam ratione lo-
quendi, posita est nominum populorum illorum di-
spersio sub caelo tanquam in auras. *Nullus pote-*
rit resistere tibi, donec conteras eos. 25. *Sculpti-*
lia eorum igne combures: non concupisces argen-
tum, et aurum, de quibus facta sunt, neque as-
sumes ex eis tibi quidquam, ne offendas, Hebraice:
ne forte illaquees te in illo (פֶּן תִּוָּקֵשׁ בּוֹ) *pro-*
pterea quia abominatio est Domini Dei tui. 26.
Nec inferes quidpiam ex idolo in Domum tuam,
ne fias anathema, sicut et illud est. Anathema res

ea dicitur, quae est exitio devota: sicut urbs Jericho facta est anathema Josue 6. v. 17. et Israeliticus populus votum cum concepisset de delendis urbibus regis Chananaei Arad, hocque deinde ei successisset, vocatum fuit anathema Numerorum 21. v. 3. *Quasi sparcitiam detestaberis, et velut inquinamentum, ac sordes abominationis habebis, quia anathema est.*

CAPVT VIII.

De prosperis, et adversis Israelitarum rebus per desertum, quibus Deus usus sit ad illos probandos.

1. *OMNE mandatum, quod ego praecipio tibi hodie, cave diligenter, ut facias, ut possis vivere, et multiplicemini, ingressique possideatis terram, pro qua iuravit Dominus patribus vestris,* 2. *et recordaberis cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum, ut affligeret te, atque tentaret, et nota fierent, quae in tuo animo versabantur, utrum custodires mandata illius, an non.* „Hic apertius di„ctum est, ait S. Augustinus Quaest. 13. in Deut. „quod alibi genere locutionis obscurum est, ubi le„gitur: Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat, „si diligitis eum. (Deut. 13. v. 3.) Intelligitur „enim positum esse, ut sciat, pro eo, quod est: „ut sciri faciat, quod modo dilucide dictum est:

„ ut tentaret te, et cognita faceret, quae in corde tuo „ sunt. Non enim ait: et cognosceret: quod quidem, „ si dixisset, intelligendum erat: cognita faceret.“

3. *Afflixit te penuria, et dedit tibi Manna, quod ignorabas tu, et patres tui, ut ostenderet tibi, quod non in solo pane vivat homo, sed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei.* Verbum, ut iam hoc demonstratum est alias etiam, solet Hebraica consvetudine loquendi poni pro re. Cuius planissimum exemplum est 2. Reg. 12. v. 6. „ Ovem reddet in „ quadruplum, eo quod fecerit verbum istud, et non „ pepercerit.“ Loquitur autem David adversus divitem, qui pauperi unicam, quam is habuit, ovem, rapuit, ut epulum inde hospiti ad se venienti instrueret. Estque deinde hic continuatio metaphorae, dum res, quae pro cibo hominibus a Deo producta est, dicitur procedere ex ore Dei, unde proprie tantum verba procedunt. Sensus igitur est, quod non solo pane vivant homines, sed omnibus illis rebus, quae a Deo illis tribuuntur, unde vivant. Quam sententiam deinde Salvator adhibuit adversus tentantem satanam, ut illum a se reiiceret, dum lapides illi obtulisset, uti ex his sibi panes faceret, quando peracto quadraginta dierum ieiunio esuriit. Matth. 4. v. 4. S. Ambrosius in Lucae caput 4. et S. Augustinus de vera Religione cap. 38. Verbum, quod procedit de ore Dei in sensu morali accipiunt etiam de Divinis eloquiis, quibus anima spiritualiter nutritur.

4. *Vestimentum tuum, quo operiebaris, nequaquam vetustate defecit, et pes tuus non est subtritus; en quadragesimus annus est:* Pedes ipsorum non esse subtritos pro eo positum est, quod calcei in pedibus illorum attriti non sint. Nam hoc idem infra capitis 29. v. 5. sic posuit Moyses: „Non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamen-„ta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt." Unum vero hoc ex alio consequens est. Quamdiu enim pes sub se soleam calcei habet integram; tamdiu non is, sed solea tantum ambulando teritur:
5. *Ut recogites in corde tuo, quia sicut erudit filium suum homo; sic Dominus Deus tuus erudivit te,* 6. *ut custodias mandata Domini Dei tui, et ambules in viis eius, et timeas eum.* 7. *Dominus enim Deus tuus introducet te in terram bonam, terram rivorum, aquarumque, et fontium, in cuius campis, et montibus erumpunt fluviorum abyssi,*
8. *terram frumenti, hordei, ac vinearum, in qua ficus, et malogranata, et oliveta nascuntur, terram olei, ac mellis.* 9. *Ubi absque ulla penuria comedes panem tuum, et rerum omnium abundantia perfrueris: cuius lapides ferrum sunt,* hoc est, quam frequentes sunt lapides, tanta copia sit ferri, *et de montibus eius aeris metalla fodiuntur.* 10.
Ut cum comederis, et satiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo pro terra optima, quam dedit tibi.

11. *Observa, et cave, ne quando obliviscaris Domini Dei tui, et negligas mandata eius, atque iudicia, et caerimonias, quas ego praecipio tibi*

hodie. 12. *Ne postquam comederis, et satiatus fueris, domos pulchras aedificaveris, et habitaveris in eis,* 13. *habuerisque armenta boum, et ovium greges, argenti, et auri, cunctarumque rerum copiam,* 14. *elevetur cor tuum, et non reminiscaris Domini Dei tui; qui eduxit te de terra Aegypti, de domo servitutis,* 15. *et ductor tuus fuit in solitudine magna, atque terribili, in qua erat serpens flatu adurens, et scorpio, ac dipsas, et nullae omnino aquae.* Serpens flatu adurens est ille idem, quem ad Numerorum 21. versum 6. dictum est proprie adpellari presterem, qui in iis, quos mordet, ingentem ardorem corporis efficit, intumescenteque loco, ubi morsum infixit, necat. Loco huius: *dipsas*, est Hebraice *Tzimmaon.* (צִמָּאוֹן) Hoc vero significat non aliquod animal, sed locum arentem, et siccum, ut Chaldaeus, Arabs quoque, et Syrus verterunt. Nam Chaldaeus sic habet: *Et locum sitis, ubi non est aqua.* Congruunt etiam Interpretes reliqui, et ipsum illud dipsas fluxit ex versione Graeca Septvaginta Interpretum, apud quos Graecum hic vocabulum est δίψα, quod sitim significat, et ex quo Latinus Interpres fecit dipsas. *Qui eduxit rivos de petra durisssima,* 16. *et cibavit te manna in solitudine, quod nescierunt patres tui. Et postquam afflixit, ac probavit, ad extremum misertus est tui.* 17. *Ne diceres in corde tuo: fortitudo mea, et robur manus meae haec mihi omnia praestiterunt.* In Hebraeo est sic: *Et dices in corde tuo:* (וְאָמַרְתָּ בִּלְבָבֶךָ) nimirum si,

in corde talis suboriretur cogitatio, ne tunc locum ei, et consensum praestaret: ad quem modum hoc etiam Chaldaeus vertit: „Et si dixeris in corde „tuo: fortitudo mea et robur manus meae posside- „re me fecerunt substantias istas." 18. *Sed recordaberis Domini Dei tui, quod ipse vires tibi praebuerit, ut impleret pactum suum, super quo iuravit patribus tuis, sicut praesens indicat dies.* 19. *Sin autem oblitus Domini Dei tui secutus fueris deos alienos, colueris que illos, et adoraveris; ecce nunc praedico tibi, quod omnino dispereas,* 20. *sicut gentes, quas delevit Dominus in introitu tuo* Hebraice verbum est in participio praesenti, *quas perdens est* (מַאֲבִיד) *ita et vos peribitis, si inobedientes fueritis voci Domini Dei vestri.*

CAPVT IX.

Ne suae iustitiae adscriberent, quod terra Chanaan in possessionem ipsis a Deo detur, erga quem semper obstinate se gesserint.

1. *AVDI Israel: tu transgredieris hodie Jordanem:* hodie accipitur hic pro eo, quod proxime, et quasi nunc futurum erat: post unum enim tantum circiter adhuc mensem, transituri erant, *ut possideas nationes maximas, et fortiores te, civitates ingentes, et ad caelum usque muratas:* hyperbolica locutio est, pro civitatibus exstuctis ad-

modum alte; 2. *populum magnum, atque sublimem* statura videlicet, *filios Enacim, quos ipse vidisti, et audisti, quibus nullus potest ex adverso resistere.* De his Enacim inusitatae magnitudinis hominibus nuncium, et famam attulerunt exploratores, missi ex Israelitarum castris Numerorum 13. v. 29. Exploratores tantum illos gigantes viderunt, reliqui vero solam famam de illis acceperunt. In Hebraeo loco verbi *vidisti* est *cognovisti.* (יָדַעְתָּ) Quae notitia non debet intelligi necessario facta per oculos, sed potest ea etiam solum esse, quae auribus hausta est ex aliorum relatione. Illud vero de iisdem Enacim: *quibus nullus potest ex adverso resistere* est rursus in Hebraeo, non per absolutam affirmationem, sed tantum per interrogationem: *quis consistet coram filiis Enak?* (יִתְיַצֵּב לִפְנֵי בְּנֵי עֲנָק) Quod significat non penitus nullos esse, qui eis possent resistere, sed neminem facile esse, qui hoc audeat. 3. *Scies ergo hodie, quod Dominus Deus tuus ipse transibit ante te ignis devorans, atque consumens, qui conterat eos, et deleat, atque disperdat ante faciem tuam velociter, sicut locutus est tibi.* 4. *Ne dicas in corde tuo, cum deleverit eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo: propter iustitiam meam introduxit me Dominus, ut terram hanc possiderem, cum propter impietates suas istae deletae sint nationes.* 5. *Neque enim propter iustitias tuas, et aequitatem cordis tui ingrederis, ut possideas terras earum: sed quia illae egerunt impie introeunte te deletae sunt, et ut com-*

pleret verbum suum Dominus, quod sub iuramento pollicitus est patribus tuis Abraham, Isaac, et Jacob. 6. *Scito ergo, quod non propter iustitias tuas Dominus Deus tuus dederit tibi terram hanc optimam in possessionem, cum durissimae cervicis sis populus.*

7. *Memento, et ne obliviscaris, quomodo ad iracundiam provocaveris Dominum Deum tuum in solitudine. Ex eo die, quo egressus es ex Aegypto usque ad locum istum, semper adversum Dominum contendisti.* Hebraice: *rebelles fuistis* (מַמְרִים הֱיִיתֶם) 8. *Nam et in Horeb provocasti eum, et iratus delere te voluit.* Hoc fuit, quando vitulum adorarunt aureum, Exodi 32. v. 9. ut hoc postea etiam hic declaratur: 9. *quando adscendi in montem, ut acciperem tabulas lapideas, tabulas pacti, quod pepigit vobiscum Dominus, et perseveravi in monte quadraginta diebus, et noctibus panem non comedens, et aquam non bibens.* 10. *Deditque mihi Dominus duas tabulas lapideas scriptas digito Dei, et continentes omnia verba, quae vobis locutus est in monte de medio ignis, quando concio populi congregata est.* 11. *Cumque transissent quadraginta dies, et totidem noctes, dedit mihi Dominus duas tabulas lapideas, tabulas foederis,* 12. *dixitque mihi: surge, et descende hinc cito, quia populus tuus, quem eduxisti de Aegypto, deseruerunt velociter viam, quam demonstrasti eis, feceruntque sibi conflatile.* 13. *Rursumque ait Dominus ad me: cerno, quod populus*

iste durae cervicis sit, 14. *dimitte me, ut conteram eum, et deleam nomen eius de sub caelo, et constituam te super gentem, quae hac maior, et fortior sit.*

15. *Cumque de monte ardente descenderem, et duas tabulas foederis utraque tenerem manu,* 16. *vidissemque vos peccasse Domino Deo vestro, et fecisse vobis vitulum conflatilem, ac deseruisse velociter viam eius, quam vobis ostenderat;* 17. *proieci tabulas de manibus meis, confregique eas in conspectu vestro,* 18. *et procidi ante Dominum, sicut prius, quadraginta diebus, et noctibus panem non comedens, et aquam non bibens propter omnia peccata vestra, quae gessistis contra Dominum, et eum ad iracundiam provocastis.* 19. *Timui enim indignationem, et iram illius, qua adversum vos concitatus delere vos voluit. Et exaudivit me Dominus etiam hac vice.* 20. *Adversum Aaron quoque vehementer iratus voluit eum conterere, et pro illo similiter deprecatus sum.* 21. *Peccatum autem vestrum, quod feceratis, id est vitulum arripiens igne combussi, et in frusta comminuens, omninoque in pulverem redigens proieci in torrentem, qui de monte descendit.* 22. *In incendio quoque, et in tentatione,* prior res Numerorum 11. v. 1. accidit, altera Exodi 17. v. 7. *et in sepulchris concupiscentiae* (Numerorum 11. v. 34.) *provocastis Dominum.* 23. *Et quando misit vos de Cadesbarne dicens: adscendite, et possidete terram, quam dedi vobis, et contempsistis imperium Domini Dei ve-*

stri, et non credidistis ei, neque vocem eius audire voluistis. (Numerorum 14. v. 1.) 24. *Sed semper fuistis rebelles a die, qua nosse vos coepi.*

25. *Et iacui coram Domino quadraginta diebus, ac noctibus, quibus eum suppliciter deprecabar, ne deleret vos, ut fuerat comminatus* 26. *et orans dixi: Domine Deus, ne disperdas populum tuum, et haereditatem tuam, quam redemisti in magnitudine tua, quos eduxisti de Aegypto in manu forti.* 27. *Recordare servorum tuorum Abraham, Isaac, et Jacob; ne adspicias duritiam populi huius, et impietatem, atque peccatum.* 28. *Ne forte dicant habitatores terrae, de qua eduxisti nos: non poterat Dominus introducere eos in terram, quam pollicitus est eis, et oderat illos, idcirco eduxit, ut interficeret eos in solitudine:* 29. *qui sunt populus tuus, et haereditas tua, quos eduxisti in fortitudine tua magna, et in brachio tuo extento.* In versu 25. iam tertio ponitur Moysem quadraginta dierum ieiunium peregisse. Nam primo id erat dictum versu 9. secundo autem versu 18. In Exodi autem libro, ubi plenius hoc narratur, quod hic est tantum succincte, de duobus tantum quadraginta dierum Moysis ieiuniis fit mentio, quando priores tabulas accepit, et rursus, quando alteras. Exodi 24. v. 18. et cap. 34. v. 28. Hebraeorum doctores de istis Moysis ieiuniis sic censent, tabularum causa cum ille ieiunium servavisset in monte bis, tertia vice insuper ieiunium quadraginta etiam dierum instituisse in tabernaculo ad

exorandum Deum pro venia populo propter adoratum vitulum aureum. Etiam Tostatus, Oleaster, et Caietanus eamdem sententiam sequuntur. At alia Interpretum pars, eaque potior, inter quos nominatim sunt Estius, Cornelius a Lapide, Calmet, Bonfrerius, Tirinus duo tantum ieiunia tenent observata esse a Moyse ob istas causas: primum, quod, ut iam demonstratum est, tertii alicuius ieiunii, in Exodo, ubi ista ordinate narrantur, nullum aliquod vestigium sit; secundo, quod non sit causa, cur, quod Moysis ieiunium hic modo memoratur in praesenti Deuteronomii capite, versu 18. et 25. debeat haberi diversum unum ab alio, sed esse tantum unius, eiusdemque ieiunii iteratam commemorationem, sicut quod capitis sequentis decimi versu 10. etiam quarto instituatur hac de re mentio, consequens non est etiam quartum hoc ieiunium Moysis distinctum ab aliis fuisse. Deinde Moyses iam tum, cum observato primo ieiunio primas tabulas accepisset, et necdum ex monte descendisset, Deo factus est supplex, illumque populo placaverat: id, quod ex Exodi capitis 32. versu 14. et 15. manifestum est. Ergo illi ieiunio, quod a patronis istius opinionis inter illa duo, quae in monte propter duplices tabulas peregit, in tabernaculo Moyses instituerit, nulla causa relinquitur. Quando ergo Moyses, et istius capitis 9. versu 25. et sequentis capitis 10. versu 10. ieiunii sui vel stationis suae in monte per quadraginta dies, et noctes mentionem facit; hoc ieiunium et haec statio in monte

eadem cum illa est, quam fecit, quando pro secundis tabulis fuit in monte. Nam, sicut sequentis capitis 10. versu 10. ubi nullum dubium esse potest, quin de illa actione sua, quando secundarum tabularum causa fuit in monte, loquatur, se dicit Moyses exauditum esse a Deo, ne is populum deleret; ita hoc idem quoque memoratur huius praesentis capitis versu 25. Nec iam modo Moyses Deum rogavit, quasi adhuc metuisset populo, ne a Deo deleretur propter scelus adorati vituli aurei, sed cum iam expertus esset Moyses populum in deletionis suae totius periculo fuisse propter adoratum vitulum aureum, videret autem in eodem populo summam pronitatem ad peccandum, suoque peccato offendendum Deum, ne tamen postea Deus exequeretur, id quod nunc minatus fuit se facturum, et nihilominus populum deleret, huius rei causa, quando pro secundis tabulis in monte fuit, Moyses Deum etiam altera vice exoravit, id quod ipsa etiam in sequentis capitis versu 10. verba Moysis declarant: „Exaudivitque me Dominus, „inquit, hac vice, et te perdere noluit.“ Deinde etiam ob eamdem rem Moyses Deum iterum, et saepius rogare potuit, etiam si scivit iam suis precibus illum esse flexum, sicut David, quamvis ad primam suam poenitentiam iam audiverat translatum esse a se peccatum, cuius illum poenituerat 2. Reg. 12. v. 13. tamen adhuc postea sic Deum orabat: „Amplius lava me ab iniquitate mea, et a „peccato meo munda me.“ Psal. 50. v. 4.

CAPVT X.

De secundis tabulis Decalogi a Deo impetratis, deque summo illius erga populum Israeliticum, quantumvis erga se rebellem, favore.

1. *IN tempore illo dixit Dominus ad me: dola tibi duas tabulas lapideas, sicut priores fuerunt, et adscende ad me in montem, faciesque arcam ligneam,* 2. *et scribam in tabulis verba, quae fuerunt in his, quas ante confregisti, ponesque eas in arca.* 3. *Feci igitur arcam de lignis Setim, cumque dolassem duas tabulas lapideas instar priorum, adscendi in montem habens eas in manibus.* Est hoc hic sic propositum, quasi prius fuisset arca constructa, quam Moyses cum secundis tabulis ad montem adscenderet: cum tamen arca facta sit postquam cum scriptis, et paratis iam secundis tabulis Moyses descendisset ex monte. Descendit enim ex monte Exodi 34. v. 29. arca vero facta est tantummodo Exodi 37. v. 1. Sed nimirum Moyses in commemorandis rebus in hoc Deuteronomio ordinem non observat temporis, pluraque nonnumquam in unum locum coniungit, et memorat, quae disiuncta erant temporibus. Cuius se statim iterum exemplum offeret. 4. *Scripsitque in tabulis iuxta id, quod prius scripserat verba decem, quae locutus est Dominus ad vos in monte de medio ignis, quando populus congregatus est, et dedit eas mihi.* 5. *Re-*

versusque de monte descendi, et posui tabulas in arcam, quam feceram, quae hucusque ibi sunt, sicut mihi praecepit Dominus.

6. *Filii autem Israel moverunt castra ex Beroth filiorum Jacan in Mosera, ubi Aaron mortuus, ac sepultus est, pro quo sacerdotio functus est Eleazar filius eius.* Hoc est, quod paulo antea dictum est Moysem in commemorandis rebus hic in Deuteronomio solere ea componere, quae, quando acciderunt, coniuncta non fuerunt. Nam res tota de tabulis, de quibus modo mentionem fecerat, accidit in monte Sinai: inter quam stationem, et hanc Beroth filiorum Jacan aliae intercesserunt stationes quindecim, uti illae exponuntur Numerorum capite 33. a versu 16. usque ad versum 31. Et tamen hoc sic est propositum, quasi post datas tabulas proxime in Beroth filiorum Jacan stationem ventum, aut etiam illarum datio in hac ipsa statione facta esset. Deinde rursus hic in Deuteronomio positum est, quasi in Mosera statione Aaron esset mortuus, qui vero mortuus est in statione ad montem Hor: nec ex Beroth filiorum Jacan in Moseram, sed hinc ex Mosera ad Beroth filiorum Jacan stationum ordo erat, quemadmodum is proponitur Numerorum 33. v. 31. ubi sic est: Ex Moseroth in Benejaacan, ex Benejaacan in Gadgad; ex Gadgad in Jetebatha; ex Jetebatha in Hebrona; ex Hebrona in Asiongaber; ex Asiongaber in Cades deserti Sin; ex Cades in montem Hor, in quo, ut ibi versu 38 est, Aaron mortuus est. Nam quae Numerorum citato capite

Moseroth, et Benejaacan stationes nominantur, easdem esse, quae hic in Deuteronomio Mosera, et Beroth filiorum Jacan vocantur, intelligitur ex eo; quod quae stationes utrobique tam hic in Deuteronomio, quam ibi in Numerorum libro recensentur post has duas, et tanquam quo ex his dum proficiscerentur, ventum sit, (erant autem Gadgad, et Jetebatha) adcurate conveniant. Sed et ipsa nomina inter se congruunt. Nam primo Mosera, et Moseroth sola terminatione tantum aliquantulum differunt. In Beroth filiorum Jacan, filiorum Jacan idem est, quod Benejacan: nam *Bene* vocabulum Hebraicum in statu constructo numeri pluralis positum significat: *filiorum*, Beroth autem, quod isti nomini antepositum est hic in Deuteronomio, non autem in Numerorum libro vi sua puteos significat, nec alio pertinet, quam ut indolem loci illius Benejacan stationis adcuratius explicet. Quomodo ergo, ut iam res hae, ita discrepantes, concilientur, hic ex Benejacan in Mosera, illic vero in Numerorum libro ex Mosera in Benejacan Israelitae dicuntur esse progressi? Quandoquidem Moyses hic deinde in Mosera Aaronem dicit esse mortuum, quem constat ex Numerorum citato iam loco mortuum esse in monte Hor, ad quem montem posita tum habebant Israelitae sua castra; facile intelligitur Moserae nomen latius patuisse, et sub se comprehendisse montem etiam Hor, ac proinde hic in Deuteronomio Moseram non stricte pro se esse sumptam, sed pro eo, quem in se comprehenderet etiam montem Hor;

in

in Numerorum autem libro eamdem Moseram esse sumptam praecise pro se: qualiter etiam locus Cades iam in deserto Sin, iam in deserto Pharan esse dicitur Numerorum cap. 13. v. 27. et cap. 33. v. 36. quia nimirum latius patebat desertum Pharan, quod suo nomine etiam complecteretur desertum Sin, et ipsum locum Cades. Solent enim à nomine principali regionis reliqua etiam, quae in eadem regione sunt, denominari. Samaritanus autem Codex etiam in hoc Deuteronomii loco Moseram stationem antepositam habet stationi Benejacan. Quare, cum hoc etiam ita sit in Numerorum libro, capite 33. ubi Moyses stationes, quas Israelitae habuerunt in deserto, dedita opera recenset; videri hoc posset mendo etiam esse factum, ut hic in Deuteronomio statio, quae debebat esse posterior, sit posita prior, quodque cum primum in Hebraeo textu accidisset, tum inde eadem res ad Versiones propagata sit. Nam Codicis Samaritani, in quo ipsae etiam veteres Hebraeorum literae conservatae sint, quae in Scriptura Hebraea mutatae sunt in Chaldaicas, antiquissima est auctoritas. Et tum, quod de obitu Aaronis est, id sic sumendum esset, non praecise ipsum locum, ubi mortuus sit, esse commemoratum, sed tantum tempus illarum stationum duarum commemoratione esse designatum, quo circiter tempore Aaron mortuus sit. Neque enim illae stationes tempore ab se multum distabant, cum iam adpropinquarent ad stationem Cades, quo pervenerunt mense primo anni quadrage-

simi, ut hoc demonstratum est. ad Numerorum cap. 20. v. 1. et unde quinto postea mense in monte Hor Aaron est mortuus, ut est Numerorum 33. v. 38.

7. *Inde venerunt in Gadgad, de quo loco profecti castra metati sunt in Jetebatha in terra aquarum, atque torrentium.* 8. *Eo tempore separavit tribum Levi, ut portaret arcam foederis Domini, et staret coram eo in ministerio, ac benediceret in Nomine illius usque in praesentem diem.* Istud: *eo tempore*, non ad tempus stationum istarum pertinet, quae modo memoratae sunt, sed cum de his stationibus incidentem tantum aliquam mentionem fecisset, redit eo, et continuat, ubi prius fuerat in sermone de tabulis in monte Sinai acceptis, quo tempore tribus etiam Levi separata a Deo sit, et destinata ad illius ministerium. Est enim haec Levitarum separatio facta Numerorum 3. v. 6. cum adhuc essent in statione montis Sinai, unde iter tantum Numerorum 10. v. 12. ulterius prosecuti sunt. 9. *Quamobrem non habuit Levi partem, neque possessionem cum fratribus suis, quia ipse Dominus possessio eius est, sicut promisit ei Dominus Deus tuus.* Numerorum 18. v. 20. et 21. Sacerdotibus primitias, Levitis vero decimas Deus, quae ei debebant offerri, attribuit. Idcirco Deus illorum erat haereditas, quod ex illo proventus suos, nec more aliarum tribuum terrarum possessiones haberent infra huius libri cap. 18. v. 1.

10. *Ego autem steti in monte, sicut prius quadraginta diebus, ac noctibus, exaudivitque*

me Dominus etiam hac vice, et te perdere noluit.
11. *Dixitque mihi: vade, et praecede populam,
ut ingrediatur, et possideat terram, quam iura-
vi patribus eorum, ut traderem eis.* 12. *Et nunc
Israel, quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi
ut timeas Dominum Deum tuum, et ambules in
viis eius, et diligas eum, ac servias Domino Deo
tuo in toto corde tuo, et in tota anima tua,* 13.
*custodiasque mandata Domini, et caerimonias
eius, quas ergo hodie praecipio tibi, ut bene sit
tibi?* 14. *En Domini Dei tui caelum est, et cae-
lum caeli:* hoc est altissimum caelum, quod nimi-
rum supra hoc conspicuum, et sidereum caelum ad-
huc altius est, *terra, et omnia, quae in ea sunt.*
15. *Et tamen patribus tuis conglutinatus est Do-
minus, et amavit eos, elegitque semen eorum
post eos, id est vos de cunctis gentibus, sicut
hodie comprobatur.* 16. *Circumcidite igitur prae-
putium cordis vestri, et cervicem vestram ne in-
duretis amplius.* 17. *Quia Dominus Deus vester
ipse est Deus deorum, et Dominus dominantium,
Deus magnus, et potens, et terribilis, qui per-
sonam non accipit, nec munera.* Deus deorum non
Deus idolorum, et fictitiorum deorum, nam idolum,
ut Paulus inquit, nihil est in mundo (1. Cor. 8.
v. 4.) ac proinde, sicut Deus non est mortuorum,
sed vivorum Matthaei 22. v. 32. ita ne inanium qui-
dem, et nullorum deorum; sed eorum, qui potestatem
in mundo exercent, ut sunt principes, et magistra-
tus, et quibus, sicut Dei potestas communicatur, non

est enim potestas nisi a Deo (Rom. 13. v. 1.) ita Dei quoque nomen. Quomodo etiam Psaltes de iudicibus, et magistratibus: „Deus, inquit, stetit in „Synagoga deorum, in medio autem deos diiu„dicat: usquequo iudicatis iniquitatem?" Psal. 81. v. 1. Terribilis Hebraice est *Hannora* (הַנּוֹרָא) quod non significat timendum tali metu, qui percellat, sed qui procedat ex amore, et reverentia, cumque quis cavet Deum offendere, non propter poenae metum, sed ob solum illius amorem, etiamsi poena nulla metuenda esset. De quali timore loquitur Psaltes: „Timete Dominum omnes san„cti eius" Psal. 33. v. 10. et rursus: „Quam „magna multitudo dulcedinis tuae Domine, quam „abscondisti timentibus te!" Hic vero de metu poenarum est, quod de Deo sit sermo, tanquam iudice, iustissime iudicium exercente, quin personas spectet in iudicando, vel munera: quibus rebus perverti iudicia apud homines solent. 18. *Facit iudicium pupillo, et viduae, amat peregrinum, et dat ei victum, atque vestitum.* 19. *Et vos ergo amate peregrinos, quia et ipsi fuistis advenae in terra Aegypti.* 20. *Dominum Deum tuum timebis, et ei soli servies:* nimirum cultu latriae: Quod ut magis intelligeretur Graeci Septvaginta, et post eos etiam Latinus Interpres addiderunt: *Soli* quod in Hebraeo non est. *Ipsi adhaerebis, iurabisque in nomine illius*, hoc est per nullius nomen alterius, supra capitis 6. v. 13. ut est demonstratum. 21. *Ipse est laus tua, et Deus*

tuus, qui fecit tibi haec magnalia, et terribilia, quae viderunt oculi tui. 22. In septvaginta animabus descenderunt patres tui in Aegyptum, et ecce nunc multiplicavit te Dominus Deus tuus, sicut astra caeli.

CAPVT XI.

Exemplo suppliciorum, quae Deus de Pharaone, et de Dathan, et Abiron sumpsit, hortatur Moyses populum ad legis observantiam.

1. *AMA itaque Dominum Deum tuum, et observa praecepta eius, et caerimonias, iudicia, atque mandata omni tempore. 2. Cognoscite hodie, quae ignorant filii vestri, qui non viderunt disciplinam Domini Dei vestri*, disciplinae nomine id proprie intelligitur, quod discitur. Quia vero iis, qui discunt, stimuli nonnumquam etiam adhibendi sunt; ideo disciplina solet translate quoque sumi pro castigatione. Hebraice est *Musar* (מוּסָר) quod ab radice *Jasar* (יָסַר) deductum, similiter ut Latine disciplina erudire, vel castigare significat. Hic autem pro gravissimis illis poenis accipitur, quibus Deus affecit Pharaonem, et Aegyptios: *magnalia eius, et robustam manum, extentumque brachium, 3. Signa, et opera, quae fecit in medio Aegypti Pharaoni regi, et universae terrae eius, 4. omnique exercitui Aegyptiorum, et equis, ac curribus, quomodo operuerint eos*

aquae maris Rubri, cum vos persequerentur, et deleverit eos Dominus usque in praesentem diem, usque in praesentem diem deleti sunt, quod eorum, qui deleti sunt, nullus usque praesens se ostenderit, 5. *vobisque, quae fecerit in solitudine, donec veniretis ad hunc locum:* quoties nimirum, et quales poenas ab ipsis repetierit, quando Deum offenderunt in deserto: 6. *et Dathan, atque Abiron filius Eliab, qui fuit filius Ruben: quos aperto ore suo terra absorbuit cum domibus, et tabernaculis, et universa substantia eorum, quam habebant in medio Israel.* Domus posita est pro familia, id quod alias etiam tenet in Scriptura, ut Genesis 7. v. 1. „Ingredere tu, et omnis do„mus tua in arcam„ erat dictum a Deo ad Noe.

7. *Oculi vestri viderunt omnia opera Domini magna, quae fecit,* 8. *ut custodiatis universa mandata illius, quae ego hodie praecipio vobis, et possitis introire, es possidere terram, ad quam ingredimini,* 9. *multoque in ea vivatis tempore, quam sub iuramento pollicitus est Dominus patribus vestris, et semini eorum lacte, et melle manantem.* 10. *Terra enim, ad quam ingrederis possidendam, non est sicut terra Aegypti, de qua existi, ubi iacto semine in hortorum morem aquae ducuntur irriguae:* Caret Aegyptus pluviis. Foecundantur autem agri Nilo fluvio, qui quotannis exundat altitudine cubitorum etiam sex, et decem, nec sufficiens exundatio ea habetur, quae saltem duodecim cubitos alta non est; et quo ma-

gis aquae in remotiores etiam partes, accliviora-que loca deducantur: canales habent, machinisque utuntur ad propellendas aquas. Quod cum operosum sit, docet Moyses aliam conditionem esse regionis, ad quam venturi essent, quae statas e caelo habitura sit pluvias. 11. *Sed montosa est, et campestris de caelo exspectans pluvias.* 12. *Quam Dominus Deus tuus semper invisit, et oculi illius in ea sunt a principio anni usque ad finem eius.*

13. *Si ergo obedieritis mandatis meis, quae ego hodie praecipio vobis, ut diligatis Dominum Deum vestrum, et serviatis ei in toto corde vestro, et in tota anima vestra;* 14. *dabit pluviam terrae vestrae temporaneam, et serotinam, ut colligatis frumentum, et vinum, et oleum,* 15. *foenumque ex agris ad pascenda iumenta, et ut ipsi comedatis, ac saturemini.* Pluviae in Palaestina sunt fere tantum aequinoctiorum temporibus. Quarum altera temporanea, altera serotina isthic dicitur. Illa solet esse in autumno, quando semina terrae mandantur; haec altera in vere, antequam segetes ad maturitatem venerunt. Maturescunt autem ibi fruges iam nostro mense Aprili, atque die altera paschatis iam frugum primitiae offerebantur in templo Levitici 23. v. 11.

16. *Cavete, ne forte decipiatur cor vestrum, et recedatis a Domino, serviatisque diis alienis, et adoretis eos,* 17. *iratusque Dominus claudat caelum, et pluviae non descendant, nec terra det*

germen suum, pereatisque velociter de terra optima, quam Dominus daturus est vobis. 18. *Ponite haec verba mea in cordibus, et in animis vestris, et suspendite ea pro signo in manibus, et inter oculos vestros collocate.* Collocatio rei alicuius ante oculos nos illius oblivisci non sinit: signum autem in manibus est annulus, qui cum pretiosus esse soleat; notat tanto studio observandam esse legem; quantae curae solet esse res pretiosissima. Quae genera loquendi iam explicata sunt ad Exodi 13. v. 9. *Docete* 19. *filios vestros, ut illa meditentur, quando sederis in domo tua, et ambulaveris in via, et accubueris, atque surrexeris.* 20. *Scribes ea super postes, et ianuas domus tuae,* 21. *ut multiplicentur dies tui, et filiorum tuorum in terra, quam iuravit Dominus patribus tuis, ut daret eis, quamdiu caelum imminet terrae.* 22. *Si enim custodieritis mandata, quae ego praecipio vobis, et feceritis ea, ut diligatis Dominum Deum vestrum, et ambuletis in omnibus viis eius adhaerentes ei;* 23. *disperdet Dominus omnes gentes istas ante faciem vestram, et possidebitis eas, quae maiores, et fortiores vobis sunt.* 24. *Omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit. A deserto, et a Libano, a flumine magno Euphrate usque ad mare Occidentale erunt termini vestri.* Termini isti latiores sunt, quam reipsa postea Israelitae regionem habuerunt. Qua de re iam dictum est, ratioque illius explicata ad Genesis 15. v. 18.

25. *Nullus stabit contra vos:* hoc est nullus consistet: simplex verbum, consvetudine loquendi Hebraica, pro composito est positum: *terrorem vestrum, et formidinem dabit Dominus Deus vester super omnem terram, quam calcaturi estis, sicut locutus est vobis.* 26. *En propono in conspectu vestro hodie benedictionem, et maledictionem,* 27. *benedictionem, si obedieritis mandatis Domini Dei vestri, quae ego hodie praecipio vobis;* 28. *maledictionem, si non obedieritis mandatis Domini Dei vestri, sed recesseritis de via, quam ego nunc ostendo vobis, et ambulaveritis post deos alienos, quos ignoratis.*

29. *Cum vero introduxerit te Dominus Deus potuus in terram, ad quam pergis habitandam, pones benedictionem super montem Garizim, maledictionem super montem Hebal,* 30. *qui sunt trans Jordanem post viam, quae vergit ad solis occubitum in terra Chananaei, qui habitat in campestribus contra Galgalam, quae est iuxta vallem tendentem, et intrantem procul.* Hebraice *iuxta Elone More* (אֵצֶל אֵלוֹנֵי מֹרֶה) quod S. Hieronymus Genesis 12. v. 6. vertit *convallem illustrem.* Haec vero vonvallis, sive *Elone More* in eodem Geneseos loco collocata est prope Sichem. Ex quo consequens est etiam hos duos montes Garizim et Hebal, ibi esse quaerendos. Inferius deinde capite 27. et 28. ex illis montibus benedictionum, et maledictionum pronunciatio proponitur, quam facere deberent, postquam ingressi fuissent

terram Chanaan. Galgal autem erat locus trans Jordanem non procul ab urbe Jericho, ubi Israelitarum circumcisio est instituta, postquam transivissent Jordanem, ut hoc Libri Josue capite 5. sequetur. 31. *Vos enim transibitis Jordanem, ut possideatis terram, quam Dominus Deus vester daturus est vobis, ut habeatis, et possideatis illam.* 32. *Videte ergo, ut impleatis caerimonias, atque iudicia, quae ego hodie ponam in conspectu vestro.*

CAPVT XII.

De sacrificiis Deo offerendis nonnisi in certo, et designando a Deo loco, deque cavendis superstitiosis omnibus ritibus.

1. *HAEC sunt praecepta, atque iudicia, quae facere debetis in terra, quam Dominus Deus patrum tuorum daturus est tibi, ut possideas eam cunctis diebus, quibus super humum gradieris.* 2. *Subvertite omnia loca, in quibus coluerunt gentes, quas possessuri estis, deos suos super montes excelsos, et colles, et subter omne lignum frondosum.* 3. *Dissipate aras eorum, et confringite statuas, lucos igne comburite, et idola comminuite: disperdite nomina eorum de locis illis.* 4. *Non facietis ita Domino Deo vestro.* 5. *Sed ad locum, quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris, ut ponat Nomen suum ibi*

hoc est, ut ibi invocetur, *et habitet in eo, venietis, 6. et offeretis in loco illo holocausta, et victimas vestras, decimas, et primitias manuum vestrarum*, Hebraice *oblationes manuum vestrarum* (תְּרוּמַת יֶדְכֶם) *et vota, atque donaria, primogenita boum, et ovium. 7. Et comedetis ibi in conspectu Domini Dei vestri, ac laetabimini in cunctis, ad quae miseritis manum vos, et domus vestrae, in quibus benedixerit vobis Dominus Deus vester. 8. Non facietis ibi, quae nos hic facimus hodie singuli, quod sibi rectum videtur.* In deserto, quamdiu peregrinabantur, a privatis tantum oblationes fiebant gratuitae. Neque enim sive de primitiis, sive de decimis leges iam tum observari poterant, cum terras adhuc nullas, ex quibus illa praestarent, haberent, quas excolerent. Hoc igitur praeceptum eo pertinebat, ut quoniam in istius generis oblationibus arbitrium ad hoc tempus quisque suum sequi potuisset, atque de suis rebus offerre, quod placuisset; deinceps, postquam in regionis suae possessionem venturi essent, certis legibus oblationem de fundorum suorum proventibus adstricti tenerentur quoad primitias, et decimas. Nam, quod hoc non ad sacrificia stata, sive annua, sive diurna trahi debeat; intelligitur ex Numerorum capitis 28. v. 6. ubi haec etiam in deserto, dum peregrinarentur, non esse praetermissa demonstratum est.

9. *Neque enim usque in praesens tempus venistis ad requiem, et possessionem, quam Domi-*

nus Deus vester daturus est vobis. 10. *Transibitis Jordanem, et habitabitis in terra, quam Dominus Deus vester daturus est vobis, ut requiescatis a cunctis hostibus per circuitum, et absque ullo timore habitetis* 11. *in loco, quem elegerit Dominus Deus vester, ut sit Nomen eius in eo. Illuc omnia, quae praecipio conferetis: holocausta, et hostias, ac decimas, et primitias* (uti supra versu 6. oblationes) *manuum vestrarum, et quidquid praecipuum est in muneribus, quae vovebitis Domino.* 12. *Ibi epulabimini coram Domino Deo vestro vos, et filii, ac filiae vestrae, famuli, et famulae, atque Levites, qui in urbibus vestris commoratur, neque enim habet aliam partem, et possessionem inter vos.* 13. *Cave, ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris.* 14. *Sed in eo, quem elegerit Dominus in una tribuum tuarum offeres hostias, et facies, quaecunque praecipio tibi.* 15. *Sin autem comedere volueris, et te esus carnium delectaverit, occide, et comede iuxta benedictionem Domini Dei tui, quam dedit tibi in urbibus tuis, sive immundum fuerit, hoc est maculatum, et debile; sive mundum, hoc est integrum, et sine macula, quod offerre licet, sicut capream, et cervum comedes.* De immundo, et mundo, quod per declarationem est positum, quomodo intelligi debeat, est tantum ab Interprete Latino adiectum, ne fortasse animal intelligeretur ex genere suo immundum permitti ad comedendum. Juxta Hebraeum adcurate est: *immun-*

dus, et mundus comedet eam, videlicet carnem (הַטָּמֵא וְהַטָּהוֹר יֹאכְלֶנּוּ) 16. *absque esu dumtaxat sangvinis, quem super terram, quasi aquam, effundes.* 17. *Non poteris comedere in oppidis tuis decimam frumenti, et vini, et olei tui, primogenita armentorum, et pecorum, et omnia, quae voveris, et sponte offerre volueris, et primitias*, rursum, ut supra versu 6. oblationem *manuum tuarum.* Primogenita, et primitiae spectabant ad sacerdotes, decimae ad Levitas, ut est Numerorum 18. v. 13. et sequentibus. Nec Levitae omnes habitabant Jerosolymae, vel in loco, ubi erat tabernaculum, sed octo et quadraginta civitates per omnes tribus sibi habuerunt ad habitandum datas. Num. 35. v. 6. Non ergo istae decimae, quae illis tribuendae erant, in unum locum templi, vel tabernaculi comportandae erant, sed genus decimarum, de quibus nunc sermo est, aliud est, quaeque deferendae erant ad templum, atque ex quibus ibi, ut sequenti versu est, epulae erant instituendae. Qua de re sic loquitur S. Hieronymus in cap. 45 Ezechielis: „Erant quoque, inquit, et „aliae decimae, quas unusquisque de populo Israel in „suis horreis separabat, ut comederet eas, cum „iret ad templum in urbe Ierusalem, et in vestibulo templi, et sacerdotes, ac Levitas invita„rent ad convivia.“ Quod deinde clarius proponitur infra capitis 14. v. 22.

18. *Sed coram Domino Deo tuo comedes ea, in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, tu,*

et filius tuus, et filia tua, et servus, et famula, atque Levites, qui manent id est, habitant, *in urbibus tuis, et laetaberis, et reficieris coram Domino Deo tuo in cunctis, ad quae extenderis manum tuam.* 19. *Cave, ne derelinquas Levitam in omni tempore, quo versaris in terra.* 20. *Quando dilataverit Dominus Deus tuus terminos tuos, sicut locutus est tibi, et volueris vesci carnibus, quas desiderat anima tua.* 21. *Locus autem, quem elegerit Dominus Deus tuus, ut sit Nomen eius ibi, si procul fuerit, occides de armentis, et pecoribus, quae habueris, sicut praecepi tibi, et comedes in oppidis tuis, ut tibi placet.* 22. *Sicut comeditur caprea, et cervus, ita vesceris eis: et mundus, et immundus in commune vescentur.* Posset videri modo hic esse hoc praeceptum datum, ut, quae solius etiam victus, et ciborum gratia pecudes occiderentur; hae duci debuerint, et mactari ante tabernaculum, nisi fortasse longius distaret. At iam ad Levitici cap. 17. v. 4. demonstratum est, in castris quoque, et agris, semoteque a tabernaculo nonnisi eiusmodi pecorum mactationes fuisse vetitas, et interdictas, quae fierent sacrificandi gratia. Haec igitur conditio, quae hic modo posita est occidendi pecudes, et comedendi earum carnes, etiam extra tabernaculum, si hoc longius distaret, pertinet ad genus illud decimarum, de quo modo proxime sermo fuit versu superiore decimo septimo. De quibus omnino epulae institui debebant in loco templi, et tabernaculi, et ad

quas Levitae erant invitandi. Quoad has igitur epulas, mactationesque pecorum ad eas ex his decimis, datur illa facultas, ut ii, qui procul a loco tabernaculi, vel templi distarent, possint eas etiam domi instituere. Atque hoc deinde confirmat illud quoque, quod inferius versu 26. ex voto erga Deum mactationes pecorum solum excipiantur, quas non liceret domi facere: et de quibus ita praecipitur, quod ubi essent factae; aliquaque pars victimae esset cremata in altari, alteraque inde sacerdoti obtigisset; reliquum illius rediret ad offerentem illam victimam, ex qua sibi institueret epulum, ut subsequetur infra versu 27.

23. *Hoc solum cave, ne sangvinem comedas. Sangvis enim eorum pro anima est, et idcirco non debes animam comedere cum carnibus.* Quonam modo hoc intelligendum sit, sangvinem animantis esse pro illius anima explicatum est ad Levitici 17. v. 11. *Sed super terram* 24. *fundes quasi aquam,* 25. *ut bene sit tibi, et filiis tuis post te, cum feceris, quod placet in conspectu Domini.* 26. *Quae autem sanctificaveris, et voveris Domino; tolles, et venies ad locum, quem elegerit Dominus,* 27. *et offeres oblationes tuas carnem, et sangvinem super altare Domini Dei tui: sangvinem hostiarum fundes in altari, carnibus autem ipse vesceris.* Armus tamen dexter, et pectus immolatae pecudis in eiusmodi victimis obtigerunt sacerdoti, ut est Levitici 7. v. 31. ubi ritus istorum sacrificiorum plenius describitur. 28.

Observa, et audi omnia, quae ego praecipio tibi, ut bene sit tibi, et filiis tuis post te in sempiternum, cum feceris, quod bonum est, et placitum in conspectu Domini Dei tui.
29. Quando disperdiderit Dominus Deus tuus ante faciem tuam gentes, ad quas ingredieris possidendas, et possederis eas, atque habitaveris in terra earum,
30. cave, ne imiteris eas, postquam te fuerint introeunte subversae, et requiras caerimonias earum dicens: sicut coluerunt gentes istae deos suos, ita et ego colam.
31. Non facies similiter Domino Deo tuo. Omnes enim abominationes, quas aversatur Dominus, fecerunt diis suis offerentes filios, et filias, et comburentes igni.
32. Quod praecipio tibi; hoc tantum facito Domino; nec addas quidquam, nec minuas.

CAPVT XIII.

Prophetae non esse fidem adhibendam, qui seducere conatur ad idololatriam, et tam hunc, quam omnes alios istiusmodi seductores interficiendos, atque ipsum locum, cuius incolae defecissent ad idololatriam, esse evertendum.

1. Si surrexerit in medio tui prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, et praedixerit signum, atque portentum,
2. et evenerit, quod locutus est, et dixerit tibi: eamus, et sequamur deos alienos, quos ignoras, et serviamus eis;
3. non audies

verba

verba prophetae illius, aut somniatoris: Facile perspicitur prophetae nomen hic tribui ei, non qui reipsa talis, sed tantum ad speciem sit, qui luculentius infra vers. 5. auctor fictorum somniorum adpelletur. Nam nomine hoc etiam Baal prophetae adpellantur 3. Reg. 18. v. 19. licet veri prophetae non fuerint. Non est vero repugnans, ut ab istis vel casu etiam aliqua praedicantur, et tangantur, quaedam item naturali etiam prudentia possint praevideri, et perspici, aut intervenire astutia, ut cum quis illud praedicit, quod occulte scit apparari ab alio, aut si consilii ipse etiam sit particeps. Sed etiam nonnumquam per homines improbos, et ariolos, vera possunt oracula edi, uti factum est per Balaam Numerorum capite 22. Numquam tamen ad confirmationem alicuius erroris, et falsitatis, quod deceptionis culpa in Deum recideret, quod fieri non potest: *Quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non, in toto corde, et in tota anima vestra.* Cum Deus intentator malorum sit, ipse autem neminem tentet, ut S. Jacobus ait cap. 1. v. 13. non hoc Deus agit, ut abducantur a vera Religione, qui per falsos prophetas oppugnantur; sed tentari, et oppugnari illos sinit quo et eorum, qui firmi in Dei Religione sunt, virtus magis eluceat, atque, sicut hic ponitur, ut palam fiat, utrum diligerent eum; et quibus male contecta, lubricaque Religio est; detraheretur etiam ipse fucus, et simulacrum verae Religionis. Quo modo etiam a S. Pau-

lo 1. Cor. 11. v. 19. dictum est. „Oportet et haere-„ses esse, ut et qui probati sunt, manifesti fiant.“ Sed haec tentatio sita est quoad Deum in sola ipsius permissione, ut omnia etiam alia mala ipsius permissu in mundo fiunt. Et tamen mala, et perversa actione tentatoris Deus utitur ad exercendam suorum virtutem, atque constantiam. Quod et illis prodest, quia post victoriam amplius coronantur; et forti dimicatione adversus tentationem illustratur honor Dei, dum palam fit, quanto studio sit illius Religioni inhaerendum. Est autem aliud etiam genus tentationis, quando Deus arduum aliquid praecipit, aut rebus adversis alicuius erga se exercet fiduciae, et pietatis constantiam. Priori modo tentavit Deus Abrahamum, quando ei praecepit, ut filium suum, quem diligebat Isaac, immolaret, Gen. 22. v. 1. altero Tobiam, ad quem sic Angelus locutus est: „Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, „ut tentatio probaret te.“ Tobiae 12. v. 13.

4. *Dominum Deum vestrum sequimini, et ipsum timete, et mandata illius custodite, et audite vocem eius, ipsi servietis, et ipsi adhaerebitis.* 5. *Propheta autem ille auctor fictorum somniorum interficietur, quia locutus est, ut vos averteret a Domino Deo vestro, qui eduxit vos de terra Aegypti, et redemit vos de domo servitutis, ut errare te faceret de via, quam tibi praecepit Dominus Deus tuus, et auferes malum de medio tui.* 6. *Si tibi voluerit persvadere frater tuus filius matris tuae, aut filius tuus, vel filia,*

sive uxor, quae est in sinu tuo, aut amicus, quem diligis, ut animam tuam, clam dicens: eamus, et serviamus diis alienis, quos ignoras tu, et patres tui, cunctarum 7. in circuitu gentium, quae iuxta, vel procul sunt ab initio usque ad finem terrae; 8. non adquiescas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus, ut miserearis, et occultes eum: 9. sed statim interficies. Sit primum manus tua super eum, et postea omnis populus mittat manum. 10. Lapidibus obrutus necabitur, quia voluit te abstrahere a Domino Deo tuo, qui eduxit te de terra Aegypti, de domo servitutis, 11. ut omnis Israel audiens timeat, et nequaquam ultra faciat quidpiam huius rei simile. 12. Si audieris in una urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi ad habitandum, dicentes aliquos: 13. egressi sunt filii Belial eum significat nomen hoc, qui sine iugo est, Latine diceremus effraenem, et proiectum ad omnem licentiam: Septvaginta Graece verterunt παρανόμους, quod impium significat, et legum transgressorem, S. Hieronymus autem 3. Reg. 21. v. 13. pro filiis Belial etiam filios diaboli vertendo posuit, *de medio tui, et averterunt habitatores urbis suae, atque dixerunt: eamus, et serviamus diis alienis, quos ignoratis; 14. quaere solicite, et diligenter. Rei veritate perspecta si inveneris certum esse, quod dicitur, et abominationem hanc opere perpetratam; 15. statim percuties habitatores urbis illius in ore gladii, et delebis eam, ac*

omnia, quae in illa sunt usque ad pecora. 16. *Quidquid etiam supellectilis fuerit, congregabis in medio platearum eius, et cum ipsa civitate succendes, ita ut universa consumas Domino Deo tuo, ut sit tumulus sempiternus: non aedificabitur amplius.* 17. *Et non adhaerebit de illo anathemate* (res exitio devota vocatur anathema, ut hoc iam alias demonstratum est,) *quidquam in manu tua, ut avertatur Dominus ab ira furoris sui, et misereatur tui, multiplicetque te sicut iuravit patribus tuis,* 18. *quando audieris vocem Domini Dei tui custodiens omnia praecepta eius, quae ego praecipio tibi hodie, ut facias, quod placitum est in conspectu Domini Dei tui.*

CAPUT XIV.

De fugiendis gentilium superstitiosis ritibus in funeribus, de discrimine mundorum animalium ab immundis, de decimis solvendis.

---

1. *FILII estote Domini Dei vestri:* Filiorum adpellatio proprie pertinet ad spiritum novi Testamenti, et ad spiritum gratiae, qua adoptamur a Deo in filios, ut est apud Paulum: „Non enim, „inquit, accepistis spiritum servitutis iterum in „timore, sed accepistis spiritum adoptionis filio„rum, in quo clamamus: Abba Pater“ Rom. 8.

v. 15. Nempe, quamvis ille Spiritus gratiae non esset proprius veteris Testamenti, neque obtineretur vi legis, quae potius afferret timorem: tamen vi fidei in venturum Christum iam etiam dabatur, licet parcius in Veteri Testamento. An non Spiritu filii, et amoris impulsu Moyses fuit actus, quo nemo familiarius, et confidentius egit cum Deo? Aliterne patriarchae, prophetae, ceterique sancti viri, quam ut filii erga patrem se gesserunt, observantesque erga eum fuerunt? Aut Spiritus iste servilis fuit, quando David amoris affectu liquefactus erga Deum, ardentissimeque illum desiderans ita suspiravit: „Quid mihi est in caelo, et „a te, quid volui super terram? Defecit caro „mea, et cor meum: Deus cordis mei, et pars „mea Deus in aeternum.“ Psal. 72. v. 24. Quare, dum Moyses Israelitas hortatur, ut filii sint Domini Dei sui, hoc est, ne ex metu servili, verum ex amore tali erga Deum, quali filius fertur erga suum patrem, observandae legi studerent; eo ipsos dirigebat, quo ipsa etiam tendebat lex, quae illis paedagogus erat erga Christum: (Gal. 3. v. 24.) uti per fidem erga Christum Spiritum ex eo sugerent gratiae, per quam ex amore erga Deum libenter exsequerentur sibi datam ab eo legem, et sine cuius gratiae viribus legem observaturi non essent.

Non vos incidetis, nec facietis calvitium super mortuo. Non apud omnes superstitio intra istos fines incidendi suum corpus, capillosque vellendi se tenuit, sed vel apud ipsos Romanos, eousque

progressa est, ut in funeribus illorum primum quidem, et antiquiore consvetudine iugularentur servi, deinde vero digladiationes instituerentur, servarentque peculiare genus hominum pro istis digladiationibus, quod humano sangvine putarent placari deos defunctorum manibus: Cognati autem, et propinqui illius, qui erat defunctus, capillos sibi evellebant, eosque in rogum, ubi defunctus cremabatur, iniiciebant. 2. *Quoniam populus sanctus es Domino Deo tuo, et te elegit, ut sis ei in populum peculiarem de cunctis gentibus, quae sunt super terram.* 3. *Ne comedatis, quae immunda sunt.* 4. *Hoc est animal, quod comedere debetis: bovem, et ovem, et capram,* 5. *cervum, et capream, bubalum, tragelaphum, pygargum, orygem, camelopardalum.* Caprea eadem est, quae dama, Pro bubalo in Hebraeo vocabulum est *Jachmur* (יַחְמוּר) Bis tantum illud in tota Scriptura occurrit: hic, et 3. Reg. cap. 4. v. 23. ubi inter silvestres feras ponitur, ex quibus epulae instruerentur Salomoni. Hebraeorum tamen doctores, ut Scelomoh, et Kimchi, deinde ex Christianis etiam Sanctes, Vatablus speciem alicuius caprae maioris silvestris censent eo vocabulo intelligi. Sed Interpretes Septvaginta in Codice manuscripto Alexandrino, qui antiquissimus habetur, positum habent βέβαλον bubalum. Horum ergo auctoritas in vocabuli istius recta intelligentia videtur anteponenda. Tragelaphus vox est Graeca composita ex τράγος, quae hircum, et ἔλαφος, quae cervum significat,

quod specie capitis simile sit hirco, reliquo autem corpore referat cervum, ut illud etiam Plinius describit l. 8. cap. 33. quodque ad Phasin fluvium dicitur habitare. Hebraice autem est *Akko* (אַקּוֹ) et hircum silvestrem esse, communius censent Interpretes. Forsterus in opinionem venit designari eo nomine alcen, quod genus animalis describit Julius Caesar l. 6. de Bello Gallico, et Plinius l. 8. cap. 15. Pygargus itidem vox Graeca est, et est nomen aquilae cuiusdam speciei, quae albicantem caudam habet, hoc enim Graecum vocabulum vi sua significat. Sed etiam isto nomine esse genus caprae silvestris docet Plinius l. 8. cap. 53. ea parte corporis, quae circa alvum est, albescente. Ad album aliquem illius colorem alludit ipsum etiam Hebraicum illius nomen *Dischon* (דִּישֹׁן) quod derivatum a *Deschen* cinerem significat. Quadrupes autem hoc magis animal, quam aquilae illam esse speciem, hoc declarat, quod hae species, ut subsequens versus demonstrat, ex animalium generibus ruminantibus sint, quod avibus non convenit. Oryx est animal, quod Plinius l. 8. cap. 53. iam inter cervos, iam inter silvestres capras refert, docetque esse unicorne. Nomen apud Graecos inde videtur traxisse, quod pedibus terram foderet. Nam ὀρύσσω, unde ὄρυξ deducitur, significat fodere. Camelopardalus Hebraice *Zemer* (זֶמֶר) est: id vero, quoniam vi suae vocis significat aliquid saltans, ideo, ut Syrus etiam vertit, videtur convenientissime rupicapra esse intelligenda.

6. *Omne animal, quod in duas partes findit ungulam, et ruminat, comedetis.* 7. *De his autem, quae ruminant, et ungulam non findunt, comedere non debetis, ut camelum, leporem, chocrogrillum: haec quia ruminant, et non dividunt ungulam, immunda erunt vobis.* Chocrogrillus, quale animal sit, expositum est ad Levitici 11. v. 5. 8. *Sus quoque, quoniam dividit ungulam, et non ruminat, immunda erit: carnibus eorum non vescemini, et cadavera non tangetis.* 9. *Haec comedetis ex omnibus, quae morantur in aquis: quae habent pinnulas, et squammas, comedite.* 10. *Quae absque pinnulis, et squammis sunt, ne comedatis, quia immunda sunt.* 11. *Omnes aves mundas comedite.* 12. *Immundas ne comedatis: aquilam scilicet, et gryphem, et haliaeethum,* 13. *ixion, et vulturem, ac milvum iuxta genus suum,* 14. *et omne corvini generis,* 15. *et struthionem, ac noctuam, et larum, atque accipitrem iuxta genus suum,* 16. *herodium, ac cygnum, et ibin,* 17. *ac mergulum, porphyrionem, et nycticoracem,* 18. *onocrotalum, et charadrium, singula in genere suo: upupam quoque, et vespertilionem,* 19. *et omne, quod reptat, et pennulas habet, immundum erit, et non comedetur.* Ex his avium generibus, quae obscura nomina sunt, explicata sunt omnia Levitici capite 11. ubi eadem haec res tractatur, praeter ixionem: qui in Hebraeo vocatur *Raah.* (רָאָה) Est autem vulturis species, quae sic ab Hebraeis nominatur, quod acutissimum visum habeat, atque ad hunc mo-

dum hoc etiam Interpretes Septvaginta verterunt, et vocabulum τὸν γύπα Graece posuerunt, quod omnino vulturem significat. 20. *Omne, quod mundum est, comedite.* 21. *Quidquid autem morticinum est, ne vescamini ex eo. Peregrino, qui intra portas tuas est, da, ut comedat, aut vende ei, quia tu populus sanctus Domini Dei tui es. Non coques hoedum in lacte matris suae.* Exodi cap. 23. v. 19. iam etiam hoc praeceptum fuit datum, ibique hoc explanatum est.

22. *Decimam partem separabis de cunctis fructibus tuis, qui nascuntur in terra per annos singulos.* 23. *Et comedes in conspectu Domini Dei tui in loco, quem elegerit, ut in eo Nomen illius invocetur, decimam frumenti tui, et vini, et olei, et primogenita de armentis, et ovibus tuis, ut discas timere Dominum Deum omni tempore.* Hoc genus decimarum fuisse diversum ab iis, quae decimae omnium rerum praestandae erant Levitis, illisque dandae; non tantum, ut ad illarum convivium invitarentur, quod non illos valde beasset, demonstratum est supra ad capitis 12. v. 17. Erant vero primogenita omnia integre sacerdotum Num. 18. v. 15. nec ex his quidquam redibat ad offerentes. Quomodo ergo isti nihilominus epulas sibi ex his iubentur instruere? Primogenita, quae sexus masculini erant, erant simpliciter Deo offerenda, et postquam immolata essent, nihil ex carnibus immolati animalis pertinebat ad offerentem, sed totum ad sacerdotes: at hoc praecise tantum fiebat de primogeni-

tis maribus. Quod si feminini sexus essent, non subiacebant huic legi; sed tamen, ut coram tabernaculo sacrae ex iis, et religiosae epulae instituerentur, erat praeceptum. Atque ista erant primogenita, de quibus modo in praesenti loco est sermo. Quod ad sequentis capitis versum 20. magis adhuc declarabitur.

24. *Cum autem longior fuerit via, et locus, quem elegerit Dominus Deus tuus, tibique benedixerit, nec potueris ad eum haec cuncta portare,* 25. *vendes omnia, et in pretium rediges, portabisque manu tua, et proficisceris ad locum, quem elegit Dominus Deus tuus,* 26. *et emes ex eadem pecunia, quidquid tibi placuerit sive ex armentis, sive ex ovibus, vinum quoque, et siceram, et omne, quod desiderat anima tua, et comedes coram Domino Deo tuo, et epulaberis tu, et domus tua,* 27. *et Levites, qui intra portas tuas est. Cave, ne derelinquas eum, quia non habet aliam partem in possessione tua.* 28. *Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus, quae nascuntur tibi eo tempore, et repones intra ianuas tuas.* 29. *Venietque Levites, qui aliam non habet partem, nec possessionem tecum, et peregrinus, ac pupillus, et vidua, qui intra portas tuas sunt, et comedent, et saturabuntur, ut benedicat tibi Dominus Deus in cunctis operibus manuum tuarum, quae feceris.* Genus ergo adhuc hoc erat tertiae decimae. A cuius observantia laudatus est Tobias, de quo est illum tertio anno proselytis, et advenis ministrasse omnem decimationem. Tobiae 1. v. 7. Phrasis ista:

qui intra portas tuas sunt, significat per synecdochen incolas, et habitatores eiusdem urbis. Ruth 3. v. 11.

CAPVT XV.

De anno remissionis observando, de studio subveniendi pauperibus, de manumissione servorum, et offerendis primogenitis.

1. SEPTIMO *anno facies remissionem.* 2. *Quae hoc ordine celebrabitur: cui debetur aliquid ab amico, vel proximo, ac fratre suo, repetere non poterit, quia annus remissionis est Domini.* Id, quod Latinus Interpres posuit: *septimo anno*, Hebraice est: *a fine* (מִקֵּץ) *septimi anni.* Quare hoc sic posset videri, quasi in fine tantum huius anni septimi haec remittendi debita obligatio tenere debuerit, antea vero etiam hoc anno exigere illa licuerit. Hebraicum illud vocabulum *ketz* generatim significat extremitatem rei alicuius, sive illa a principio, sive a fine sit. Cuius rei exemplum est Exodi 26. v. 28. Nam, quod Latina nostra versio sic habet de tabernaculi vectibus: „Qui mitten„tur per medias tabulas a summo usque ad summum:" in Hebraeo est: *ab extremo ad extremum* (מִן־הַקָּצֶה אֶל־הַקָּצֶה) hoc est, ab una tabulae parte ad alteram: quarum profecto altera anterior, altera posterior fuit. Deinde, quoniam, ut versicu-

lo hoc secundo est, ille annus remissionis fuit, religioque illius per integrum annum duraverit; consequitur istud quoque, in quo praecipue sita erat religio illius anni, ut remitterentur debita, statim cum principio illius vigere coepisse. 3. *A peregrino, et advena exiges: civem, et propinquum repetendi non habebis potestatem.* Pars altera huius versus est sic adcurate in Hebraeo: *Et quod erit tibi apud fratrem tuum, remittet manus tua.* (וַאֲשֶׁר יִהְיֶה לְךָ אֶת־אָחִיךָ תַּשְׁמֵט יָדֶךָ) Fuisseque talem hanc remissionem, atque debiti condonationem, ut etiam transacto anno septimo ius illius non fuerit amplius repetendi, ex eo deducitur, quod infra versu 9. admoneantur, ne, si annus remissionis iste septimus adpropinquaret, ideo difficiliores sint in commodanda pecunia. Nam si post annum etiam adhuc septimum debitum restitui debuisset; ratio, cur propterea, quod annus ille prope esset, minus faciles in mutuanda pecunia essent, nulla fuisset.

4. *Et omnino indigens, et mendicus non erit inter vos*, hoc est, quantum in ipsis esset, ne aliquem permitterent egere, sed illi studerent subvenire, nam nihilominus pauperes futuros inter eos, diserte infra versu 11. dicitur: *ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in terra, quam traditurus est tibi in possessionem: 5. si tamen audieris vocem Domini Dei tui, et custodieris universa, quae iussit, et quae ego hodie praecipio tibi, benedicet tibi, ut pollicitus est. 6. Foenerabis gentibus multis, et ipse a nullo accipies mutuum. Dominaberis*

nationibus plurimis, et tui nemo dominabitur. Hoc instar benedictionis promissum est, si benigni essent erga pauperes. Spondet nimirum eam facultatum illis copiam, ut pecuniam aliis possint plurimis dare mutuam, ipsi a nemine cogerentur, et necesse haberent eam petere. Pro foenerari, et mutuo accipere utrobique in Hebraeo verbum est *Abat* (עָבַט) quod proprie significat dare, vel accipere pecuniam sub pignore. Itaque de usura accipienda ab aliquo supra sortem pecuniae, quae mutuo data est, hic sermo non est. Infra capitis 23. v. 19. hoc Israelitis permissum est erga solos exteros, et alienigenas.

7. *Si unus de fratribus tuis, qui morantur intra portas civitatis tuae, in terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, ad paupertatem venerit, non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum.* 8. *Sed aperies eam pauperi, et dabis mutuum, quo eum indigere perspexeris.* 9. *Cave, ne forte subrepat tibi impia cogitatio, et dicas in corde tuo: adpropinquat septimus annus remissionis, et avertas oculos tuos a paupere fratre tuo nolens ei, quod postulat, mutuum commodare, ne clamet contra te ad Dominum, et fiat tibi in peccatum.* 10. *Sed dabis ei, nec ages quidpiam callide in eius necessitatibus sublevandis, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni tempore, et in cunctis, ad quae manum miseris.* 11. *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuae; idcirco ego praecipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno,*

et pauperi, qui tecum versatur in terra. 12. *Cum tibi venditus fuerit frater tuus Hebraeus, aut Hebraea, et sex annis serviverit tibi, in septimo anno dimittes eum liberum.* Septimum hunc annum non semper sabbaticum, sed quiscunque ab inita servitute septimus esset, debere intelligi, demonstratum est ad Exodi 21. v. 2.

13. *Et quem libertate donaveris, nequaquam vacuum abire patieris.* 14. *Sed dabis viaticum de gregibus, et de area, et torculari tuo, quibus Dominus Deus tuus benedixerit tibi.* 15. *Memento, quod et ipse serviveris in terra Aegypti, et liberaverit te Dominus Deus tuus, et idcirco ego nunc praecipio tibi.* 16. *Sin autem dixerit: nolo egredi, eo quod diligat te, et domum tuam, et bene sibi apud te esse sentiat;* 17. *assumes subulam, et perforabis aurem eius in ianua domus tuae, et serviet tibi usque in aeternum. Ancillae quoque similiter facies.* 18. *Non avertas ab eis oculos tuos, quando dimiseris eos liberos, quoniam iuxta mercedem mercenarii per sex annos servivit tibi, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus, quae agis.* 19. *De primogenitis, quae nascuntur in armentis, et in ovibus tuis, quidquid est sexus masculini, sanctificabis Domino Deo tuo. Non operaberis in primogenito bovis, et non tondebis primogenita ovium.* Cum primogenita duplicis esse sexus potuerint, solos tamen mares sibi Deus offerri etiam Exodi 13. v. 12. praecepit. Itaque hos nec sibi reservare ad laborem: nec lanae, et velle-

ris aliquem ex illis fructum capere licebat. Idemque hoc praeceptum pertinuisse ad primogenita sexus feminei, ex eo deducitur, quod subsequente versu 20. sic continuet sermonem: *In conspectu Domini Dei tui comedes ea per annos singulos in loco, quem elegerit Dominus, tu, et domus tua.* Nam ex primogenitis masculini sexus, quaeque Deo immolanda, et sacrificanda erant, nullae carnes ad eos, qui illa offerebant, sed tantum ad solos sacerdotes redibant, ut adeo, ne epulas quidem sibi inde etiam instituere potuerint. Itaque, cum modo isto versu positum sit, quemque de suis primogenitis debere edere coram tabernaculo, neque hoc dictum sit de solis sacerdotibus, consequens est, ut haec intelligantur primogenita fuisse sexus feminei. Quae scilicet, etsi non ea ratione possent Deo offerri, quo primogenita masculini sexus; tamen possent, et deberent offerri instar victimarum pacificarum. Ex quibus cum praeter armum dextrum, et pectus, quae ad sacerdotes pertinebant, reliquae pecudis immolatae carnes omnes ad offerentes redirent, ex his isti sibi parare epulas, nec ad alium, quam ad huius sacri convivii usum adhibere eas permittebantur. 21. *Sin autem habuerit maculam, vel claudum fuerit, vel caecum, aut in aliqua parte deforme, vel debile*, Syrus hoc de macula, ne putaretur hanc coloris tantum esse maculam in pilis, vel vellere, clarius ita vertit: „Si fuerit in eo „vitium, ut claudicatio, vel caecitas, aut quaevis „alia deformitas" *non immolabitur Domino Deo*

tuo. 22. *Sed intra portas urbis tuae comedes illud: tam mundus, quam immundus similiter vescentur eis, quasi caprea, et cervo.* Nempe, cum sacrificare tum illa non liceret, nec sacras epulas inde parare; tamen ad vulgares cibos permittebantur. 23. *Hoc solum observabis, ut sangvinem eorum non comedas, sed effundes in terram quasi aquam.*

CAPVT XVI.

De tribus primariis per annum solennitatibus, deque iudiciorum aequitate observanda.

1. *OBSERVA mensem novarum frugum, et verni primum temporis, ut facias Phase Domino Deo tuo, quoniam in isto mense eduxit te Dominus Deus tuus de Aegypto nocte.* Is erat primus mensis, quo factum est plenilunium primum post aequinoctium vernum, idemque mensis novarum frugum dicebatur, quod tum iam inciperent maturescere fruges: quarum primitiae offerri debebant die altera Paschatis. (Levit. 28. v. 11.) 2. *Immolabisque Phase Domino Deo tuo de ovibus, et de bobus in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet Nomen eius ibi.* Phase, et victima paschalis consistebat proprie in agno, vel hoedo. (Exodi 12. v. 3, 5.) At per dies septem, quibus continuabatur solennitas Paschatis, erant praescripta alia etiam sacrificia agnorum septem, duorum vitulorum,

rum, hirci, et arietis unius. (Num. 28. v. 19.) 3. *Non comedes in eo panem fermentatum: septem diebus comedes absque fermento afflictionis panem, quoniam in pavore egressus es de Aegypto, ut memineris diei egressionis tuae de Aegypto omnibus diebus vitae tuae.* De illo Israelitarum egressu ex Aegypto dicitur Psalmi 104. v. 43. „Eduxit po„pulum suum in exultatione, et electos suos in „laetitia.“ Illud, quod Latinus Interpres posuit *in pavore* Hebraice est *in festinatione* (בְּחִפָּזוֹן) ut illud etiam Septvaginta Interpretes Graece verterunt: ἐν σπεδῆ. Hacque omnino de causa azymum tantum panem sibi poterant parare propter accelerationem itineris Exod. 12. v. 39. Qui idem panis afflictionis adpellatur, quod, quoniam et facilius, celeriusque, et minore impensa pararetur, illorum iste panis esse consveverit, quos inopia affligeret.

4. *Non adparebit fermentum in omnibus terminis tuis septem diebus, et non remanebit de carnibus eius, quod immolatum est vespere in die primo usque mane.* 5. *Non poteris immolare Phase in qualibet urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus est tibi.* 6. *Sed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet Nomen eius ibi, immolabis Phase vespere ad solis occasum, quando egressus es de Aegypto.* 7. *Et coques, et comedes in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus*; totus assari debebat agnus paschalis (Exod. 12. v. 9.) et sic comedi: sed nimirum coquere etiam Latine bene pro assatione dicitur: *mancque consur-*

gens vades in tabernacula tua: peracto nimirum toto Paschatis festo, quod per septiduum durabat. 2. Paralipomenon 35. v. 17. luculenter est sub Josia rege septem diebus celebratum esse pascha ab omnibus, qui tum erant Israelitae. 8. *Sex diebus comedes azyma, et in die septima, quia collecta est Domini Dei tui, non facies opus.* Etiam septima die utendum erat azymis, abstinendumque a fermento. Nam hoc de septima etiam die manifeste positum est supra huius capitis versu 3. Non ergo hoc nunc de sex diebus, quibus comedendum esset azyma, quasi dissentaneum est ab illo, sed sumendum est: quasi positum esset sic: sex diebus comedendum esse azyma, septima autem die insuper non faciendum etiam esse aliquod opus, hoc est vacandum esse ab opere, et labore servili, ut hoc additum tantum ad observantiam diei septimae praeter azyma intelligatur, non solum, quod fieri debeat die septima, esse putetur. Pro collecta autem in Hebraeo vocabulum est, quod conclusionem significat, totius videlicet solennitatis paschalis: *Conclusio Domino Deo tuo* (עֲצֶרֶת לַיהוָה אֱלֹהֶיךָ) Idcirco, sicut prima, ita haec extrema quoque ceteris celebrior erat dies.

9. *Septem hebdomadas numerabis tibi ab ea die, qua falcem in segetem miseris.* Dies haec erat altera Paschatis, qua nomine primitiarum ex novis illius anni frugibus manipulus unus offerebatur in templo. 10. *Et celebrabis diem festum hebdomadarum Domino Deo tuo oblationem spontaneam*

manus tuae, quam offeres iuxta benedictionem Domini Dei tui. Graece Pentecostes hoc festum dicitur, in memoriam datae legis in monte Sinai, quinquagesima, postquam ex Aegypto exivissent, die. Erant vero certa, atque stata ad hanc hebdomadarum solennitatem praescripta sacrificia Levitici 23. v. 18. et Numerorum 28. v. 27. Sed illa erant publica, et nomine totius populi offerenda. Praeter quae hic modo praecipitur, ut privatim etiam quisque pro se, et pro modulo suarum facultatum, sacrificia offerenda curaret, ex hisque sacras epulas institueret. 11. *Et epulaberis coram Domino Deo tuo tu, filius tuus, et filia tua, servus tuus, et ancilla tua, et Levites, qui est intra portas tuas, advena, ac pupillus, et vidua, qui morantur vobiscum, in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet Nomen eius ibi.* 12. *Et recordaberis, quoniam servus fueris in Aegypto, custodiesque, ac facies, quae praecepta sunt.*

13. *Solennitatem quoque tabernaculorum celebrabis per septem dies, quando collegeris de area, et torculari fruges tuas.* 14. *Et epulaberis in festivitate tua tu, filius tuus, et filia, servus tuus, et ancilla, Levites quoque, et advena, pupillus, ac vidua, qui intra portas tuas sunt.* 15. *Septem diebus Domino Deo tuo festa celebrabis in loco, quem elegerit Dominus, benedicetque tibi Dominus Deus tuus in cunctis frugibus tuis, et in omni opere manuum tuarum, erisque in laetitia.* 16. *Tribus vicibus per annum adparebit omne masculinum*

tuum in conspectu Domini Dei tui in loco, quem elegerit: in solennitate azymorum, in solennitate hebdomadarum, et solennitate tabernaculorum. Non apparebit ante Dominum vacuus, 17. *sed offeret unusquisque secundum quod habuerit iuxta benedictionem Domini Dei sui, quam dederit ei.* 18. *Judices, et magistros constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi per singulas tribus tuas, ut iudicent populum iusto iudicio,* 19. *nec in alteram partem declinent:* in omnibus portis suarum nimirum civitatum, ut iudices, et magistratus constituant, qui ius administrent, nam in portis civitatum apud Hebraeos morem fuisse iudicia celebrandi etiam infra huius libri cap. 21. v. 19. et cap. 25. v. 7. documenta sunt.

Non accipies personam hoc est, ne respectu moverentur iudices alicuius personae, dum de illa iudicium exercerent, ut propterea ab aequitate iudicii deflectant, *nec munera, quia munera excaecant oculos sapientum, et mutant verba iustorum:* ab aequitate videlicet ad pravitatem illa mutant, et transferunt eos, qui illa accipiunt. 20. *Juste, quod iustum est, persequeris:* Hebraice: *iustitiam iustitiam sequeris.* (צֶדֶק צֶדֶק תִּרְדֹּף) Geminatio autem vocis intendit illius significationem: *ut vivas, et possideas terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi.* 21. *Non plantabis lucum, et omnem arborem iuxta altare Domini Dei tui.* 22. *Nec facies tibi, neque constitues statuam* Hebraice *Matzebah*

(מַצֵּבָה) quae vox, non tantum statuam, sed omne id, quod monumenti causa constituitur, significat, sicut etiam ille lapis, quem Jacob erexit in titulum Genesis 28. v. 18. isto eodem nomine compellatur: *quae odit Dominus Deus tuus.* Etiamne factum Jacobi, dum pro monumento, quod Deus illi in illo loco adparuerit, lapidem statuit, Deus oderat? Quid igitur? nempe lapidum monumenta Deus talia prohibuit, in quibus ad imitationem gentilium aliqua esset superstitio, sicut ipsas etiam arbores prope suum altare: quoniam istum morem circa sua altaria plantandi arbores, haberent gentiles. Nam etiam altare, et tumulum lapideum, quem eae tribus, quae trans Jordanem habitarunt, sibi exstruxerunt, cum prima fronte reliqui omnes Israelitae reprehendissent, adversusque illos consurgere fuissent parati; deinde dum facti ab illis rationem rescivissent, et tantum pro monumento esse ab illis hunc exstructum tumulum intellexissent; factum probaverunt, immunesque, et expertes praevaricationis agnoverunt. Josue 22. v. 31.

CAPVT XVII.

De interficiendis iis, qui prolaberentur ad idololatriam, de recursu ad iudicium sacerdotum, de futuro rege.

1. *NON immolabis Domino Deo tuo ovem, et bovem, in quo est macula, aut quidpiam vitii, quia abominatio est Domino Deo tuo.* Hoc de ma-

cula, esse intelligendum non de coloris aliqua varietate in vellere, vel pilis pecudis, sed de membrorum, et valetudinis integritate, ad Levitici cap. 1. v. 3. demonstratum iam est. 2. *Cum reperti fuerint apud te intra unam portarum tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi:* civitatis portarum, ut hoc ad superioris capitis versum 18. demonstratum est, *vir, aut mulier, qui faciant malum in conspectu Domini Dei tui, et transgrediantur pactum illius, 3. ut vadant, et serviant diis alienis, et adorent eos, solem, et lunam, et omnem militiam caeli,* militiae nomine astra intelliguntur propter mirabilem suum concentum, motusque sui ordinem tam adcuratum, et exactum, quam in exercitu mandatum sui imperatoris milites observant, ordinateque munia sua peragunt: *quae non praecepi, 4. et hoc tibi fuerit nunciatum, audiensque inquisieris diligenter, et verum esse repereris, et abominatio facta est in Israel, 5. educes virum, ac mulierem, qui rem sceleratissimam perpetrarunt, ad portas civitatis tuae, et lapidibus obruentur. 6. In ore duorum, aut trium testium peribit, qui interficietur.* Praepositio *in* loco praepositionis *per* est posita. Chaldaeus: „Per dictum „duorum, aut trium testium occidatur.“ *Nemo occidatur uno contra se dicente testimonium. 7. Manus testium prima interficiet eum, et manus reliqui populi extrema mittetur* (Chaldaeus: Et manus totius populi postea) *ut auferas malum de medio tui.*

8. *Si difficile, et ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sangvinem et sangvinem; causam et causam; lepram et lepram; et iudicum intra portas tuas videris verba variari; surge, et adscende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus,* 9. *veniesque ad sacerdotes Levitici generis, et ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quaeresque ab eis: qui indicabunt tibi iudicii veritatem,* 10. *et facies, quodcumque dixerint, qui praesunt loco, quem elegerit Dominus, et docuerint te* 11. *iuxta legem eius, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram.* 12. *Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto iudicis, morietur homo ille, et auferes malum de Israel,* 13. *cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia.* Illud: *Si difficile, et ambiguum* est presse iuxta Hebraeum: *Si mirabile fuerit ante te* (כִּי יִפָּלֵא מִמְּךָ) illud autem mirabile videri solet, quod est supra alicuius captum, ac proinde ab isto nullatenus significatione discordat illud, quod Latinus Interpres posuit. Deinde, quod hic idem Latinus Interpres, est autem is, ut notum est, S. Hieronymus, presse omnino iuxta Hebraeum vertit: *inter sangvinem, et sangvinem* (בֵּין־דָּם לְדָם) istud 2. Paral. 19. v. 10. rursus aliter vertit: *inter cognationem, et cognationem* ut propterea dubium fecerit, sangvinis nomine debeatne crimen capitale, an quaestio, et controversia aliqua inter cognatos intelligi, quales

saepe inter eos existere solent circa haereditatem, circa limites, quando fundos inter se partiuntur. Atque illo priore modo esse hoc potius accipiendum, ratio est, quod sic pressius haereatur proprietati vocabuli sangvinis. Nam illud pro cognatione, quando solum positum est, aliquando esse sumptum, vix aliquod exemplum in tota Scriptura reperietur. At sangvinem poni pro crimine caedis perpetratae, usitatum prorsns in eadem Scriptura est. Quod Numerorum 35. v. 27. Deuteronomii 19. v. 10. pluraque alibi exempla demonstrant. Est praeterea in eodem versiculo 8. res adhuc sic adcurate iuxta Hebraeum: Si difficile, et ambiguum apud te iudicium perspexeris inter sangvinem et sangvinem; causam et causam; lepram, et lepram; *et iudicum intra portas tuas videris verba variari.* Hebraice: *verba*, hoc est negotia, ut iam alias demonstratum est verbum consvetudine Hebraica poni solere pro re, *litium in portis tuis*: (דִּבְרֵי רִיבֹת בִּשְׁעָרֶיךָ) quae nimirum res de sangvine, de causa, et de lepra soleant esse negotia, de quibus lites agitentur in portis civitatum et urbium, exerceanturque iudicia, quaeque consvevisse in portis fieri civitatum, iam etiam hoc capite memoratum est, de his ergo rebus, si quae lites, et controversiae existerent, atque hae in iudiciis, atque tribunalibus reliquarum urbium explicari, terminarique non possent; tum esse eundum, et adscendendum ad locum, quem elegerit, inquit, Dominus Deus tuus. Trifariam vero ea, de quibus iu-

dicandum esset, dividuntur in sangvinem, causam, et lepram, ut sangvinis nomine intelligantur crimina omnia capitalia; causarum nomine controversiae omnes civiles; leprae, quaestiones de Religione. Ac, quod Latine versum habemus: *inter causam et causam*, in Hebraeo latius etiam, atque generalius positum est: loco causae vocabulum *Din* (דִין) quod significatione sua comprehendit omne id, quod venire in iudicium, et de quo quaestio exerceri potest, ut adeo intelligatur nihil hinc excipi: in quo non haec ratio ab illis, quae hic modo praescribitur, iudiciorum observari deberet.

Nec tamen placet iis, qui se Evangelicos, et Reformatos haberi volunt, ista etiam in Veteri Lege iudiciorum forma; ut apud eos, qui illi loco, quem Deus sibi elegisset, hoc est, ubi tabernaculum, vel templum habiturus suum esset, praesiderent, et apud summum sacerdotem iudicandi, controversiasque definiendi talis auctoritas fuisse credatur; ut ab sententia, in hoc iudicio, et tribunali lata, declinare nec ad dextram, nec ad sinistram permissum sit, standumque illi esset simpliciter: quod hoc non satis bene conveniat cum privato ipsorum spiritu. Quem illi sibi in Religione proponunt esse sequendum, proque cynosura habendum, quid tenendum de rebus fidei, vel non, sit; et ne in eadem Religione agnoscere cogantur etiam modo aliquod tale Ecclesiae tribunal, cuius sit in Religionis, atque fidei controversiis pronunciare sententiam, cui standum sit. Itaque ut hinc, quasi ex laqueo,

caput subducant; varias ineunt vias locum istum aliter interpretandi, et quamvis clara lux sit huius testimonii, tamen in eo quaerunt ambages, et tenebras. Calvinus vult non de solis sacerdotibus, eorumque supremo tribunali, a quo causarum, atque controversiarum decisio pendeat, esse hic sermonem, sed simul de laico etiam iudice, magistratuque civili, quod sic positum a Moyse sit: *Venies ad sacerdotes Levitici generis, et ad iudicem, qui fuerit illo tempore:* quasi alter iste fuerit iudex, et alii sacerdotes Levitici generis. Atqui eumdem istum esse iudicem, qui sacerdotes, illud demonstrat, quod versu 10. isti, quorum decreto quisque in re controversa, et ad iudicium deducta iubetur stare, praeesse dicantur loco, quem elegerit Dominus; huic autem loco praefuerint soli sacerdotes. Nam is locus erat primo tabernaculum, postea templum, ubi constituta arca Deus, quasi locum domicilii sui inter Israelitas habebat, quo ne intrare aliis, praeterquam solis sacerdotibus licebat. Nam „Externus „qui ad ministrandum accesserit, morietur" Numer. 3. v. 10. Infra capitis 21. versu 5. „Accedent sa„cerdotes filii Levi, quos elegerit Dominus Deus „tuus, ut ministrent ei, et benedicant in Nomine „eius, et ad verbum eorum omne negotium, et „quidquid mundum, vel immundum est, iudice„tur: et venient maiores natu civitatis illius ad in„terfectum." Sermo autem est, quid fieri oporteret, quando reperiretur cadaver alicuius interfecti, auctorque caedis ignoraretur. Ubi, cum et sacerdo-

tum, et maiorum natu, quo nomine eos, qui magistratum gererent, intelligi perspicuum est, tamen, amborum, sacerdotum videlicet, et maiorum natu cum facta esset mentio; de solis nihilominus sacerdotibus dictum est, ut ad eorum verbum omne negotium, et quidquid mundum, vel immundum est, iudicetur. Etiam Ezechielis cap. 44. v. 23. de iisdem a Deo pronuntiatur sacerdotibus: „Populum „meum docebunt, quid sit inter sanctum, et pol„lutum; et inter mundum, et immundum, osten„dent eis: et cum fuerit controversia, stabunt in „iudiciis meis, et iudicabunt.“ Quid ergo, nullane civili etiam magistratui in Veteri lege fuit iudicandi potestas? Imo. Nam Josue dux erat populi, erant deinde complures alii iudices, quin inter hos etiam Debbora femina Judic. 4. v. 5. deinde reges, qui omnes populo ius dicebant. Sed non hoc, verum illud dicitur: Si difficile, et ambiguum iudicium videretur, tum ad illud supremum tribunal, ubi sacerdotes praesiderent, esse recurrendum. Itaque alii etiam, et politici magistratus pollebant iudicandi auctoritate sed tantum, si quae res obscurior incidisset, nec propter difficultatem expediri ab illis posset, tum ad illud tribunal esse omnino eundum. Ergo sacerdotes in iudicando etiam de politicis negotiis eminebant supra civiles magistratus? Ita est. Nam de ipso Josue, cum esset dux totius populi sic erat constitutum a Deo „Pro hoc, in„quit, si quid agendum erit, Eleazar sacerdos „consulet Dominum, ad verbum eius egredietur,

„ et ingredietur ipse, et omnes filii Israel cum eo, „ et cetera multitudo.“ Numer. 27. v. 21. Nec tamen hinc sequitur arctari hac lege etiam in novo Testamento principes politicos, et magistratus. Nam, cum in Veteri Testamento Israelitarum ipsa politica gubernandi ratio tota Divinis legibus esset constituta; Divinis autem rebus praepositi essent sacerdotes; in his omnino recurrendum erat ad sacerdotes, tanquam ad interpretes illarum legum, atque hoc tanto magis, quod ius, et facultatem etiam haberent Deum consulendi, responsaque ab eo accipiendi, si negotium ipsi per se explicare nescirent. Valet autem, et recte ducitur argumentum contra eos, qui hanc auctoritatem nunc excusserunt; ut, quoniam in Veteri Testamento nemini privatim, et nullius privato spiritui diiudicandarum controversiarum tam aliarum, quam de Religione, et Scriptura sacra data facultas sit; conditio autem Verbi Dei in novo Testamento mutata non sit; etiam nunc in Religionis controversiis agnoscendum esse in Ecclesia tale aliquod tribunal, cuius decretis simpliciter standum sit, neque illi liceat sine verae Religionis dispendio refragari. Atque hoc tanto magis tenendum est de hac tali auctoritate Ecclesiae, etiamsi in Veteri Lege nulla aliqua talis ratio antecessisset, quod hoc sic a Christo statutum sit: „ Si „ Ecclesiam, inquit, non audierit, sit tibi sicut eth- „ nicus, et publicanus“ Matth. 18. v. 17. In Veteri Testamento, qui obedire noluit sacerdotis imperio, et decreto iudicis, dicitur interficiendus; in novo

segregandus ab Ecclesia, qui iam non aliter spectari debeat, quam si ethnicus esset et publicanus. „Hoc „enim nunc agit in Ecclesia, ait S. Augustinus „Quaest 39. in Deut. excommunicatio, quod agebat „tunc interfectio.“

In hoc versiculo 12: *Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto iudicis:* pro *et* in Hebraeo vocula est *O* (או) quae vero iam copulativam, iam disiunctivam vim significandi habet. Ut hic modo Latinus Interpres istud per copulativam particulam vertit; sumitur etiam 1. Reg. 29. v. 3. Proverb. 30. v. 31. atque ita omnino debuisse verti, ut qui sacerdos prius fuit adpellatus, iste idem deinde intelligatur esse, qui dicitur iudex; ex eo perspicitur, quod antecesserit eundum esse ad locum, cui sacerdotes praeessent. Cum ergo sacerdotes ibi praefuerint, ad illorumque iudicium causa deferri debuerit; ii, qui sacerdotes erant, una fuerunt iudices. Et recte, tametsi esset sacerdos; idem tamen iudex dicitur, utpote, qui iudicium exercuit. Adcuratius hoc fuit explicandum, ne, si, dissimularetur Hebraici istius vocabuli ratio; nostri adversarii trahendo illud ad aliam significationem sibi plauderent, quasi aliquid reperissent, quo vim istius argumenti pro auctoritate Ecclesiae contra privatum suum spiritum enervent.

Quamobrem ad aliud iterum praesidium confugiunt, quo se contra hoc Scripturae documentum tueantur. Dicit Lucas Osiander Protestans, omnino

standum esse decreto sacerdotum, sed ita, si sacerdotes, dum iudicium exercerent, sententiam pronunciavissent secundum legem, atque hoc iudicium esse illius, cui sententia fertur ab iudicibus. Esse enim sic positum a Moyse versu 10. *Et facies, quodcunque dixerint, qui praesunt loco, quem elegerit Dominus, et docuerint te iuxta legem eius.* Estne hoc, quaeso, instar conditionis positum: *docuerint te iuxta legem eius?* et non pertinet hoc ad docere? Sacerdotum ergo est docere te secundum legem Dei, tuum facere, quodcumque dixerint. „Labia enim sacerdotis custodient scientiam, „et legem requirent ex ore eius, quia angelus Do„mini exercituum est." Malachiae 2. v. 7. Neque enim, nisi ita esset inobediens, et refractarius sacerdotis imperio posset unquam supplicio plecti, et interfici. Quis enim tam stultus fuisset, ut si supplicium hoc ab eo sumere voluissent, non diceret, atque se defenderet non esse iuxta Dei legem latam a sacerdote sententiam? De legis ergo controverso sensu explicationis, atque definiendae controversiae gratia eundum fuisset ad sacerdotes, atque illorum excipiendum iudicium, et tamen postquam ab illis pronunciata esset sententia, resque definita; tum adhuc privato licuisset exercere auctoritatem supra hoc sacerdotum iudicium, quod Deus, ubi finirentur omnes controversiae, instituit. Quod, si ita fuisset, magis privatus ille, qui in ius fuisset vocatus, fuisset iudex, quam illi iudices, qui supra hos ipsos iudices, latumque ab illis iudicium iudi-

candi adhuc auctoritatem habuisset. Quod, si standum non fuiset iudicum decreto, sed partibus adhuc litigantibus permissum fuisset iudicium exercere de ipso decreto, rectumne illud sit, an iniquum, quando tandem damnata pars acquievisset sententiae iudicis? Non illam eludere semper impune potuisset dicendo, iuxta legem non esse sententiam? Et qualis tandem ista auctoritas fuisset istius tribunalis, et iudicii, si qui in ius fuit vocatus, sequi sententiam tunc tantum debuisset, si ei, contra quem lata est, placuisset, et probata fuisset? Huc ad ista absurda deducuntur, quando a recto tramite intelligentiae deflectunt, et ad detortas deferuntur more suo interpretationes. Non hoc, ut is, cui sententia fertur, a sacerdote iudice, crisim adhuc super illam sententiam faciat, conceditur, sed, qui nollet obedire sacerdotis imperio, stareque decreto iudicis, ut interficiatur, malumque de medio Israel auferatur, praecipitur. Nec Christus commendaturus eorum auctoritatem, qui tum adhuc in Veteri Testamento officium docendi exercebant, reliquisque praesidebant, Scribis videlicet, atque Pharisaeis sub hac conditione, si secundum legem docerent, uti obediretur, mosque gereretur a reliquis, praecepit; „Super cathedram Moysis, inquit, sede„runt scribae, et Pharisaei: omnia ergo, quaecunque „dixerint vobis facite, secundum opera vero eorum „nolite facere" Matth. 23. v. 2. sed simpliciter, et absolute. Est etiam illud hic considerandum, quod, etsi ab isto iudicio non excluderentur alii et-

iam sacerdotes, cum quibus coniunctim summus sacerdos illud exerceret; esse tamen sic positum: *Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto iudicis, morietur homo ille, et auferes malum de medio Israel*, ut soli etiam summo sacerdoti auctoritas vindicata sit, et necessitas obtemperandi.

14. *Cum ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, et possederis eam, habitaverisque in illa, et dixeris: constituam super me regem, sicut habent omnes per circuitum nationes*, 15. *eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus.* 16. *Cumque fuerit constitutus, non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Aegyptum equitatus numero sublevatus* Hebraice, *propter multiplicandos equos* (לְמַעַן הַרְבּוֹת סוּס) quod etiam Septvaginta Interpretes sic verterunt: ὅπως μὴ πληθύνῃ αὐτῷ ἵππον, (ut non multiplicet sibi equum) *praesertim cum Dominus praeceperit vobis, ut nequaquam amplius per eamdem viam revertamini.* Ob duplicem igitur causam Israelitici reges prohibiti sunt equos sibi multiplicare, ne scilicet in equis, sicut nec in auro, et argento ut versu sequenti est, magis virium suarum fiduciam in bellis, quam in Deo collocarent; deinde ne per occasionem equos sibi comparandi Israelitae ab eodem suo rege multum mitterentur in Aegyptum, quo illis reditum,

reditum, habitandi nimirum causa, Deus interdixit. Nam saepius eo commeando periculum erat, ne regioni illi adsvescerent, atque aliqui domicilium sibi etiam ibi vellent figere. Ex hoc vero consequens est, Aegyptum olim excelluisse equis, quamobrem Pharaonis quadrigis quoque Sponsam Sponsus in pulchritudine comparavit Cantici Canticorum cap. 1. v. 8. unde in alias regiones etiam deducerentur, sicut ipse Salamon quoque sibi equos comparare consveverat ex Aegypto 3. Reg. 8. v. 28. Postea tamen, quam pluribus canalibus e Nilo ductis ad meliorem irrigationem impedita est Aegyptus, nec iam tanto ibi usui esse possent equi in bello, minus iam studetur nunc equis in Aegypto. 17. *Non habebit uxores plurimas, quae alliciant animam eius, neque argenti, et auri immensa pondera.* 18. *Postquam autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine accipiens exemplar a sacerdotibus Leviticae tribus,* 19. *et habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitae suae, ut discat timere Dominum Deum suum, et custodire verba, et caerimonias eius, quae in lege praecepta sunt.* 20. *Nec elevetur cor eius in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dexteram, vel sinistram, ut longo tempore regnet ipse, et filii eius super Israel.*

CAPVT XVIII.

De sacerdotum, et Levitarum fructibus; interdicuntur filiorum lustrationes, et vanae omnes observationes: propheta alter similis Moysi promittitur, falsi vero prophetae interfici iubentur.

1. *NON habebunt sacerdotes, et Levitae, et omnes, qui de eadem tribu sunt, partem, et haereditatem cum reliquo Israel, quia sacrificia Domini, et oblationes eius comedent,* 2. *et nihil aliud accipient de possessione fratrum suorum. Dominus enim ipse est haereditas eorum, sicut locutus est illis.* 3. *Hoc erit iudicium sacerdotum a populo, et ab his, qui offerunt victimas, sive bovem, sive ovem immolaverint, dabunt sacerdoti armum, ac ventriculum,* 4. *primitias frumenti, vini, et olei, et lanarum partem ex ovium tonsione.* Iudicii nomine ius hic esse intelligendum, quod haberent sacerdotes accipiendi certas victimarum partes ab offerentibus, difficile perspectu non est. Inter has victimarum partes: armum, et ventriculum, quas offerentes sacerdotibus darent, maxillae etiam positae sunt post armum ante ventriculum. In Levitico autem, ubi de eadem re hac tractatur, praeter armum non maxillae et ventriculus, sed pectusculum ex sacrificiorum oblationibus sacerdotibus attributum est (cap. 7. v. 31, 32.) atque quoties his de re-

bus mentio fit, non ventriculus, verum semper pectusculum dicitur, quod sacerdotibus ex victimis obveniat. Cum ergo Scripturae interpretandae illa certissima regula sit, secundum quam locus alter per alterum, ubi eadem res ponitur, explicatur; idem quoque hic est faciendum, atque pro maxillis et ventriculo armus est intelligendus. Est nimirum utrobique eadem res, sed non iisdem verbis. Nam, quod alibi pectusculum vocatur suo, et proprio vocabulo; hae isthic dicuntur maxillae, et ventriculus circumscriptione verborum ponendo id, quo pectus tam superne, quam inferne terminatur, pro ipso pectore, tanquam quod intra istos hos terminos contineatur, estque tropica loquendi ratio, quae apud nos etiam tenet pro eo, quod continetur ponendi illud, quod continet. Equidem Calmetus fretus Philonis testimonio in Libro de praemiis sacerdotum, ubi dicit sacerdotibus reipsa tres has animalis partes, pectus, maxillas, et ventrem esse ab aliis oblationum nomine datas, putat hoc ita esse hic intelligendum, nec de proprie dictis sacrificiis, sed tantum de pecorum mactationibus victus gratia esse hic sermonem, ex quibus etiam illae partes semper sacerdotibus deberent dari. Fecerint hoc fortasse plures, et quaedam quasi consvetudo hoc faciendi fuerit, ut vult Philo, ut munificentiae nomine ex talibus etiam solius victus causa domi mactatis animalibus, illa sacerdotibus donaverint, gratificatique sint; sed a plana Scripturam interpretandi ratione Interpreti discedendum non est, ut

quae hic modo *Sacrificia Domini*, *et oblationes* nominantur, non vera accipiantur fuisse sacrificia, sed profanae tantum mactationes, iugulationesque pecorum victus, et ciborum gratia, cum insuper nec in Scriptura alibi uspiam de istis oblationibus ex animalibus, si quando victus causa occiderentur, praecepti istius aliquod vestigium sit. Ista autem sacrificia, ex quibus armus, et pectus obvenirent sacerdotibus, illa tantum erant, quae vulgo in Scriptura vocantur pacifica: de quibus tractat Levitici caput secundum. Nam, si holocaustum esset, vel victima in expiationem peccati; nihil ad offerentem redibat, sed ne sacerdotis aliquid erat ex carnibus victimae, si holocaustum esset, cum istud totum esset comburendum; ex victima autem pro peccato, nisi sacerdotis etiam nomine offerretur, carnes omnes, nisi quibusdam exceptis, quae adoleri deberent in altari, erant sacerdotis. Quibus de rebus actum est in libro Levitici.

5. *Ipsum enim elegit Dominus Deus tuus de cunctis tribubus tuis, ut stet, et ministret Nomini Domini ipse, et filii eius in sempiternum.* 6. *Si exierit Levites ex una urbium tuarum ex omni Israel, in qua habitat, et voluerit venire desiderans locum, quem elegerit Dominus*; 7. *ministrabit in nomine Domini Dei sui, sicut omnes fratres eius Levitae, qui stabunt eo tempore coram Domino.* Namque per vices alii, atque alii ordine ministrabant. Iste ergo talis esse intelligitur, qui sponte, etiam cum in illo ordo ministrandi non esset,

fungi ministrandi officio vellet. 8. *Partem ciborum eamdem accipiet, quam et ceteri, excepto eo, quod in urbe sua ex paterna ei successione debetur.*

9. *Quando ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, cave, ne imitari velis abominationes illarum gentium.* 10. *Nec inveniatur in te, qui lustret filium suum, aut filiam ducens per ignem, aut qui ariolos sciscitetur, et observet somnia, atque auguria, nec sit maleficus,* 11. *nec incantator, nec, qui pythones consulat, nec divinos, aut quaerat a mortuis veritatem.* Pythonis nomine, quid intelligendum sit, explicatum est ad Levitici 20. v. 27. 12. *Omnia enim haec abominatur Dominus, et propter istiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo.* 13. *Perfectus eris, et absque macula cum Domino Deo tuo.* 14. *Gentes istae, quarum possidebis terram, augures, et divinos audiunt, tu autem a Domino Deo tuo aliter institutus es.* 15. *Prophetam de gente tua, et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies,* 16. *ut petisti a Domino Deo tuo in Horeb, quando concio congregata est, atque dixisti: ultra non audiam vocem Domini Dei mei, et ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar.* Exodi 20. v. 19. factum hoc narratur. 17. *Et ait Dominus mihi: bene omnia sunt locuti.* 18. *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, et ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia, quae praecepero illi.* 19. *Qui autem verba*

eius, quae loquetur in Nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam. Judaei prophetam, qui nunc a Deo promissus est, contendunt fuisse Josuam. At ille non erat similis Moysi, sed nec postea, quamdiu stetit vetus Testamentum, propheta aliquis similis ei exstitit. Id, quod Deuteronomii 34. v. 10. clarissime dictum est: „Et non surrexit ultra pro„pheta in Israel, sicut Moyses, quem nosset Do„minus facie ad faciem.“ Ad Christum vero pertinere hoc, illumque esse, qui promissus modo Propheta sit, quemque sicut Moysem audire deberent, cum Christiano homini dubium esse non possit, quod hoc declaratum sit ab ipso Apostolorum principe Petro Actorum 3. v. 22. dum verba faceret ad populum; tamen de modo, quo hoc pertineat ad Christum, directene et literaliter, aut solummodo per typum, trifariam Interpretes dividuntur. Quidam, ut Emmanuel Sa, et Vatablus senserunt Josuam, reliquosque prophetas, qui postea post Moysem fuerunt, esse hic a Moyse intellectos, et non nisi sub istorum prophetarum typo Christum; alii, ut Lyranus, Abulensis, Tyrinus, volunt hic a Moyse tam Veteris Testamenti omnes prophetas, quam ipsum Christum, atque hunc etiam excellentius, esse comprehensos; tertia sententia illorum est, qui hoc totum unice ad unum Christum, idque sine typo, et prorsus literaliter, spectare dicunt, quaeque sententia maxime fulta est auctoritate Sanctorum Patrum, ut S. Athanasii l. 2. contra Arianos, quos refellit, quod prophetam

aliquem alium praeter Christum hic intelligerent, et S. Augustini, qui contra Faustum l. 16. cap. 19. istud etiam inde probat, quod Moyses non dixerit prophetas, sed Prophetam, ne scilicet alter praeterquam Christus intelligeretur. Et certe, vis istius oraculi multo maior est, atque illustrior, si ad neminem alium qualicunque ratione, praeterquam ad Christum pertineat. Nec vero Petri oratio demonstrantis ex hoc documento Christum esse prophetam illum, quem Moyses promiserat, quemque audire deberent, vim talem habuisset, eludere enim illam Judaei potuissent, et oraculum trahere ad alios prophetas, quos iam post Moysem habuerint, si reipsa de istis praedictio ista Moysis sonuisset. Et persvasissimum fuisse Judaeis adhuc aetate Christi hunc aliquem a Moyse praemonstratum Prophetam exspectandum ipsis fuisse, certum est inde, quod cum iam Christum agnovisset Philippus, vellet autem ad eum etiam deducere Nathanaelem, sic ad illum locutus sit: „Quem, inquit, scripsit „Moyses in lege, et prophetae, invenimus Jesum „filium Joseph a Nazareth“ Joan. 1. v. 45. et quod illa ex quinque millibus constans hominum multitudo, quam Christus panibus satiavit in tali se exspectatione fuisse istius venturi Prophetae luculenter declaraverit, quando sic de Christo professa est: „Quia hic est vere Propheta, qui venturus est in „mundum“ Joan. 6. v. 4. Sed et ipse contextus istius orationis Moysis demonstrat oraculum hoc pertinere ad solum Christum. Dixerat ante, atque

praeceperat ipsis, ut perfecti essent, ne scilicet aliquid superstitionis, de qua vitanda illos hortatus erat, ad sibi traditam Religionem adiungerent, illamque corrumperent; gentes, quae Chananaeam ante illos incoluissent, habuisse suos augures, et divinatores, *Sed tu*, inquit, *aliter a Domino Deo tuo institutus es*. Intelligebat autem ipsos a Deo accepisse legem, ad quam velut normam Religionis officia omnia, suasque actiones exigere deberent, atque tum e vestigio hoc de Propheta sibi suscitando ex suis fratribus, quem sicut Moysem audire tenerentur, subiectum est. Duo igitur hic sunt posita a Moyse, primum, quod iam docti, et instituti sint, ac proinde ad divinatores, et augures sciscitandi, discendique causa conferre se non deberent; deinde quod Prophetam adhuc alium ipsis Deus daturus esset, a quo docerentur, et quem sicut ipsum Moysem audire deberent. Nempe, cum iam per legem, et Moysem, sed ruditer adhuc, atque imperfecte instructi essent, (Hebr. 7. v. 18.) promissus illis Propheta Christus est, a quo perfectissime, absolutissimeque instruerentur. Qamquam vero inter Moysem et Christum, similitudo illa fuerit, quod, sicut ille Israelitas ex Aegypto, ita Christus ex servitute peccati genus humanum liberaverit, et quod per legem, quam Moyses Israelitis dedit, figurata, adumbrataque sit lex gratiae, et Evangelii; tamen hic non ista aliqua talis similitudo intelligitur, ubi versu 18. positum est, Deum esse locutum sic ad Moysem: *Prophetam suscitabo eis*

de medio fratrum suorum similem tui. Nam similem tui adcurate secundum Hebraeum est: *sicut te.* (כָּמוֹךָ) Ad quem modum etiam S. Petrus citavit hoc testimonium: ὅτι προφήτην ὑμῖν ἀναστήσει κύριος ὁ Θεὸς ὑμῶν ἐκ τῶν ἀδελφῶν ὑμῶν, ὡς ἐμέ: αὐτοῦ ἀκούσεσθε. *Quia Prophetam vobis suscitabit Dominus Deus vester ex fratribus vestris sicut me: ipsum audietis.* Sed illud dicitur, quod sicut nunc illis Moysem prophetam suscitavisset; ita rursus alterum etiam illum prophetam ipsis suscitaturus esset, a quo iterum, sicut tunc a Moyse, docendi essent. 20. *Propheta autem, qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo, quae ego non praecepi illi, ut diceret; aut ex nomine alienorum deorum, interficietur.* 21. *Quod si tacita cogitatione responderis: quomodo possum intelligere verbum, quod Dominus non est locutus?* 22. *Hoc habebis signum: quod in nomine Domini propheta ille praedixerit, et non evenerit, hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui propheta confinxit, et idcirco non timebis eum.*

CAPVT XIX.

De urbibus ad perfugium constituendis, ne terminos suorum fundorum cum alterius iniuria extenderent; poena talionis decernitur in falsum accusatorem.

1. *CVM disperdiderit Dominus Deus tuus gentes, quarum tibi traditurus est terram, et posse-*

deris eam, habitaveris que in urbibus eius, et in aedibus, 2. tres civitates separabis tibi in medio terrae, quam Dominus Deus tuus dabit tibi in possessionem 3. sternens diligenter viam, et in tres aequales partes totam terrae tuae provinciam divides, ut habeat e vicino, qui propter homicidium profugus est, quo possit evadere. 4. Haec erit lex homicidae fugientis, cuius vita servanda est: qui percusserit proximum suum nesciens, et qui heri, et nudius tertius nullum contra eum odium habuisse comprobatur, 5. sed abiisse cum eo simpliciter in silvam ad ligna caedenda, et in succisione lignorum securis fugerit manu, ferrumque lapsum de manubrio amicum eius percusserit, et occiderit, hic ad unam supradictarum urbium confugiet, et vivet. 6. Ne forsitan proximus eius, cuius effusus est sangvis, dolore stimulatus persequatur, et adprehendat eum, si longior via fuerit, et percutiat animam eius, qui non est reus mortis, quia nullum contra eum, qui occisus est, odium prius habuisse monstratur. 7. Idcirco praecipio tibi, ut tres civitates aequalis inter se spatii dividas. 8. Cum autem dilataverit Dominus Deus tuus terminos tuos, sicut iuravit patribus tuis, et dederit tibi cunctam terram, quam eis pollicitus est, 9. si tamen custodieris mandata eius, et feceris, quae hodie praecipio tibi, ut diligas Dominum Deum tuum, et ambules in viis eius omni tempore, haec conditio cum servata ab ipsis non esset, ne latiores quidem illos termi-

nos Deus illis usquam concessit: qua de re iam dictum est ad Geneseos 15. v. 18. *addes tibi tres alias civitates, et supradictarum trium urbium numerum duplicabis*, 10. *ut non effundatur sangvis innoxius in medio terrae, quam Dominus Deus tuus dabit tibi possidendam, ne sis sangvinis reus.* Trans Jordanem, ubi tum in castris adhuc erant, et in ea regione, quae tribubus Ruben, Simeon, et dimidiae Manasse data est ad habitandum, iam ipse Moyses tres urbes ad perfugiendum determinaverat, ut est supra capitis 4. v. 41. Istae igitur tres adhuc erant determinandae postea, quam transivissent Jordanem, atque illam etiam regionem possidere coepissent.

11. *Si quis autem, odio habens proximum suum, insidiatus fuerit vitae eius, surgensque percusserit illum, et mortuus fuerit, fugeritque ad unam de supradictis urbibus;* 12. *mittent seniores civitatis illius.* In Hebraeo pronomen *illius* est in genere masculino (עירו) intelligitur ergo civitas, unde oriundus esset is, qui perfugisset: *et arripiet eum de loco effugii, tradentque in manu proximi, cuius sangvis effusus est, et morietur.* 13. *Non misereberis eius, et auferes innoxium sangvinem de Israel, ut bene sit tibi.* Quando supplicium de tali percussore sumebatur; illius sangvis non erat innoxius. Cum ergo non videretur hoc recte esse positum; in plura Latina exemplaria praepostero emendationis studio irrepsit *noxium* pro *innoxium.* Quod mendum Romani Correctores

notarunt, et ne deinceps sic mendose Biblia excuderentur, prohibuerunt: siquidem manifeste iuxta Hebraeum esse debeat: *sangvinem innoxium* (דַּם־הַנָּקִי) Quomodo igitur res ista cohaeret? Nempe innoxius iste hic sangvis, non illius debet intelligi, qui propter iniustam caedem supplicio est perimendus, sed illius, cui a percussore est inique caedes illata. Itaque istius innoxius sangvis iubetur auferri, dum nimirum crimen, quo sangvis ille innoxius fusus est, eius, qui illum fudit, supplicio expiatur: ne, si crimen hoc inultum ipsi relinquerent; Deus poenam in illos etiam exerceat, tamquam dissimulatores criminis. Nam etiam illo casu, quo homicidium aliquod latenter esset perpetratum, nec caedis patrator posset reperiri; tamen crimen hoc sacrificio erat expiandum, infra 21. v. 8., eoque sacrificio dicitur ibi auferendus esse ab ipsis reatus sangvinis. Quod ergo prius positum est: auferes innoxium sangvinem, idem est, atque, si dictum esset, reatum auferes innoxii sangvinis.

14. *Non adsumes, et transferes terminos proximi tui, quos fixerunt priores in possessione tua, quam Dominus Deus tuus dabit tibi in terra, quam acceperis possidendam.* 15. *Non stabit testis unus contra aliquem, quidquid illud peccati, et facinoris fuerit, sed in ore duorum, aut trium testium stabit omne verbum.* 16. *Si steterit testis mendax contra hominem accusans eum praevaricationis;* 17. *stabunt ambo, quorum causa est, ante Dominum in conspectu sacerdotum,*

et iudicum, qui fuerint in diebus illis. Est hoc in Hebraeo sic: *Stabunt coram Deo: coram sacerdotibus, et iudicibus* (לִפְנֵי יְהוָה לִפְנֵי הַכֹּהֲנִים וְהַשֹּׁפְטִים) Itaque, quod prius positum est: *coram Deo*, id deinde explicatur per hoc: coram sacerdotibus, et iudicibus, quod nimirum isti Dei nomine, et auctoritate exercerent iudicium. 18. *Cumque diligentissime perscrutantes invenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium;* 19. *reddent ei, sicut fratri suo facere cogitavit, et auferes malum de medio tui,* 20. *ut audientes ceteri timorem habeant, et nequaquam talia audeant facere.* 21. *Non misereberis eius, sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges.*

CAPVT XX.

De modo, quo bellare cum suis hostibus, atque praelia inire debeant, deinde quibus eundum, vel manendum domi ex bello, et qualiter cum devictis civitatibus agendum ipsis sit.

1. *SI exieris ad bellum contra hostes tuos, et videris equitatus, et currus, et maiorem, quam tu habeas adversarii exercitus multitudinem, non timebis eos: quia Dominus Deus tuus tecum est, qui eduxit te de terra Aegypti.* 2. *Adpropinquante autem iam praelio stabit sacerdos ante aciem,*

et sic loquetur ad populum: 3. *Audi Israel, vos hodie contra inimicos vestros pugnam committitis, non pertimescat cor vestrum, nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos.* 4. *Quia Dominus Deus vester in medio vestri est, et pro vobis contra adversarios dimicabit, ut, eruat vos de periculo.* 5. *Duces quoque per singulas turmas audiente exercitu proclamabunt: quis est homo, qui aedificavit domum novam, et non dedicavit eam?* Hebraice: *initiavit eam,* (חֲנָכוֹ) quod Septvaginta Interpretes verterunt Graeco verbo: ἐγκαινίτειν, quod significat re aliqua nova primum uti. Quam ob rem S. Augustinus Tract. 38. in Joan. „Jam et usus habet, inquit, hoc verbum, „ut si quis nova tunica induatur, encaeniare dici„tur:“ *vadat, et revertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, et alius dedicet eam.* 6. *Quis est homo, qui plantavit vineam, et necdum fecit eam esse communem, de qua vesci omnibus liceat?* Nam fructus omnes in vineis, et hortis primi per triennium habiti sunt immundi, qui quarto anno creverunt, primitiarum nomine Deo erant offerendi, quinto demum licitum erat ei, cuius erant arbores, usum quem vellet, ex illis facere, promiscueque ipsis vesci. Levit. 19. v. 24. *Vadat, et revertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, et alius homo fungatur eius officio.* 7. *Quis est homo, qui despondit uxorem, et non accepit eam? Vadat, et revertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, et*

alius homo accipiat eam. 8. *His dictis addent reliqua, et loquentur ad populum: quis est homo formidolosus, et corde pavido? Vadat, et revertatur in domum suam, ne pavere faciat corda fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est.* 9. *Cumque siluerint duces exercitus, et finem loquendi fecerint; unusquisque suos ad bellandum cuneos praeparabit.*

10. *Si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem;* 11. *si receperit, et aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea est, salvabitur, et serviet tibi sub tributo.* 12. *Sin autem foedus inire noluerit, et coeperit contra te bellum, oppugnabis eam.* 13. *Cumque tradiderit Dominus Deus tuus illam in manu tua, percuties omne, quod in ea generis masculini est, in ore gladii* 14. *absque mulieribus, et infantibus, iumentis, et ceteris, quae in civitate sunt. Omnem praedam exercitui divides, et comedes de spoliis hostium tuorum, quae Dominus Deus tuus dederit tibi.* 15. *Sic facies cunctis civitatibus, quae a te procul valde sunt, et non sunt, de his urbibus, quas in possessionem accepturus es.* 16. *De his autem civitatibus, quae dabuntur tibi, nullum omnino permittes vivere,* 17. *Sed interficies in ore gladii Hethaeum videlicet, et Amorrhaeum, et Chananaeum, Pherezaeum, et Hevaeum, et Jebusaeum, sicut praecepit tibi Dominus Deus.* 18. *Ne forte doceant vos facere cunctas abominationes, quas ipsi ope-*

rati sunt diis suis, et peccetis in Dominum Deum vestrum. 19. *Quando obsederis civitatem multo tempore, et munitionibus circumdederis, ut expugnes eam; non succides arbores, de quibus vesci potest, nec securibus per circulum debes vastare regionem, quoniam lignum est, et non homo, nec potest bellantium contra te augere numerum.* 20. *Si qua autem ligna non sunt pomifera, sed agrestia, et in ceteros apta usus, succide, et intsrue machinas, donec capias civitatem, quae contra te dimicat.*

CAPVT XXI.

De homicidio, si auctor caedis non fiat manifestus, de feminis in bello captis, de servando iure primogeniturae in haereditate, de filio contumace; de cadavere non permittendo in patibulo hominis supplicio affecti.

---

1. Q*VANDO inventum fuerit in terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi hominis cadaver occisi, et ignorabitur caedis reus;* 2. *egredientur maiores natu, et iudices tui, et metientur a loco cadaveris singularum per circuitum spatia civitatum.* 3. *et quam viciniorem ceteris esse perspexerint; seniores civitatis illius tollent vitulam de armento, quae non traxit iugum, nec terram scidit vomere,* 4. *et deducent eam ad vallem asperam, atque saxosam, quae numquam ara-*

ta est, nec sementem recepit, et caedent in ea cervices vitulae, 5. *accedentque sacerdotes filii Levi, quos elegerit Dominus Deus tuus, ut ministrent ei, et benedicant in nomine eius, et ad verbum eorum omne negotium, et quidquid mundum, vel immundum est, iudicetur.* 6. *Et venient maiores natu civitatis illius*, quae scilicet reperta esset maxime esse propinqua ad locum, ubi facta est caedes, ad interfectum, *lavabuntque manus suas super vitulam, quae in valle percussa est;* 7. *et dicent: manus nostrae non effuderunt sangvinem hunc, nec oculi viderunt.* 8. *Propitius esto populo tuo Israel, quem redemisti Domine, et ne reputes sangvinem innocentem in medio populi tui Israel. Et auferetur ab eis reatus sangvinis.* 9. *Tu autem alienus eris ab innocentis cruore, qui fusus est, cum feceris, quod praecepit Dominus.*

10. *Si egressus fueris ad pugnam contra inimicos tuos, et tradiderit eos Dominus Deus tuus in manu tua, captivosque duxeris,* 11. *et videris in numero captivorum mulierem pulchram, et adamaveris eam, volueris que habere uxorem;* 12. *introduces eam in domum tuam, quae radet caesariem, et circumcidet ungves:* Hebraice *faciet* (עָשְׂתָה) *ungves suos*. Sed verbum hoc Hebraicum *Asa* cum generatim faciendi notionem habet, tum in specie ad illud etiam significandum adhibetur, quod cultus gratia in re aliqua fit. Quare de Miphiboseth illud, quod Latine habemus non lavisse illum eo

tempore, quo David fugerat, cum adversus eum Absalom rebellasset, sibi pedes, nec barbam totondisse; in Hebraeo utrobique et pro lavare, et pro tondere est idem hoc verbum: facio. 2. Reg. 19. v. 24. *Et deponet vestem* 13. *in qua capta est, sedensque in domo tua flebit patrem, et matrem suam uno mense, et postea intrabis ad eam, dormiesque cum illa, et erit uxor tua.* 14. *Si autem postea non sederit animo tuo,* Hebraice: *si non complacueris in ea* (אִם־לֹא חָפַצְתָּ בָּהּ) *dimittes eam liberam, nec vendere poteris pecunia, nec opprimere per potentiam, quia humiliasti eam* Arabs: *postquam coieris cum ea.*

15. *Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam, et alteram odiosam, genuerintque ex eo liberos* Hebraice: *et pepererit ei filios* (וְיָלְדוּ־לוֹ בָנִים) *et filius odiosae fuerit primogenitus,* 16. *volueritque substantiam inter filios suos dividere, non poterit filium dilectae facere primogenitum, et praeferre filio odiosae.* Pro odisse in Hebraeo verbum est *Sane* (שָׂנֵא) quod non semper stricte significat odium, sed minorem tantum propensionem comparatione alterius. Nam etiam de Jacobo ubi Latine versum habemus, quod despexerit Liam, est idem hoc verbum *Sane* in Hebraeo: neque tamen Jacob Liam oderat, sed huic tantum in amando anteposuerat Rachelem. Genesis 29. v. 30, 31. *Sed filium odiosae* 17. *agnoscet primogenitum, dabitque ei de his, quae habuerit, cuncta duplicia. Iste est enim principium liberorum eius, et huic debentur primogenita.*

18. *Si genuerit homo filium contumacem, et protervum, qui non audiat patris, aut matris imperium, et coercitus obedire contempserit;* 19. *apprehendent eum, et ducent ad seniores civitatis illius, et ad portam iudicii,* 20. *dicentque ad eos: filius noster iste protervus, et contumax est, monita nostra audire contemnit, comessationibus vacat, et luxuriae, atque conviviis.* 21. *Lapidibus eum obruet populus civitatis, et morietur, ut auferatis malum de medio vestri, et universus Israel audiens pertimescat.*

22. *Quando peccaverit homo, quod morte plectendum est, et adiudicatus morti adpensus fuerit in patibulo;* 23. *non permanebit cadaver eius in ligno, sed in eadem die sepelietur, quia maledictus a Deo est, qui pendet in ligno.* Haec ultima verba: *in ligno* desunt in Hebraeo. At existunt in versione Septvaginta, et citantur etiam a S. Paulo ad Galatas 3. v. 13. Nempe maioris declarationis gratia tam Graeci Interpretes Septvaginta, quam ipse etiam post eos Latinus addiderunt hic illa verba, cum praecessisset eundem illum, qui esset deponendus, fuisse adpensum in ligno, atque S. Paulus citans hunc Scripturae locum iuxta versionem Septvaginta eam additionem comprobavit. Quare vero maledictus, qui pendet in ligno? quia nimirum supplicium illud incurrit transgrediendo legem. Est enim maledictio pronunciata in omnem illum, qui non permaneret in sermonibus legis infra capitis 27. v. 27. Quare ipsum

etiam cadaver supplicio affecti sepeliri iubetur, ne illo exposito, quasi contaminetur terra: *nequaquam contaminabis terram tuam, quam Dominus Deus tuus dederit tibi in possessionem*, et ut quasi subtractione illius, et absconsione obliteretur etiam apud Deum flagitii illius, propter quod supplicium tulit, memoria, neve vel ex cadavere etiam, si relinqueretur expositum, foedaretur terra. Christus autem, ut inquit Paulus citato loco, nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Nec tamen dicitur factus maledictus, tametsi maledictus sit dictus omnis, qui pendet in ligno. Nam, sicut peccata tantum nostra in se adsumpsit, non vero ipse factus est peccator; ita ferendo supplicium, quod deberetur peccatis, cum non ipse peccasset, sed tantum aliena peccata in se recepisset, atque propterea supplicium subivisset, non etiam dicitur factus esse maledictus, sed tantum maledictum: tanquam, qui in se tantum receperit aliena peccata, quibus deberetur maledictio.

CAPVT XXII.

De rebus inventis domino restituendis, de nidis avium, de cancellis circa tecta, de adulteris, de iis, qui deflorassent virginem, praeceptiones dantur.

1. *NON videbis bovem fratris tui, aut ovem errantem, et praeteribis; sed reduces fratri tuo.*
2. *Etiamsi non est propinquus frater tuus*, Chal-

daeus: *et si non est prope frater tuus*, si nimirum is, cuius pecus repertum est, procul ab eo, qui reperit, distaret, et in reducendo magna esset incommoditas, *nec nosti eum; duces in domum tuam, et erunt apud te, quamdiu quaerat ea frater tuus, et recipiat.* 3. *Similiter facies de asino, et de vestimento, et de omni re fratris tui, quae perierit, si inveneris eam, ne negligas quasi alienam.* 4. *Si videris asinum fratris tui, aut bovem cecidisse in via, non despicies, sed sublevabis cum eo.* 5. *Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste feminea. Abominabilis enim apud Deum est, qui facit haec.* Plerumque enim perversitas aliqua tegitur sub alterius sexus vestitu, ut ad eundem illum sexum facilior aditus reperiatur, quod libidinoso aliquo desiderio prodit affectam esse mentem. Sunt tamen exempla quaedam laudatarum feminarum, quae isto hoc praesidio alieni sexus vestium uterentur ad custodiendam suam integritatem. Talem docet S. Ambrosius l. 2. de Virginibus fuisse Theodoram Antiochenam virginem; talem Palladius in Lausiaca Hist. cap. 149. alteram Theodoram virginem Corinthiam, tectasque virili habitu lupanar evasisse.

6. *Si ambulans per viam in arbore, vel in terra nidum avis inveneris, et matrem pullis, vel ovis desuper incubantem; non tenebis eam cum filiis,* 7. *sed abire patieris captos tenens filios, ut bene sit tibi, et longo vivas tempore.* Tertullianus l. 2. contra Marcion. cap. 17. docet hoc praeceptum a Deo esse datum „Quo facilius, verba

„ sunt illius, et bestiis praemeditata humanitas in „ hominum refrigeria erudiretur.“ 8. *Cum aedificaveris domum novam, facies murum tecti per circuitum, ne effundatur sangvis in domo tua, et sis reus labente alio, et in praeceps ruente.* Erant enim, et sunt in illis regionibus tecta domorum plana, ut etiam ambulatio in iis institui possit. Quamobrem cancellis debebant cingi, ne quod cadendi deorsum esset periculum. 9. *Non seres vineam tuam altero semine, ne et sementis, quam sevisti, et quae nascuntur ex vinea, pariter sanctificentur.* Antiphrasis est, atque verbum sanctificare in contrario sensu pro contaminare, profanare positum est, quemadmodum et Latinum vocabulum: sacer, iam in bonam, iam in malam partem sumitur. Quamobrem Chaldaeus hoc vertit: *ne polluantur.* Nam cum seminare aliquid aliud ad vineam contra legem esset; (Levit. 19. v. 19.) lex autem, si non graviorem praevaricationem, saltem certe defectum aliquem, et legalem aliquam immunditiem, si quis eam transgrederetur, adferret; eo ipso, quod diverso semine serere agrum contra legem esset; res, quae procreabatur, facta est immunda, qua scilicet uti legitime non possent.

10. *Non arabis in bove simul, et asino.* S. Gregorius M. Lib. 1. Moral. cap. 16. hoc eo refert, ne ab iis, qui viribus impares sunt, paria officia exigantur. Et revera minutas etiam istiusmodi leges non frustra esse datas, sed habuisse altiorem aliquam significationem, licet illa non semper

perspiciatur; illud argumento est, quod etiam illud de non claudendo ore trituranti bovi S. Paulus non ideo praecepisse Deum doceat, quasi illi cura fuisset ista de bobus; sed ut intelligeretur, iustum esse, ut qui Evangelio servirent illud annunciando, de eodem Evangelio etiam viverent. 1. Cor. 9. v. 10. *Non indueris* 11. *vestimento, quod ex lana, linoque contextum est.* 12. *Funiculos in fimbriis facies per quatuor angulos pallii tui, quo operieris.* De his funiculis, et dependentibus filis iam dictum est ad Numerorum 15. v. 37.

13. *Si duxerit vir uxorem, et postea odio habuerit eam,* 14. *quaesieritque occasiones, quibus dimittat eam, obiiciens ei nomen pessimum, et dixerit: uxorem hanc accepi, et ingressus ad eam non inveni virginem;* 15. *tollent eam pater, et mater eius, et ferent secum signa virginitatis eius ad seniores urbis, qui in porta sunt.* Nec in Hebraeo, nec in Versione Septvaginta est pronomen: *eam* quasi ipsam puellam parentes secum ducere ad seniores urbis in porta sedentes, ibi enim iudiciorum celebrandorum fuisse locum iam saepius dictum est, debuerint, sed tantum signa virginitatis ipsius: pro quo rursus in Hebraeo est *virginitas puellae.* (בְּתוּלֵי הַנַּעֲרָ) Sed utique aliquid erat, ex quo demonstrari posset, fuisse illam, cum desponsaretur, virginem. 16. *Et dicet pater: filiam meam dedi huic uxorem, quam quia odit,* 17. *imponit ei nomen pessimum*, hoc est calumniam, *ut dicat: non inveni filiam tuam virginem, et ecce haec sunt*

signa virginitatis filiae meae: expandent vestimentum coram senioribus civitatis. In Hebraeo rursus tantum sic est: *Et haec est virginitas filiae meae.* (וְאֵלֶּה בְּתוּלֵי בִתִּי) Quale autem istud vestimentum fuerit, quod virginitatis filiae demonstrandae causa parentes coram iudicibus expanderent, et cuius iudicio probare possent virginem fuisse; valde obscurum, et difficile explicatu est. Franciscus Valesius quidem medicus in sua sacra Philosophia cap. 25. docet feminas, si virgines adhuc essent, relinquere in maritali complexu in strato vestigia aliqua sangvinis. At, ut apud Calmetum est, medici, et anatomi recentioris aetatis partim nulla produnt, partim aperte negant haberi aliqua indicia posse nondum violatae virginitatis. Eamdem sententiam proponit S. Ambrosius l. 8. ep. 64. ad Syagrium. Philo autem de specialibus Legibus, et Josephus l. 4. Ant. c. 8. negant aliquid tale esse productum in iudicum oculis, quod non satis verecundum videretur. Quare plures Hebraeorum doctores, quos Calmet citat, docent totum hoc negotium nonnisi fide testium, quos parentes adducerent, esse a iudicibus peractum. Quae cum ita sint, res illa de explicatione vestis mera erit tantum metaphora sermonis, ut expandere vestem idem sit, quod rem explicare, et declarare, patentemque facere; quemadmodum et in ipsa lingva Latina usus fert, ut verbum tegere usurpemus pro abscondere; et revelare pro manifestare, quod utrumque tegere, et revelare a veste, et velis, a re corporea, quae his invol-

vitur ad sermonem quo aliquid vel manifestamus, vel occultamus, per metaphoram translatum est.

18. *Adprehendentque senes urbis illius virum, et verberabunt illum.* Josephus loco citato docet triginta, et novem flagri ictus fuisse tali inflictos: nimirum, cum infra capitis 25. v. 3. praescriptum sit, ne in plagis imponendis quadraginta ictuum numerum excederent, idcirco solebant, quando verberibus aliquem mulctabant; in nono, et trigesimo numero consistere; ne, si quo casu in numerando erratum esset, contingeret, ut numerum illum excedant. Itaque erga S. Paulum quoque, quando plagis illum quinquies affecerunt, semper numerum istum observaverunt. „A Judaeis, inquit, quin„quies quadragenas una minus accepi.“ 2. Cor. 11. v. 24. *Condemnantes insuper* 19. *centum siclis argenti, quos dabit patri puellae, quoniam diffamavit nomen pessimum super virginem Israel, habebitque eam uxorem, et non poterit dimittere eam omnibus diebus vitae suae.*

20. *Quod si verum est, quod obiicit, et non est in puella inventa virginitas,* 21. *eiicient eam extra fores domus patris sui, et lapidibus obruent viri civitatis illius, et morietur, quoniam fecit nefas in Israel, ut fornicaretur in domo patris sui, et auferes malum de medio tui.* 22. *Si dormierit vir cum uxore alterius, uterque morietur, id est adulter, et adultera, et auferes malum de Israel.* 23. *Si puellam virginem desponderit vir, et invenerit eam aliquis in civitate, et concubue-*

rit cum ea; 24. educes utrumque ad portam civitatis illius, et lapidibus obruentur: puella, quia non clamavit, cum esset in civitate; vir, quia humiliavit uxorem proximi sui, et auferes malum de medio tui. 25. Sin autem in agro repererit vir puellam, quae desponsata est, et adprehendens concubuerit cum ea; ipse morietur solus. 26. Puella nihil patietur, nec est rea mortis: quoniam sicut latro consurgit contra fratrem suum, et occidit animam eius; ita et puella perpessa est. 27. Sola erat in agro: clamavit, et nullus adfuit, qui liberaret eam. 28. Si invenerit vir puellam virginem, quae non habet sponsum, et adprehendens concubuerit cum illa, et res ad iudicium venerit; 29. dabit, qui dormivit cum ea, patri puellae quinquaginta siclos argenti, et habebit eam uxorem, quia humiliavit illam: non poterit dimittere eam cunctis diebus vitae suae. 30. Non accipiet homo uxorem patris sui, nec revelabit operimentum eius.

CAPVT XXIII.

Quos arcere debeant ex sua ecclesia, de munditie in castris, de meretricibus, de usura.

1. *NON intrabit eunuchus attritis, vel amputatis testiculis, et abscisso veretro ecclesiam Domini. 2. Non ingredietur mamzer, hoc est, de scorto natus in ecclesiam Domini usque ad decimam*

generationem. 3. *Ammonites, et Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt ecclesiam Domini in aeternum.* 4. *Quia noluerunt vobis occurrere cum pane, et aqua in via, quando egressi estis de Aegypto, et quia conduxerunt contra te Balaam filium Beor de Mesopotamia Syriae, ut malediceret tibi.* 5. *Et noluit Dominus Deus tuus audire Balaam, vertitque maledictionem eius in benedictionem tuam, eo quod diligeret te.* 6. *Non facies cum eis pacem, nec quaeras eis bona cunctis diebus vitae tuae in sempiternum.* 7. *Non abominaberis Idumaeum, quia frater tuus est; nec Aegyptium, quia advena fuisti in terra eius.* 8. *Qui nati fuerint ex eis; tertia generatione intrabunt in ecclesiam Domini.* Ubique hic ecclesiae Dei nomine coetus intelligitur Israelitarum, quoad illorum consociationem in unum populum, unamque civitatem. Quomodo etiam illi de se rebelles adversus Moysem, et Aaronem pronunciaverunt: „Cur eduxistis „ecclesiam Domini in solitudinem?" Numer. 20. v. 4. Non ergo isti dicuntur arcendi a Religione, nam Exodi 12. v. 48. alienigenis citra ullam exceptionem alicuius nationis permittitur, ut suscipere possint Religionem, atque ipsius etiam paschalis agni participes esse, tantummodo ante circumciderentur: sed tantum cavetur, ne iura civitatis cum illis communicarentur, neve magistratus illis committerentur. Quemadmodum etiam de opificibus Eccli. 38. v. 37. sic est dictum: „In ecclesiam non transi„lient, super sellam iudicis non sedebunt" Hoc

autem de istis propter eorum gubernandi inscitiam; de istis autem, de quibus isto loco tractatur, vel propter defectum virilitatis, et honestatis, vel ob indignitatem, quorum a se alienos animos, ut Ammonitarum, atque Moabitarum fuissent experti. Vocabulum *Mamzer*, etsi illud S. Hieronymus hic per explicationem posuerit significare de scorto natum; tamen hanc habere reipsa significationem, certum non est. Nam idem hoc vocabulum cum recurreret Zachariae 9. v. 6. S. Hieronymus *Separatorem* vertit, Septvaginta autem alienigenam (ἀλλογενεῖς). Atque sic fuisse ibi vertendum, ut Septvaginta verterunt, intelligitur ex reliquo orationis contextu. Nam adhibetur erga eos hoc vocabulum, qui pro Philisthaeis, postquam hi pulsi ex suis sedibus fuissent; habitaturi essent in illorum urbe Azoto, estque proinde sensus ab alienigenis occupandam esse illorum regionem. Quare cum in eadem hac significatione hoc vocabulum *Mamzer* ut hic etiam sumatur, ille Zachariae locus pro documento est, tum hoc etiam confirmat Jephte exemplum. Nam, tametsi ille esset ex meretrice, et scorto prognatus, Judicum 11. v. 1. tamen iudex totius populi fuit, et principatum gessit. Itaque hoc sic est positum, ut primo diceretur Mamzer, et generatim neminem ex alienigenis esse ad ecclesiam recipiendum ante decimam generationem; deinde vero in specie hoc praecipitur de Ammonitis, et Moabitis hos esse prorsus nunquam admittendos. Equidem Achior Ammonitarum dux Judith 14. v. 6. adposi-

tus est ad populum Israel: etiam Ruth femina Moabitis ad Israeliticam gentem transiit Ruth 4. v. 16. Sed quoad hanc, quoniam non a feminis, verum a viris iura civitatis in posteros transmittuntur, istud cum praesenti loco nihil habet discordiae. Achior autem adpositus est ad Israeliticum populum, quoad videlicet Religionem, quam tum suscepit. Deinde, etiamsi erga Achiorem lex illa laxata esset? Erat enim viri illius singulare meritum, qui Deo Israel coram Holoferne tam praeclarum praestiterat testimonium. Neque enim si singularis aliquis casus excipiatur; vim hoc semper tollit generalem legis. Est vero Israelitis mandatum de Moabitis, atque Ammonitis, ne facerent cum eis pacem, nec quaererent eis bona, quod non hoc significat, quasi belligerandum cum illis perpetuo ipsis esset, sed ne studerent illorum commodis. Nam pax consvetudine loquendi Hebraeorum cumulum omnis boni, et prosperitatis solet significare, quamobrem salutando etiam illam sibi mutuo precabantur. Nec tamen iterum hoc etiam impediebat Davidem, ne Ammonitarum regi, cuius erga se benevolentiam fuerat expertus; saltem quoad eius personam bene afficeretur. 2. Reg. 10. v. 2. neque enim ideo iura civitatis cum eo communicaverat.

9. *Quando egressus fueris adversus hostes tuos in pugnam, custodies te ab omni re mala* ne hanc scilicet aliis iniuriose afferrent, et militum licentia absque ducis imperio libere grassandi prohibetur. Quos etiam S. Joannes Domini Praecursor

sic monuit: „Neminem, inquit, concutiatis, neque „calumniam faciatis, et contenti estote stipendiis „vestris“ Luc. 3. v. 14. *Si fuerit* 10. *inter vos homo, qui nocturno pollutus sit somnio, egredietur extra castra,* 11. *et non revertetur, priusquam ad vesperam lavetur aqua, et post solis occasum regredietur in castra.* 12. *Habebis locum extra castra, ad quem egrediaris ad requisita naturae* 13. *gerens paxillum in balteo. Cumque sederis, fodies per circuitum, et egesta humo operies,* 14. *quo relevatus es. Dominus enim Deus tuus ambulat in medio castrorum, ut eruat te, et tradat tibi inimicos tuos, et sint castra tua sancta, et nihil in eis appareat foeditatis, ne derelinquat te.* 15. *Non trades servum domino suo, qui ad te confugerit;* 16. *habitabit tecum in loco, qui ei placuerit, et in una urbium tuarum requiescet, ne contristes eum.* Hoc de servis aliarum nationum est intelligendum, qui perfugerent ad Israelitas. Quod inde perspicitur, quod habitandi apud eos in qua urbe, et loco eis placeret, data sit facultas. Et, si hoc de Israelitarum servis heros suos deserentibus, et ad alios privatos confugientibus praeceptum fuisset; quantus fugiendi servis campus datus fuisset? Erga peregrinos autem res haec speciem humanitatis habuit, ut perfugium quaerentes apud se, nec ipsi per vim opprimerent; neque etiam duris, atque immitibus heris ad supplicium dederent.

17. *Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filiis Israel.* 18. *Non offeres merce-*

dem prostibuli, nec pretium canis in domo Domini Dei tui, quidquid illud est, quod voveris, quia abominatio est utrumque apud Dominum Deum tuum. Pretium canis, vel est positum per synonymiam, ut idem significet, quod pretium prostibuli, similitudoque sit desumpta ad prostibulum a cane, cuius patens, et sine verecundia exposita esse solet libido; vel vero id, quod prius de prostituti pudoris femina, quaeque venalem verecundiam habet, est dictum; id extenditur ad omnes eiusmodi mercedes, et quaestus, qui illiberales, ac sordidi essent, ne ex istorum lucris Deo fierent oblationes, denominatione horum quaestuum a canibus, qui tanquam genus vilissimae rei saepius nominantur in Scriptura, ut 1. Reg. 25. v. 22. 2. Reg. 3. v. 8. et cap. 16. v. 19.

19. *Non foenerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem,* 20. *sed alieno. Fratri autem tuo absque usura id, quo indiget, commodabis, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo in terra, ad quam ingredieris possidendam.* Lege naturali censentur usurae prohibitae, quoniam si absque aliis adiunctis spectetur commodatio pecuniae, dum plus in repetendo exigitur, quam datum est; detrahitur alteri id, quod non debet; quod iniuriosum, et mutuae charitati repugnans est, qua alteros propter similitudinem naturae ductu ipsius naturae ita obligamur diligere, sicut nosipsos. De usura, quae Israelitis a Deo erga alienigenas permissa est, sic pronunciat

S. Ambrosius lib. de Tobia cap. 15. „Cui enim, „inquit, iure inferuntur arma; huic legitime indi„cantur usurae: - - - ab hoc usuram exige, quem non „sit crimen occidere.“ Ex supremo igitur Dei dominio in res omnes, illoque perfectissimo, cuius omnia sunt, a cuius sola liberalitate in creaturas quisque id, quod habet, possidet; et in cuius potestate est id, quod alicui dedit, sicut dedit, ita quoque accipere, et alteri, cuicunque voluerit dare, fuit illa, et fluxit usurae erga alienigenas Israelitis concessio. Quas Deus ita illis concessit, sicut Aegyptios etiam spoliandi facultatem ipsis dedit, et sicut Chananaeos suis opibus, et fundis exuit, ut his locupletaret eosdem Israelitas. Intelligitur ergo hanc in Israelitis, dum usuram ab alienigenis exegerunt, iniustitiam non fuisse, nam cuius rei Deus ius illis concessit; haec iniustitia, et iniquitas esse non potest. Sed quaestio esse potest, quomodo nunc etiam apud Christianos in mutuatione aliquid supra sortem accipere non iniquum esse possit. Nihil enim temporale nobis a Christo promissum est. „Animadvertat, ait S. Augustinus lib. 1. de „Serm.Domini in monte cap. 5. quisquis delicias „huius seculi, et facultates rerum temporalium „quaerit in nomine Christiano, intrinsecus esse „beatitudinem nostram.“ Tantum enim abest, ut aliena nobis permittantur, cum praeceptum habeamus, ut renunciemus rebus omnibus, etiam nostris. „Qui non reunciaverit omnibus, quae possidet, „non potest meus esse discipulus.“ Luc. 14. v. 33.

Ex

Ex se autem usura est mala, et contraria illi amori, quo tenemur omnes alios homines amare sic, ut nosipsos, habereque illos, ut proximos nostros propter naturae similitudinem, communemque Dei imaginem, quae illis impressa est nobiscum, in qua fundatur amor erga ipsos, ut illos non propter se, sed propter Deum amemus, et in quo lex naturalis fundatur amandi illos, sicut nosipsos. Intelligitur igitur iure naturali prohibita esse usura eo, quod iniuriosa sit alteri, quem re sua privat accipiendo ab eo aliquid ultra commodatae pecuniae sortem. Sed si is, qui potestatem habet; ius mihi tribuat occupandi alterius rem, ut hoc Deus concessit Israelitis erga Aegyptios, et Chananaeos, quorum illi alteros spoliarunt; alteris bellum ultro, quin ante ab illis essent lacessiti, intulerunt, et vita, fortunisque omnibus suis privaverunt, utque hoc fit in omni iusto, et legitimo bello, quem enim vita, hunc multo magis facultatibus suis exuere licet; et Deus iisdem Israelitis ius tribuit erga alienigenas omnes nationes illarum se pecuniis locupletandi per usuram; profecto haec iam non erit aliqua erga alterum iniuria, cuius faciendi ego ius habeo. Exercent vero potestatem etiam nomine Dei ii, qui civili auctoritate praesunt „Non est enim potestas nisi a Deo" Rom. 13. v. 1. iidemque ius habent constituendi de privatorum bonis, illisque utendi, si hoc pertineat ad publicum, communeque bonum; quod privatus quisque concurrendi ad illud obligationem habeat, sicut membrum quodlibet in cor.

pore ad bonum totius corporis etiam cum suo incommodo debet concurrere, et prodesse. Cum igitur civili potestate constitutum sit, ut aliquid ultra sortem in mutuatione pecuniarum accipiatur, in eoque ratio vertatur publici, et communis boni, quo facilius mutuationes impetrentur, rerumque commercia expeditiora fiant, sine quibus infirma omnis, atque sine nervis est civitas; illa in mutuatione etiam moderna supra sortem acceptio, nisi fortasse excedat terminos, qui accipiendi publica auctoritate constituti sunt, non est iniusta alienae rei ad se pertractio, sed illius ad se publica auctoritate translatio. Nam etiam in rerum praescriptionibus, quando quis tanto tempore, quantum civilibus legibus praescriptum est, rem alterius bona fide possidet; res illa iure transit ad alterum, ut restituendi iam amplius obligationem non habeat, tametsi, si praecise ius tantum naturale spectetur, temporis quantacunque mora hoc praestare non possit; ut res redire ad illum non debeat, cuius deprehenditur esse. Quod similiter, uti illud prius, lege constitutum est, propter rationem communis, et civilis boni: quod nisi praescribendi hoc tempus esset statutum, litium, et discordiarum in civitate nullus finis esset, neque aliquis uspiam quiete aliquid posset possidere, cum rerum ab alio ad alium perpetuae translationes fiant, indeque, qui earum anteriores possessores fuerunt, sibi semper quaererent illas repetendi.

21. *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus*

tuus. Et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. 22. *Si nolueris polliceri, absque peccato eris.* De votis, quorum obligationem etiam Augustana, et Helvetica confessio sustulit, tractabitur argumentum ad Psalmi 75. v. 12. *Quod autem* 23. *semel egressum est de labiis tuis, observabis, et facies, sicut promisisti Domino Deo tuo, et propria voluntate, et ore tuo locutus es.* 24. *Ingressus vineam proximi tui, comede uvas, quantum tibi placuerit, foras autem ne efferas tecum.* 25. *Si intraveris in segetem amici tui, franges spicas, et manu conteres, falce autem non metes.*

CAPVT XXIV.

De libello repudii; de exercenda benevolentia erga pauperes, et peregrinos.

1. *SI acceperit homo uxorem, et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam foeditatem* Hebraice: *quia invenit in ea foedam rem* (כִּי־מָצָא בָהּ עֶרְוַת דָּבָר) quam foedam Septvaginta rursus sic verterunt: ἄσχημον πρᾶγμα indecorum factum; *scribet libellum repudii, et dabit in manu illius, et dimittet eam de domo sua.* Ne inter Judaeos quidem satis constitisse, quae foeditas illa esset, et quae causa sufficeret ad dimittendam uxorem, illud ostendit; quod Christum ipsum tentandi, et periclitandi causa interrogaverint

Pharisaei: liceretne homini dimittere uxorem suam, quacunque ex causa Matth. 19. v. 3. Joseph Mariam coniugem suam voluit dimittere propter suspicionem adulterii Matth. 1. v. 19. occulte autem, quoniam cum una ex parte Virginis nota integritas obstaret, ne tale de illa flagitium crederet; ex altera vero uterus intumescens manifestum adulterio documentum videretur esse; cavere voluerit, ne lapidationis illam periculo obiiceret, si causam, cur illam dimiserit, prodidisset. Ex quo vero perspicitur, non hanc solam debuisse esse semper causam dimittendi uxorem. Eo ipso enim, quod esset dimissa, etiamsi causa reticeretur, occulteque teneretur; per se omnibus adparuisset, esse dimissam, quod eam maritus habuerit adulteram, si dimittendi illam licita causa nulla alia esse potuisset. Quomodo ergo nihilominus dato libello repudii ineundi alterius matrimonii facultas illi a Moyse, ut hoc adhuc dicetur, concessa fuisset? Nam, si supplicio perimenda fuit, facultas alterius matrimonii dari illi non potuit. Latius ergo pertinebat haec dimissionis causa ad alias etiam praeter adulterium deformitates, invisasque uxoris actiones.

2. *Cumque egressa alterum maritum duxerit,* 3. *et ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, et dimiserit de domo sua, vel certe mortuus fuerit;* 4. *non poterit prior maritus recipere eam in uxorem, quia polluta est, et abominabilis facta est coram Domino, ne peccare facias terram tuam, quam Dominus Deus tuus tradiderit*

tibi possidendam. Hanc repudiandi uxores suas facultatem Judaeis esse concessam ob solam eorum duritiem docuit ipse Christus Matth. 19. v. 8. „Quo„niam, inquit, Moyses ad duritiam cordis vestri „permisit vobis dimittere uxores vestras; ab initio „autem non fuit sic.“ Cum ergo tantum propter duritiam illis hoc fuerit permissum; lex autem alia, et contraria fuerit huic dimissioni, quam Deus dederit iam statim in creatione; quaeri merito potest, talisne dimimissio, et multo magis eius, quae a marito suo dimissa est, in matrimonium vivo priore marito ab altero ductio, fueritne immunis a peccato. Non sine peccato fuisse sensit S. Hieronymus in caput 5. Matthaei, Estius, Silvius, pluresque alii. At alii itidem plures, et nominatim S. Thomas in Supplem. Q. 67. art. 3 ad 4. hoc negant. „Nam, quamvis duritia cordis, verba sunt „S. Thomae, non excusaret a peccato, tamen per„missio ex duritie facta excusat. Quaedam enim „prohibentur sanis, quae non prohibentur infirmis „corporaliter: nec tamen peccant infirmi permis„sione sibi facta utentes.“ Nam Moysesne, qui plurima alia nec tanti ponderis, et leviora tam graviter, atque severe inculcat; hocne permisisset, ut mulier a marito suo dimissa inire matrimonium aliud possit, si post dimissionem etiam hoc facere peccatum fuisset? Dicitur autem mulier, si denuo reciperetur a priore marito, postquam dimissa fuit, polluta, et abominabilis, quod ea res materiam praeberet vagae libidini, et quamdam com-

munionem induceret earumdem uxorum inter plures maritos. Nam, si aliam ob causam, et non propter repudium mulier quaedam ad alterum maritum devenisset, nihil tum impedimenti fuisse, ne illa repeti posset a priore marito, Davidis factum ostendit, qui Michol Saulis filiam suam uxorem ab altero illius viro repetiit, cum huic illam Saul adversus Davidis voluntatem desponsasset. 2. Reg. 3. v. 14. Istud: *quia polluta est, et abominabilis facta est coram Domino*, est in Hebraeo sic: *quia abominatio haec coram Deo* (כִּי־תוֹעֵבָה הִוא לִפְנֵי יְהוָה) nimirum, si prior maritus uxorem a se ante repudiatam; atque ab alio contrectatam rursus reciperet. Quo illud quoque spectat, quod deinde sequitur: *ne peccare facias terram tuam*, ne scilicet tali peccato contaminarent terram, quam a Deo ad incolendum accepissent.

5. *Cum acceperit homo nuper uxorem, non procedet ad bellum, nec ei quidpiam necessitatis iniungetur publicae; sed vacabit absque culpa domi suae, ut uno anno laetetur cum uxore sua.* 6. *Non accipies loco pignoris inferiorem, et superiorem molam, quia animam suam opposuit tibi.* Superior, et inferior mola sunt duae illius partes, inter quas frumentum teritur. Superior pars Latine dicitur meta, inferior catillus. Hebraice est: non accipies pignore integram molam, nec eius superiorem partem (לֹא־יַחֲבֹל רֵחַיִם וָרָכֶב) Nam vocabulum Hebraicum *Rechaim* numeri dualis ambas partes molae, *Recheb* superiorem de-

notat. Ratio autem dicitur, cur haec vetentur accipi pignoris loco, quod, qui haec in pignus offerret, animam suam, hoc est vitam suam in pignus exponeret, quia sublata ipsi vel integra mola, vel etiam sola superiore illius parte, idem autem etiam esset de parte eius inferiore, sed in specie illud tantum est positum, sed ex quo intelligi posset hoc etiam aliud; vivendi, atque victus procurandi ratio ei, qui tantum ex mola sua hac viveret, adimeretur.

7. *Si deprehensus fuerit homo sollicitans* Hebraice *furans* (גֹּנֵב) *fratrem suum de filiis Israel, et vendito eo acceperit pretium; interficietur, et auferes malum de medio tui.* 8. *Observa diligenter, ne incurras plagam leprae, sed facies, quaecunque docuerint te Sacerdotes Levitici generis iuxta id, quod praecepi eis, et imple sollicite.* Huc pertinet illud, ut caverent, ne incurrerent lepram, si nimirum morem non gererent dictis Sacerdotum. Nam futurum esse, ut Deus ipsos ista poena, et lepra plectat, si peccarent adversus sacerdotes. Quod deinde, ut versu subsequenti est, demonstrat, et confirmat exemplo Mariae sororis Moysis, quae etiam hanc poenam subiverit, cum se insolenter gessisset adversus Moysen: Id quod Numerorum cap. 22. v. 10. narratur. 9. *Mementote, quae fecerit Dominus Deus vester Mariae in via; cum egrederemini de Aegypto.*

10. *Cum repetes a proximo tuo rem aliquam, quam debet tibi, non ingredieris domum eius, ut*

pignus auferas, 11. *sed stabis foris, et ille tibi proferet, quod habuerit;* 12. *Sin autem pauper est, non pernoctabit apud te pignus,* 13. *sed statim reddes ei ante solis occasum, ut dormiens in vestimento suo benedicat tibi, et habeas iustitiam coram Domino Deo tuo.* 14. *Non negabis mercedem indigentis, et pauperis fratris tui, sive advenae, qui tecum moratur in terra, et intra portas tuas est.* 15. *Sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum, quia pauper est, et ex eo sustentat animam suam; ne clamet contra te ad Dominum, et reputetur tibi in peccatum.* 16. *Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro parentibus, sed unusquisque pro peccato suo morietur.* Ad iudices hoc spectat dictum, ne illi in plectendo ultra eum, qui reus est, progrederentur. Nam Deus peccata parentum in filios visitat in tertiam etiam, et quartam generationem Exodi 20. v. 5. Judicum igitur potestatem Deus arctius circumscripsit, quam ipse illam in puniendo exerceret. 17. *Non pervertes iudicium advenae, et pupilli, nec auferes pignoris loco viduae vestimentum.* „Pignus vero cum prohibet vestimentum „auferri viduae, puto, ait S. Augustinus, Quaest. „43. in Deut. quod satis eleganter admoneat, eas „vere dicendas esse viduas, quae etiam pauperes „sunt.“

18. *Memento, quod servieris in Aegypto, et eruerit te Dominus Deus tuus inde. Idcirco praecipio tibi, ut facias hanc rem.* 19. *Quando mes-*

sueris segetem in agro tuo, et oblitus manipulum reliqueris, non reverteris, ut tollas illum; sed advenam, et pupillum, et viduam auferre patieris, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum. 20. *Si fruges collegeris olivarum; quidquid remanserit in arboribus, non reverteris, ut colligas, sed relinques advenae, pupillo, ac viduae.* 21. *Si vindemiaveris vineam tuam, non colliges remanentes racemos, sed cedent in usus advenae, pupilli, ac viduae.* 22. *Memento, quod et tu servieris in Aegypto, et idcirco praecipio tibi, ut facias hanc rem.*

CAPVT XXV.

De plagarum numero reo infligendo; de fratris sine prole defuncti uxore accipienda in matrimonium, de aequitate ponderum, de Amalecitis delendis.

1. *SI fuerit causa inter aliquos, et interpellaverint iudices, quem iustum esse perspexerint; illi iustitiae palmam dabunt: quem impium, condemnabunt impietatis.* 2. *Sin autem eum, qui peccavit, dignum viderint plagis, prosternent, et coram se facient verberari. Pro mensura peccati erit et plagarum modus,* 3. *ita dumtaxat, ut quadragenarium numerum non excedant, ne foede laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus:* Hebraice: *et non evilescet frater tuus in oculis tuis*

(וְנִקְלָה אָחִיךָ לְעֵינֶיךָ) hoc est, ut aestimarent illum, et cogitarent ex eadem secum stirpe prognatum, neve illum, ut vile mancipium, indignius verberibus tractarent. 4. *Non ligabis os bovis terentis in area fruges tuas.* Hoc subtiliore sensu pertinere eo, ut, qui ministrarent Evangelio annunciando illud, viverent ex eodem Evangelio, declaravit S. Paulus 1. Cor. 9. v. 9. *Quando habitaverint 5. fratres simul, et unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater eius, et suscitabit semen fratris sui, 6, et primogenitum ex ea filium nomine illius adpellabit, ut non deleatur nomen eius ex Israel.* Quando habitaverint fratres simul, pro isto *simul* Hebraeum vocabulum est *Jachdav* (יַחְדָּו) quod non semper significat loci coniunctionem, sed aliam qualemcunque: nec proinde istud sic intelligendum est, ut quis defuncti fratris sui uxorem, qui absque liberis decessisset, tunc tantum teneretur ducere; si cum defuncto habitavisset in eadem domo. Itaque positum est hoc pro iis, qui ex una, eademque essent familia. Declarant vero exempla, primogenitis ex tali cum defuncti fratris uxore matrimonio non fuisse impositum nomen illud, quod gesserat defunctus frater. Nam Booz, qui defuncti cognati sui Mahalon Ruth uxorem duxerat, filium primogenitum ex ea susceptum Obed non Mahalonem vocavit Ruth 4. v. 17. Quamobrem sic hac de re pronunciat S. Augustinus lib. 2. Retract. cap. 12.

„Suscitare nomen defuncti, inquit, quod dictum „est, ad hoc lex valere praecipit, ut eius (de- „functi nimirum fratris) filius diceretur, non ut „hoc, quod ille vocaretur.“ Habebatur igitur tantum pro filio defuncti, ut eo iure, quo filius, ei in haereditate succederet; non, ut illius persona nomen etiam hoc idem gereret, quod defunctus. Ex hac vero eadem Ruth historia intelligitur, si quando frater praesto non esset defuncti, ad alium cognatum, atque hunc prae aliis maxime propinquum officium hoc suscitationis pertinuisse, nisi sponte alteri, cognato tamen, servandoque ordinem cognationis, ut semper, qui propinquior esset, prior esse deberet ad accipiendam in matrimonium defuncti uxorem, ius hoc suum cedere vellet. Nam etiam Booz non prius Ruth postulanti ausus est promittere matrimonium, quam is, qui propinquior erat, iuri cessisset propinquitatis, Ruth 3. v. 12. Praeterea non tenuisse hanc legem ducendi defuncti fratris uxorem, tantummodo ex se reliquisset filiam, perspicitur ex filiarum Salphaad exemplo, quibus successio ob hanc ipsam causam confirmata a Deo est, ut parentis sui sine mascula prole defuncti nomen continuarent in familia, illeque per ipsas acciperet haeredes. Numerorum 27. v. 1. Quod ergo defunctus obtinere per filias suas potuit; id peti non debebat ab illius fratre, vel alio cognato. Quod si autem uxor defuncti, ne ex secundo quidem cum mariti mortui fratre, vel cognato matrimonio prolem suscepisset,

isteque etiam mortuus fuisset, perstitit ista lex, atque obstringebat tertium, quartum, atque ulteriorem etiam cognatum, ut semper ab altero duceretur, si prior sine prole ex illa decessisset. Nam hoc sic apud Israelitas viguisse, manifestum est et ex exemplo Thamaris, quae nurus fuit Judae. Cui cum frater etiam primi mariti mortuus absque prole ex eo esset; Judas socer tertium etiam illi suum filium ad matrimonium promiserit seminis suscitandi causa erga primum illius maritum Genesis 38. v. 11. et quod Sadducaei de septem fratribus eandem uxorem, habentibus in matrimonio, cum omnes illam ordine duxissent, quod semper prior esset absque prole mortuus, quaestionem Christo proposuerint. Qui nisi casus possibilis fuisset, non ex illo sibi Sadducaei argumentum petere voluissent. Matth. 22. v. 24.

7. *Sin autem noluerit accipere uxorem fratris sui, quae ei lege debetur, perget mulier ad portam civitatis, et interpellabit maiores natu, dicetque: non vult frater viri mei suscitare nomen fratris sui in Israel, nec me in coniugem sumere.* 8. *Statimque accersiri eum facient, et interrogabunt. Si responderit: nolo eam uxorem accipere;* 9. *accedet mulier ad eum coram senioribus, et tollet calceamentum de pede eius, spuetque in faciem illius, et dicet: sic fiet homini, qui non aedificat domum fratris sui.* Domus pro familia, et stirpe fratris sui est posita, quam is scilicet nollet excitare procreando illi ex uxore re-

licta filium, ut habeat posteros. Excalceatione autem illa significabatur ipsum nullum habiturum ius ad defuncti fratris haereditatem, qui recusasset ipsi ex uxore procreare posteros. Itaque etiam is, qui propinquitatis iure prae Boozo Ruth uxorem debuisset ducere, calceum de pede suo solvit, Boozoque illum tradidit, quo declararet se nec agrum etiam velle habere, quem defunctus reliquerat, illumque se una cedere. Ruth 4. v. 8. *Et vocabitur* 10. *nomen illius in Israel domus discalceati.* Illius autem sic vocabatur domus, et familia, qui uxorem defuncti fratris ducere noluit, nam huic detrahebatur calceus. Ignominiae igitur causa hoc fiebat, ut istius hac nota deterrerentur alii ab eadem agendi ratione.

11. *Si habuerint inter se iurgium viri duo, et unus contra alterum rixari coeperit, volensque uxor alterius eruere virum suum de manu fortioris, miseritque manum, et adprehenderit verenda eius,* 12. *abscides manum illius, nec flecteris super eam ulla misericordia.* 13. *Non habebis in sacculo diversa pondera maius, et minus.* 14. *Nec erit in domo tua modius maior et minor.* 15. *Pondus habebis iustum, et verum, et modius aequalis, et verus erit tibi, ut multo vivas tempore super terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi.* 16. *Abominatur enim Dominus Deus tuus eum, qui facit haec, et aversatur omnem iniustitiam.* 17. *Memento, quae fecerit tibi Amalec in via, quando egrediebaris ex Aegypto.* 18. *Quo-*

modo occurrerit tibi, et extremos agminis tui, qui lassi residebant, caeciderit, quando tu eras fame, et labore confectus, et non timuerit Deum.
19. *Cum ergo Dominus Deus tuus dederit tibi requiem, et subiecerit cunctas per circuitum nationes in terra, quam tibi pollicitus est; delebis nomen eius sub caelo. Cave, ne obliviscaris.*

CAPVT XXVI.

De primitiis, et decimis.

1. *CVMQVE intraveris terram, quam Dominus Deus tuus tibi daturus est possidendam, et obtinueris eam, atque habitaveris in ea,* 2. *tolles de cunctis frugibus tuis primitias, et pones in cartallo* Graecum hoc est vocabulum, et corbem significat, *pergesque ad locum, quem Dominus Deus tuus elegerit, ut ibi invocetur nomen eius,*
3. *accedesque ad Sacerdotem, qui fuerit in diebus illis, et dices ad eum: profiteor hodie coram Domino Deo tuo, quod ingressus sum in terram, pro qua iuravit patribus nostris, ut daret eam nobis.* 4. *Suscipiensque sacerdos cartallum de manu tua ponet ante altare Domini Dei tui,* 5. *et loqueris in conspectu Domini Dei tui: Syrus persequebatur patrem meum, qui descendit in Aegyptum, et ibi peregrinatus est in paucissimo numero, crevitque in gentem magnam, ac robustam:*

et infinitae multitudinis. Hunc patrem Israelitici populi fuisse Jacobum difficile perspectu non est, Syrum autem, qui illum persecutus est, Labanum. Nam in Mesopotamia Syriae habitavit, quam Hebraei Aramaeam adpellaverunt. Gen. 28. v. 2. Hoc vero in Hebraeo est sic, ut quasi videatur ipse Jacob adpellatus esse Syrus: ארמי אבד אבי *Syrus* vel *Aramaeus periens* (erat) *pater meus.* At est ellipsis praepositionis, estque ארמי *loco* מארמי, quales praepositionum ellipses, et praetermissiones crebrae etiam alibi in Hebraeo sunt. Vertendum igitur est: *ab Syro* vel *Aramaeo periens erat pater meus*, quem scilicet ille premeret, et persequeretur, ut Interpres Latinus hunc sensum recte posuit, ut hoc etiam Chaldaeus et Arabs ita vertit. Sic enim habet Chaldaeus: *Laban Syrus quaesivit perdere patrem suum*, Arabs autem: *Laban Aramaeus parum abfuit, quin perderet patrem suum.*

6. *Afflixerunt nos Aegyptii, et persecuti sunt imponentes onera gravissima.* 7. *Et clamavimus ad Dominum Deum patrum nostrorum, qui exaudivit nos, et respexit humilitatem nostram, et laborem, atque angustiam,* 8. *Et eduxit nos de Aegypto in manu forti, et brachio extento, in ingenti pavore; in signis, atque portentis,* 9. *et introduxit ad locum istum, et tradidit nobis terram lacte, et melle manantem.* 10. *Et idcirco nunc offero primitias frugum terrae, quam Dominus dedit mihi. Et dimittes eas in*

conspectu Domini Dei tui, et adorato Domino Deo tuo: Hebraice: *et adorabis* (וְהִשְׁתַּחֲוִיתָ) *Dominum Deum tuum. Et epulaberis* 11. *in omnibus bonis, quae Dominus Deus tuus dederit tibi et domui tuae, tu, et Levites, et advena, qui tecum est.* 12. *Quando compleveris decimam cunctarum frugum tuarum anno decimarum tertio dabis Levitae, et advenae, et pupillo, et viduae, ut comedant intra portas tuas, et saturentur.* Triplex fuit genus decimarum. Binae ex his quotannis fiebant. Quarum una tota Levitis erat danda, ex altera sacrae epulae solennibus diebus erant instituendae, vocandique ad eas Levitae in loco, ubi erat tabernaculum, vel templum; tertia demum singulis annis tertiis praeter illas priores erat instituenda, ex qua pauperibus, et peregrinis, vivendi subsidia darentur, aut etiam Levitis domi convivia praeberentur. De qua triplici decimatione Numer. 18. v. 21. Deuteron. 14. v. 22. et 28. est iam etiam dictum.

13. *Loquerisque in conspectu Domini Dei tui: abstuli, quod sanctificatum est de domo mea,* hoc est, quod consecratum erat pauperibus, illud ex reliquis proventibus accepi, atque separavi, genus autem tertiae decimae intelligitur, de qua sermo superiore versu antecessit, ut paulo ante demonstratum est, *et dedi illud Levitae, et advenae, et pupillo, ac viduae, sicut iussisti mihi. Non praeterivi mandata tua, nec sum oblitus imperii tui.* 14. *Non comedi ex eis in luctu meo,*

nec

nec separavi ea in qualibet immunditia, nec expendi ex his quidquam in re funebri. Hinc membrum medium: *non separavi ea in qualibet immunditia* lumen praebet ad reliqua etiam duo perspicienda, quid adcurate significent. Ex illo enim fit manifestum hoc de decimis istis dici, atque hunc, qui modo sic Deum oraret, hoc profiteri de illis, quod illas sic separaverit, ut nulla aliqua immundities ad illas accesserit, unde contaminari potuissent. De illls igitur hoc primum profitetur, quod ex illis non comederit in luctu suo. Jam, si ipse illarum partem comedendo absumsisset; non illas integre pauperibus, et peregrinis conservavisset: et quandocunque ipse illas consumpsisset, atque sive in luctu esset, sive non, inde comedisset; decimas illas violavisset, pauperibusque detraxisset, quod illis praestare debuisset. Cur ergo de luctu hoc positum sit, quod in eo de decimis nihil comederit, cum ad violandas illas decimas idem fuisset, quandocunque comederentur, causa non erat. Vocabulum Hebraicum *Achalti* (אָכַלְתִּי) non solum comedere significat, verum etiam generalius aliquid quacunque ratione destruere, et depravare. Cadavera autem mortuorum, quantumvis propinquorum, si aliquis vel tantum intraret eo, ubi cadaver iaceret, iam afferebant immunditiem, quae durabat dies septem; quo tempore, quidquid iste immunditie affectus a mortuo, attingeret, faciebat immundum, ut est Numer. 19. v. 11, 14, et 22. Ex quo iam perspici potest, qualis ille luctus intelligi debeat,

dum mimirum alicui propinquus aliquis esset mortuus, ipseque propter accessum ad mortui cadaver, vel habitationem in eadem domo factus immundus esset. De hoc igitur profitetur, quod decimas illas, dum in luctu et in immunditie esset, attactu suo non destruxerit, immundas faciendo. Quo ad eamdem rem etiam tertium membrum pertinet: *nec expendi ex his quidquam in re funebri* Hebraice: *et non dedi ex eo a mortuo:* (וְלֹא־נָתַתִּי מִמֶּנּוּ לְמֵת) significatque, se nihil contribuisse ad illas decimas, quas pro pauperibus separaverat, quod esset contaminatum, et immundum factum a mortuo. Sinceritatem igitur hic suam declarat, et confitetur, quod pro pauperibus non destinaverit deteriora, et quae vitiata essent per aliquam immunditiem. Hebraicum *Lemeth* (לְמֵת) verti: *a mortuo.* Nam, etsi litera illa *Lamed* nota sit vulgo tertii casus; tamen significationem etiam saepe habet nostrae praepositionis *a*, vel *de* ut 2. Paral. 1. v. 13. ita est: *Et venit Salomon de excelso*, vel *ab excelso*: (וַיָּבֹא שְׁלֹמֹה לַבָּמָה) atque plura huius generis exempla adfert Buxtorfius Thesauri Lib. 2. cap. 20.

Obedivi voci Domini Dei mei, et feci omnia, quae praecepisti mihi. 15. *Respice de sanctuario tuo, et de excelso caelorum habitaculo, et benedic populo tuo Israel, et terrae, quam dedisti nobis, sicut iurasti patribus nostris, terrae lacte, et melle mananti.* 16. *Hodie Dominus Deus tuus praecepit tibi, ut facias mandata haec, atque*

iudicia, et custodias, et impleas ex toto corde tuo, et ex tota anima tua. 17. *Dominum elegisti hodie, ut sit tibi Deus, et ambules in viis eius, et custodias caerimonias illius, et mandata, atque iudicia, et obedias eius imperio.* 18. *Et Dominus elegit te hodie, ut sis ei populus peculiaris, sicut locutus est tibi, et custodias omnia praecepta illius,* 19. *et faciat te excelsiorem cunctis gentibus, quas creavit in laudem, et nomen, et gloriam suam:* Hebraice: *quem fecit ad laudem, et ad nomen, et ad gloriam* (אֲשֶׁר עָשָׂה לִתְהִלָּה וּלְשֵׁם וּלְתִפְאָרֶת) hoc est quem fecit inclytum, et celebrem, et gloriosum, nomine abstracto posito pro concreto. Refertur autem, ut ex ipso pronomine singularis numeri adparet, ad populum Israeliticum, ut hoc etiam Septvaginta Graece verterunt: ὡς ἐποίησέ σε ὀνομαστὸν, καὶ καύχημα, καὶ δοξαστόν: sicut fecit te nominatum, et gloriatiorem, et celebrem: *ut sis populus sanctus Domini Dei tui, sicut locutus est.*

CAPVT XXVII.

Praecipitur, ut postquam Jordanem transivissent positis aliis ex populo super montem Garizim, aliis super montem Hebal tam benedictiones, quam maledictiones pronunciarentur; hae in eos, qui transgressuri, illae, qui observaturi legem essent.

1. *PRAECEPIT autem Moyses, et seniores Israel populo dicentes: custodite omne manda-*

tum, quod praecipio vobis hodie. 2. *Cumque transieritis Jordanem in terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, eriges ingentes lapides, et calce laevigabis eos,* 3. *ut possis in eis scribere omnia verba legis huius Jordane transmisso, ut introeas terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, terram lacte, es melle manantem, sicut iuravit patribus tuis.* 4. *Quando ergo transieritis Jordanem, erigite lapides, quos ego hodie praecipio vobis in monte Hebal, et laevigabis eos calce,* 5. *et aedificabis ibi altare Domino Deo tuo de lapidibus, quos ferrum non tetigit,* 6. *et de saxis informibus, et impolitis, et offeres super eo holocausta Domino Deo tuo,* 7. *et immolabis hostias pacificas, comedesque ibi, et epulaberis coram Domino Deo tuo.* 8. *Et scribes super lapides omnia verba legis huius plane, et lucide.* Deuteronomium hoc fuisse, quod super lapides debebat scribi, apertius dicitur Josue 8. v. 32. *Dixeruntque* 9. *Moyses, et sacerdotes Levitici generis ad omnem Israelem: attende, et audi Israel: hodie factus es populus Domini Dei tui.* 10. *Audies vocem eius, et facies mandata, atque iustitias, quas ego praecipio tibi.* 11. *Praecepitque Moyses populo in die illo dicens:* 12. *hi stabunt ad benedicendum populo super montem Garizim Jordane transmisso: Simeon, Levi, Judas, Isachar, Joseph, et Beniamin,* 13. *et e regione isti stabunt ad maledicendum in monte Hebal: Ruben, Gad, et Aser, et Zabulon, Dan, et Neph-*

thali. Manasses non est nominatus, nec Ephraim, sed sub nomine Joseph utraque haec tribus continetur. Quare in monte Garizim tribus constitutae sunt septem. Hos vero montes fuisse sitos prope Sichem, quae regio postea obtigit tribui Ephraim, demonstratum est supra ad capitis 11. v. 30. *Et pronunciabunt* 14. *Levitae, dicentque ad omnes viros Israel excelsa voce:* 15. *Maledictus homo, qui facit sculptile, et conflatile, abominationem Domini, opus manuum artificum, ponetque illud in abscondito:* occulta, et clandestina etiam idololatria hic notatur. *Et respondebit omnis populus, et dicet: Amen.* Vox haec Hebraice vim habet in significando adsensu suo aliquid adprobandi, et confirmandi. 16. *Maledictus, qui non honorat* Hebraice: *vilipendit* (מַקְלֶה) *patrem suum, et matrem. Et dicet omnis populus: Amen.* 17. *Maledictus, qui transfert terminos proximi sui.* Fundorum videlicet terminos, qua de re lex supra capitis 19. v. 14. data est. *Et dicet omnis populus: Amen.* 18. *Maledictus, qui errare facit caecum in itinere. Et dicet omnis populus: Amen.* 19. *Maledictus, qui pervertit iudicium advenae, pupilli, et viduae. Et dicet omnis populus: Amen.* 20. *Maledictus, qui dormit cum uxore patris sui, et revelat operimentum lectuli eius. Et dicet omnispopulus: Amen.* 21. *Maledictus, qui dormit cum omni iumento. Et dicet omnis populus: Amen.* 22. *Maledictus, qui dormit cum sorore sua, filia patris sui, vel matris suae. Et dicet omnis populus: Amen.* 23. *Male-*

dictus, qui dormit cum socru sua. Et dicet omnis populus: Amen. 24. *Maledictus, qui clam percusserit proximum suum. Et dicet omnis populus: Amen.* 25. *Maledictus, qui dormit cum uxore proximi sui. Et dicet omnis populus: Amen.* 26. *Maledictus, qui accipit munera, ut percutiat animam sangvinis innocentis. Et dicet omnis populus: Amen.* 27. *Maledictus, qui non permanet in sermonibus legis huius, nec eos opere perficit. Et dicet omnis populus: Amen.*

Etiam benedictiones erant pronunciandae, ut est supra versu 12. atque has fuisse pronunciatas, diserte est Josue 8. v. 34. Quamvis autem non sint expositae, facile tamen intelligitur fuisse his maledictionibus contrarias, et ad quas cum a Levitis pronunciarentur, ii, qui in monte Garizim stabant, responderent Amen. Cur autem tam maledictiones, quam benedictiones illae tanto adparatu fierent in ingressu ad terram Chanaan; causa illa procul dubio fuerit, ut tanto magis legum observantia illis inculcaretur, atque sicut benedictionibus invitarentur ad observantiam, ita e contrario diris illis, et imprecationibus deterrerentur ab illarum transgressione. Ut Rupertus autem lib. 2. cap. 5. observat, erat in hac re insignis etiam typus, atque adumbratio illius tam maledictionis, quam benedictionis, quam Christus in die iudicii pronunciaturus est. Nam, cum regio, quae illis erat promissa, et ad quam ducebantur, ut post peregrinationis labores caperent in ea requiem; caelestis patriae, atque

ingressus in aeternam requiem typum gesserit, ut docet S. Paulus ad Hebraeos 4. v. 3. Josue autem, cuius ductu Israelitae venerunt in terram sibi promissam, Christum figuraverit, cuius gratia salvamur; quemadmodum haec promissa terra regni caelorum typus fuit; ita illa quoque maledictio, et benedictio adumbrarunt maledictionem, et benedictionem pronunciandam in fine mundi a Christo, quando ad possessionem caelestis gloriae electi una iam cum corporibus suis immortalitate donatis intraturi sunt.

CAPUT XXVIII.

Secundae, et adversae res Israelitis praedicuntur, prout se erga Deum gererent.

1. *SI autem audieris vocem Domini Dei tui, ut facias, atque custodias omnia mandata eius, quae ego praecipio tibi hodie, faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cunctis gentibus, quae versantur in terra.* 2. *Venientque super te universae benedictiones istae, et adprehendent te, si tamen praecepta eius audieris.* 3. *Benedictus tu in civitate, et benedictus in agro.* 4. *Benedictus fructus ventris tui, et fructus terrae tuae, fructusque iumentorum tuorum, greges armentorum tuorum, et caulae ovium tuarum.* 5. *Benedicta horrea tua, et benedictae reliquiae tuae.* Hebraice: מִשְׁאַרְתֶּךָ Mi-

scharetecha lintres autem hoc nomine intelliguntur, in quibus massa ad pinsendos panes subigitur. 6. *Benedictus eris tu ingrediens, et egrediens:* Hebraica consvetudine loquendi ingredi, egredi significat omnes ultro citroque actiones: cuius rei crebra sunt exempla ut 2. Reg. 3. v. 25. Psal. 120. v. 8. etc. 7. *Dabit Dominus inimicos tuos, qui consurgunt adversum te corruentes in conspectu tuo: per unam viam venient contra te, et per septem fugient a facie tua.* 8. *Emittet Dominus benedictionem super cellaria tua, et super omnia opera manuum tuarum, benedicetque tibi in terra, quam acceperis.* 9. *Suscitabit te Dominus sibi in populum sanctum, sicut iuravit tibi, si custodieris mandata Domini Dei tui, et ambulaveris in viis eius.* 10. *Videbuntque omnes terrarum populi, quod nomen Domini invocatum sit super te, et timebunt te.* 11. *Abundare te faciet Dominus omnibus bonis, fructu uteri tui, et fructu iumentorum tuorum, fructu terrae tuae, quam iuravit Dominus patribus tuis, ut daret tibi.* 12. *Aperiet Dominus thesaurum suum optimum caelum, ut tribuat pluviam terrae tuae in tempore suo.* Thesaurus Hebraice אוֹצָר *Otzar*, generatim id omne significat, quod solet esse absconditum, atque reconditum, quam ob rem etiam ad thesaurum ipsum, quod is recondi soleat, significandum adhibetur. Itaque caelum etiam hoc nubiferum, unde pluviae demittuntur, isto thesauri nomine adpellatur, quod potestatem pluviarum producendarum solus Deus habeat,

sibi quasi reconditam, quemadmodum idem Deus et ventos dicitur producere de thesauris suis Jerem. 10. v. 13. Psal. 134. v. 7. et habere inter suos thesauros nives, atque grandinem Jobi 38. v. 22. *Benedicetque cunctis operibus manuum tuarum: et foenerabis gentibus multis, et ipse a nullo foenus accipies.* 13. *Constituet te Dominus in caput, et non in caudam, et eris semper supra, et non subter: si tamen audieris mandata Domini Dei tui, quae ego praecipio tibi hodie, et custodieris, et feceris,* 14. *ac non declinaveris ab eis nec ad dexteram, nec ad sinistram, nec secutus fueris deos alienos, neque colueris eos.*

15. *Quod si audire nolueris vocem Domini Dei tui, ut custodias, et facias omnia mandata eius, et caerimonias, quas ego praecipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones istae, et adprehendent te.* 16. *Maledictus eris in civitate, maledictus in agro.* 17. *Maledictum horreum tuum, et maledictae reliquiae tuae.* Supra versu 5. hoc iam vocabulum antecessit, et explicatum ibi est. 18. *Maledictus fructus ventris tui, et fructus terrae tuae, armenta boum tuorum, et greges ovium tuarum.* 19. *Maledictus eris ingrediens, et maledictus egrediens.* 20. *Mittet Dominus super te famem, et esuriem, et increpationem in omnia opera tua, quae tu facies.* Increpatio pro ira, et indignatione est posita. Nam increpationes ab iratis fieri solent: *donec conterat te, et perdat velociter propter adinventiones tuas pessimas, in quibus re-*

liquisti me. 21. *Adiungat tibi Dominus pestilentiam, donec consumat te de terra, ad quam ingrederis possidendam.* 22. *Percutiat te Dominus egestate, febri, et frigore, ardore, et aestu, et aere corrupto, ac rubigine, et persequatur, donec pereas.* Pro egestate in Hebraeo est שַׁחֶפֶת *Schachepheth*, quae vox proprie non divitiarum egestatem, sed succi, et virium in corpore defectum significat, Latineque dici potest tabes, qua corpus lente conficitur. Rursus pro frigore in Hebraeo vocabulum est דַּלֶּקֶת *Dalleketh*, quod ardentem febrim significat, ut Chaldaeus etiam, atque Syrus hoc verterunt. Pro rubigine est in Hebraeo יֵרָקוֹן *Jerakon*, quae vox generatim significat pallorem, tamque de homine, quam de segete usurpatur. De segete recte Latine rubigo vocatur; si vero de homine sit, dicitur icterus, et est ille morbus, qui flavedine totum corpus inficit, sangvinemque corrumpit. Quoniam autem toto isto versu merae morborum species istae erga corpus fuerunt; consequens est, ut ista etiam rubigo magis de corporis morbo, quam de vitio segetum accipiatur propter specierum hanc inter se convenientiam.

23. *Sit caelum, quod supra te est, aeneum, et terra quam calcas, ferrea:* illud aeneum per siccitatem; haec ferrea, ne germen in ea ullum producatur. 24. *Det Dominus imbrem terrae tuae pulverem, et de caelo descendat super te cinis, donec conteraris.* 25. *Tradat te Dominus corruentem ante hostes tuos: per unam viam egrediaris*

contra eos, et per septem fugias, et dispergaris per omnia regna terrae: 26. *Sitque cadaver tuum in escam cunctis volatilibus caeli, et bestiis terrae, et non sit, qui abigat.* 27. *Percutiat te Dominus ulcere Aegypti, et partem corporis, per quam stercora egeruntur, scabie quoque, et prurigine, ita ut curari nequeas.* Ulcera Aegypti illa erant, quae una plaga ex illis fuit, quibus affecti sunt Aegyptii per Moysem, et propter quorum vim ne magi quidem potuerunt consistere diutius coram Pharaone Exodi 9. v. 8. Est enim tam illic, quam hic Hebraicum vocabulum, quod Latine ulcus est redditum. 28. *Percutiat te Dominus amentia, et caecitate, ac furore mentis,* 29. *et palpes in meridie, sicut palpare solet caecus in tenebris, et non dirigas vias tuas, omnique tempore calumniam sustineas.* Hebraice *et sis omnino oppressus.* (וְהָיִיתָ אַךְ עָשׁוּק) Quod etiam Chaldaeus ita vertit: et eris utique oppressus: *et opprimaris violentia* Hebraice: *et sis direptus* (וְגָזוּל) *nec habeas, qui liberet te.* 30. *Uxorem accipias, et alius dormiat cum ea. Domum aedifices, et non habites in ea. Plantes vineam, et non vindemies eam.* 31. *Bos tuus immoletur coram te, et non comedas ex eo.* Pro immolare in Hebraeo verbum est טָבַח *Tabach*, quod solam occisionem etiam extra sacrificium significat. *Asinus tuus rapiatur in conspectu tuo, et non reddatur tibi. Oves tuae dentur inimicis tuis, et non sit, qui te adiuvet.* 32. *Filii tui, et filiae tuae tradantur alteri populo videntibus oculis tuis,*

et deficientibus ad conspectum eorum tota die, et non sit fortitudo in manu tua. Hoc est, te vidente, et adspiciente filii tui, et filiae tuae alteri populo tradantur, atque in praedam cedant, atque tota deinde die, id est semper adspicias post ipsos, ut tibi redeant, atque illos rursus videre possis: sed frustra, oculique tibi adspiciendo, et exspectando illorum reditum deficiant, nec sint tibi vires, ne illi tibi te vidente abducantur, aut ut illos possis ex alienis manibus, postquam abducti sunt, eripere.

33. *Fructus terrae tuae, et omnes labores tuos comedat populus, quem ignoras, et sis semper calumniam sustinens* Hebraice: *oppressionem sustinens* (עָשׁוּק) *et oppressus* Hebraice *attritus* (רָצוּץ) *cunctis diebus*, 34. *et stupens ad terrorem eorum, quae videbunt oculi tui.* 35. *Percutiat te Dominus ulcere pessimo in genibus, et in suris, sanarique non possis a planta pedis usque ad verticem tuum.* 36. *Ducet te Dominus, et regem tuum, quem constitueris super te in gentem, quam ignoras tu, et patres tui, et servies ibi diis alienis, ligno, et lapidi*, 37. *Et eris perditus* Hebraice, *et eris in desolationem* (וְהָיִיתָ לְשַׁמָּה) atque comma hic fieri interpungendo orationem debet: *in proverbium, ac fabulam omnibus populis, ad quos te introduxerit Dominus.* Hoc est, ut dicteriis afficiantur, et sint ludibrio. Nam parabola Hebraice *Maschal*, (מָשָׁל) cum similitudinem, atque proverbium generatim significat; tum in specie acerbum etiam, atque sar-

casticum dicendi ac vexandi genus denotat, Jeremiae 24. v. 9. *Sementem* 38. *multam iacies in terram, et modicum congregabis, quia locustae devorabunt omnia.* 39. *Vineam plantabis, et fodies, et vinum non bibes, nec colliges ex ea quidpiam, quoniam vastabitur vermibus.* 40. *Olivas habebis in omnibus terminis tuis, et non ungeris oleo, quia defluent, et peribunt.* 41. *Filios generabis, et filias, et non frueris eis, quoniam ducentur in captivitatem.* 42. *Omnes arbores tuas, et fruges terrae tuae rubigo consumet.* 43. *Advena, qui tecum versatur in terra, adscendet super te, eritque sublimior: tu autem descendes, et eris inferior.* 44. *Ipse foenerabit tibi, et tu non foenerabis ei. Ipse erit in caput, et tu eris in caudam.* 45. *Et venient super te omnes maledictiones istae, et persequentes apprehendent te, donec intereas, quia non audisti vocem Domini Dei tui, nec servasti mandata eius, et caerimonias, quas praecepit tibi.* 46. *Et erunt in te signa, atque prodigia*, Hebraice *Mopheth* (מוֹפֵת) quod significat tale aliquid, quod insolitum est, et notabilitate sua admirationem excitat, *et in semine tuo usque in sempiternum,* 47. *eo, quod non servieris Domino Deo tuo in gaudio, cordisque laetitia propter rerum omnium abundantiam.* 48. *Servies inimico tuo, quem immittet tibi Dominus in fame, et siti, et nuditate, et omni penuria, et ponet iugum ferreum super cervicem tuam, donec te conterat.* 49. *Adducet Dominus super te gentem de longinquo, et de*

extremis terrae finibus in similitudinem aquilae volantis cum impetu, cuius lingvam intelligere non possis 50. *gentem procacissimam* Hebraice: *gentem trucem vultu* (גוֹי עַז פָּנִים) *quae non deferat seni, nec misereatur parvuli.* Ex collatione autem huius loci cum Jeremiae 5. v. 15. ubi de Chaldaeis, id quod postea accidit, sic praedictum fuit: „Ecce ego adducam super vos gentem de „longinquo, gentem robustam, gentem antiquam, „gentem, cuius ignorabis lingvam" intelligitur Moyses hic digitum iam intendisse ad eosdem Chaldaeos, atque idem hoc praenunciasse, quod factum ab ipsis in Israelitas est, cum illos eversa Jerosolyma, et templo abduxerunt in captivitatem. Cum vero Abraham ex Chaldaea in Palaestinam venerit, ac proinde nativa illius lingva Chaldaica fuerit, quomodo nihilominus de Israelitis dici potuerit, Chaldaeorum lingvam esse ignoraturos, explicatum est ad Genesis 11. v. 7. ubi quaenam lingva, et an Hebraea omnium prima, et antiquissima fuerit, disputatum est. Nec vero Chaldaea regio, tam remota est ab Chananaea, ut comparate ad hanc dici de illa possit esse sitam ad fines mundi. In Hebraeo huius loco: *de extremis terrae finibus* est *Miktze haaretz.* (מִקְצֵה הָאָרֶץ) Nec apud Hebraeos istud *Miktze*, stricte semper id, quod in re aliqua extremum est, significat, sed tantum, quod magis distans est: ac proinde hoc alterum ab extremo nonnisi prioris: *de longinquo* synonymum est. Deinde, sua sponte intelligitur in globo terraqueo propter

rotunditatem figurae nihil posse dici proprie vel primum, vel ultimum: et nubes consimiliter dicitur Deus educere ab extremo terrae Psal. 134. v. 4. nec tamen horizon, quousque visus se noster extendit, et unde cernuntur nobis assurgere nubes, est aliud, quam magis distans, et nonnisi, quatenus hoc a nobis oculis percipitur, extremum. 51. *Et devoret fructum iumentorum tuorum, ac fruges terrae tuae, donec intereas, et non relinquat tibi triticum, vinum, et oleum, armenta boum, et greges ovium, donec te disperdat,* 52. *et conterat in cunctis urbibus tuis, et destruantur muri tui firmi, atque sublimes, in quibus habebas fiduciam in omni terra tua. Obsideberis intra portas tuas in omni terra tua, quam dabit tibi Dominus Deus tuus.* 53. *Et comedes fructum uteri tui, et carnes filiorum tuorum, et filiarum tuarum, quas dederit tibi Dominus Deus tuus, in angustia, et vastitate, qua opprimet te hostis tuus.* Accidisse hoc reipsa etiam quando a Chaldaeis obsessa fuit Jerusalem, intelligitur ex Threnorum Jeremiae 4. v. 10. et Baruch 2. v. 3. Qui manifeste profitetur sibi tum evenisse haec, quae nunc mala illis minatus est Moyses.

54. *Homo delicatus in te, et luxuriosus valde* Hebraice: *deliciis deditus valde* (הֶעָנֹג מְאֹד) *invidebit fratri suo, et uxori, quae cubat in sinu suo,* 55. *ne det eis de carnibus filiorum suorum, quas comedet; eo quod nihil aliud habeat in obsidione, et penuria, qua vastaverint te inimici tui intra*

omnes portas tuas. 56. *Tenera mulier, et delicata, quae super terram ingredi non valebat, nec pedis vestigium figere propter mollitiem, et teneritudinem nimiam, invidebit viro suo, qui cubat in sinu eius, super filii, et filiae carnibus,* 57. *et illuvie secundarum, quae egrediuntur de medio feminum eius, et super liberis, qui eadem hora nati sunt.* Illuvies secundarum est illa membrana, qua foetus involvitur in utero, et cum qua ex eo prodit, dum nascitur, et ceterae sordes, quae in partu effunduntur. *Comedent enim eos clam propter rerum omnium penuriam in obsidione, et vastitate, qua opprimet te inimicus tuus intra portas tuas.*

58. *Nisi custodieris, et feceris omnia verba legis huius, quae scripta sunt in hoc volumine, et timueris nomen eius gloriosum, et terribile, hoc est Dominum Deum tuum;* 59. *augebit Dominus plagas tuas, et plagas seminis tui, plagas magnas, et perseverantes, infirmitates pessimas, et perpetuas.* 60. *Et convertet in te omnes afflictiones Aegypti, quas timuisti, et adhaerebunt tibi.* 61. *Insuper et universos langvores, et plagas, quae non sunt scriptae in volumine legis huius, inducet Dominus super te, donec te conterat.* 62. *Et remanebitis pauci numero, qui prius eratis sicut astra caeli prae multitudine, quoniam non audisti vocem Domini Dei tui.* 63. *Et sicut ante laetatus est Dominus super vos bene vobis faciens, vosque multiplicans; sic laetabitur disperdens vos, atque subvertens, ut auferamini de terra, ad quam ingredieris*

gredieris possidendam. De Deo Sapientiae 1. v. 13. dicitur: „Deus mortem non fecit, nec laetatur in „perditione vivorum.“ Nimirum hoc eo pertinet, quod Deus cum hominem condidisset, non ea conditione, ut mori deberet, fecerit, qui in vivorum perditione, et interitu voluptatem non habeat: quam perditionem, et mortem, ut ibi versu 16. subsequitur, tantum impii sibi ipsi suis manibus, et verbis accersiverint. Hic autem de perditione, et interitu est sermo, quatenus Deus poenae nomine ista inflicturus dicitur. Cumque Deus utendo poenis adversus impios, dignitatem, atque honorem suum vindicet, quem illi peccando, contemnendoque illius iussa, violaverunt; laetitiam hoc ei dicitur facere, quatenus hoc secundum illius voluntatem est. Non utique proprie hoc dictum est de Deo, cum laetitia talis in illum cadere non possit, qui sibi perfectissime semper constans, mutationisque omnis, et affectuum expers est; sed ab homine hoc traductum est ad Deum, qui laetatur, et gaudet, quando aliquid ei iuxta voluntatem, et animum accidit.

64. *Disperget te Dominus in omnes populos a summitate terrae* Hebraice: *ab extremitate terrae* (מִקְצֵה הָאָרֶץ) *usque ad terminos eius*, hoc est ab uno ad alterum extremum, et ad ultimas usque illius oras, *et servies ibi diis alienis, quos et tu ignoras, et patres tui, lignis, et lapidibus.* 65. *In gentibus quoque illis non quiesces, neque erit requies vestigio pedis tui. Dabit enim tibi Dominus ibi cor pavidum, et deficientes oculos, et animam*

consumptam moerore. 66. *Et erit vita tua quasi pendens ante te:* hoc est incerta, fluctuans, inque perpetuo metu, et periculo versans, id quod declaratur deinde magis subsequentibus: *timebis nocte, et die, et non credes vitae tuae.* 67. *Mane dices: quis mihi det vesperum! et vespere, quis mihi det mane, propter cordis tui formidinem, qua terreberis, et propter ea, quae tuis videbis oculis:* rerum nimirum talium continua exempla, ex quibus tu quoque vitae tuae in singula momenta timeas. Illud: *erit vita tua pendens ante te*, et rursus: *non credes vitae tuae* plures Patres, ut S. Irenaeus l. 4. cap. 23. S. Cyprianus libro de idolor. vanitate, S. Athanasius libro de Incarnatione Verbi, et S. Augustinus l. 16. contra Faustum cap. 22. de Judaeis accipiunt, qui cum Christum, in quo habere potuissent vitam, si in eum credidissent, pendentem ante habuissent in Cruce; tamen isti suae Vitae non crediderint. Sed iste verborum horum non est proprius, sed adcommodatitius tantum sensus.

68. *Reducet te Dominus classibus in Aegyptum, per viam, de qua dixit tibi, ut eam amplius non videres. Ibi venderis inimicis tuis in servos, et ancillas, et non erit, qui emat.* Adversitates multas, et graves experti sunt Judaei sub Graecorum imperio; nominatim a Ptolomaeo Lagi, qui regnabat in Aegypto, multa illorum millia abducta in Aegyptum in servitutem sunt. Sed numquam impletio huius prophetiae clarius eluxit,

quam post devastationem Judaeae per Titum. Josephus Flavius l. 7. de Bello Jud. cap. 16. docet tunc omnes, qui septemdecim annis inferiores aetate essent, devectos esse in Aegyptum, defuisse autem emptores. Id, quod Hegesippus quoque confirmat Excidii Jerosolymitani l. 5. c. 47. de ipsis: Plurimi, inquit, venales, pauci emptores. Est autem in hoc capite illud etiam animadvertendum, quod cum ab initio in pronunciandis istis maledictionibus verbum in futuro tempore fuisset positum per modum solius praedictionis, futurum, ut incidant in illas maledictiones, si a lege deflecterent, versu deinde 22. *Percutiat te Dominus egestate* usque ad versum 36. sic positum verbum sit, ut directae imprecationis vim in ipsos, si legem transgrederentur, habeat. Etiam Septvaginta Interpretes verbi tenorem, ut iam futurum, iam imprecatorium sit, variaverunt, quamvis in Hebraeo idem semper verbum futuri temporis sit, sed quo propter modorum, et temporum penuriam in inflexionibus verborum illum etiam usum ad exprimendum modum optativum, faciunt. Non est autem alienum a more Scripturae, ut imprecationes in impios fiant. Id quod in Psalmis, et Prophetis praesertim fit. Qua de re S. Augustinus serm. 28. de Diversis tractans recte talem Psalmi locum ita pronunciat: „Propheta „cum dicit, sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant „peccatores a facie Dei (Psal. 67. v. 3.) videt „hoc certissime peccatoribus imminere, et placuit ei, quod Deus statuit, ne Deo ipse displi-

„ceat." Sane, si quis tantum propter se, et impulsu suae philautiae malum alteri imprecetur, procul dubio peccatum est: sed si ex zelo erga Deum, illiusque vindicandum honorem hoc faciat, ita hoc optare peccatum non est, sicut nec malum illud ipsum, quod imprecatur, irrogare. Propter quod tale factum Phineem, atque Mathathiam reperimus in Scriptura esse etiam laudatum, (Numer. 25. v. 31. 1. Mach. 2. v. 24. Psal. 105. v. 31.) quando flagitii, quod perpetrabatur, indignitate excitati, atque zelo Divini honoris incensi flagitii perpetratores in eodem vestigio temporis interemerunt, atque in exitium miserunt. Tantum abest, ut hoc solummodo precari, quod certe minus est, quam facere, tali modo, ut dictum est, sit peccatum.

CAPVT XXIX.

Fit renovatio foederis cum Deo, ad quod servandum Moyses populum hortatur et memoria beneficiorum, quibus a Deo affecti sunt, et poenarum, si illud violarent, comminatione.

1. *HAEC sunt verba foederis, quod praecepit Dominus Moysi, ut feriret cum filiis Israel in terra Moab, praeter illud foedus, quod cum eis pepigit in Horeb.* De foedere hoc est sermo, in quo pronunciatis tam maledictionibus, quam benedictionibus confirmanteque eas populo respondendo semper ad illas: Amen, arctius obstringerentur erga Deum, illiusque legem, et de quo foedere mo-

do tractatum fuit a Moyse capite toto vigesimo septimo. Sed hic adhuc tantum sic instituit sermonem, ut doceret, quali adparatu foedus illud fieri deberet, et quod tantum tum, cum transivissent Jordanem, terramque sibi promissam contigissent, in montibus Hebal, et Garizim agendum haberent. Quod ergo hic dicitur Deum praecepisse Moysi, ut feriret foedus cum filiis Israel in terra Moab, id sic accipiendum est, ut de hoc foedere tantum Dei mandatum illis in terra Moab traderet, non ipsum hoc negotium iam modo peractum sit: et quatenus mandatum hoc illis dedit, auctorque fuit foederis illius faciendi; illud etiam dictus est fecisse, ut figurata sit loquendi ratio causa efficiente illius negotii posita pro ipso effectu: nec incongrue dici potest etiam modo iam factum esse hoc secundum foedus, cum et Deus se ad illud cum ipsis feriendum obtulisset; et illi iam nunc ad illud consensum suum dederint: licet illius solennitas tantum adhuc postea, ut iam dictum est, accesserit. Dicitur vero istud foedus esse cum illis factum praeter illud, quod Deus cum eis pepigit in Horeb, nempe quoad actionem, qua foedus illud repetebatur, denuoque proponebatur, et renovabatur; non quod re diversum ab illo priore fuerit. Nam, sicut in hoc ipso Deuteronomio, tametsi hoc dicatur secunda lex, non propterea leges hae ab anterioribus in monte Sinai datis diversae sunt; ita nec alterum hoc foedus re discrepans a priore est, etiamsi alterum propter illius repetitionem, et renovationem adpelletur.

2. *Vocavitque Moyses omnem Israel, et dixit ad eos: vos vidistis universa, quae fecit Dominus coram vobis in terra Aegypti Pharaoni, et omnibus servis eius, universaeque terrae illius: 3. tentationes magnas, quas viderunt oculi tui, signa illa, portentaque ingentia.* Cum prodigiis, atque portentis tentationes coniunguntur, quod Deus sic se in deserto erga illos gesserit, ut re adversa ipsos identidem exerceret, atque probaret, ponerentne in Deo suam fiduciam, deinde autem prodigiose illis succurreret, potentiamque suam illis per prodigia demonstraret. „Recordaberis, ait supra cap. 8. „v. 2. Moyses ad ipsos, cuncti itineris, per quod „adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis „per desertum, ut adfligeret te, atque tentaret, et „nota fierent, quae in tuo animo versabantur, utrum „custodires mandata illius, an non. Afflixit te pe„nuria, et dedit tibi cibum manna." 4. *Et non dedit vobis Dominus cor intelligens, et oculos videntes, et aures, quae possunt audire usque in praesentem diem.* „Quomodo ergo ait superius, verba „sunt S. Augustini Quaest. 50. in Deut. Vos vi„distis tentationes magnas, quas viderunt oculi „tui, si non dedit Dominus eis oculos videre, et „aures audire, nisi quia viderunt corpore, et corde „non viderunt? Quia oculi dicuntur et cordis, pro„pterea inde coepit: *Et non dedit Dominus Deus* „*vobis cor scire:* ad hoc pertinent duo, quae se„quuntur: *et oculos videre, et aures audire* id est „intelligere, et obtemperare. Quod vero dicit: *et*

„*non dedit Dominus Deus vobis*, nullo modo in-
„crepans, et arguens hoc diceret, nisi ad eorum
„quoque culpam pertinere intelligi vellet, ne quis-
„quam se ex hoc excusabilem putet. Simul enim
„ostendit, et sine adiutorio Domini Dei eos intel-
„ligere, et obedire non posse oculis cordis, et au-
„ribus cordis, et tamen si adiutorium Dei desit,
„non ideo esse excusabile hominis vitium, quoniam
„iudicia Dei quamvis occulta, tamen iusta sunt.“
Hoc est, non ideo excusabile esse hominis vitium, etiamsi ignoretur, cur Deus tale ei adiutorium, et gratiam non dederit, ut illius praecepta corde etiam attingeret, et exsequeretur: quia, quamvis occulto Dei iudicio, eoque iusto tale adiutorium non haberet; haberet tamen, ut si vellet, bene agere posset: sed cui gratiae voluntatis suae protervia resisteret. „Vos Spiritui S. semper resistitis: sicut pa-
„tres vestri, ita et vos“ dicebat S. Stephanus ad illos Actor. 7. v. 51.

5. *Adduxit vos quadraginta annis per desertum: non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt.* 6. *Panem non comedistis, vinum, et siceram non bibistis, ut sciretis, quia ego sum Dominus Deus vester:* dum nimirum potentiam suam ostendit, qua illos scivit pane etiam caelesti alere.
„Dedit tibi cibum manna, ait supra capitis 8. v.
„3. Moyses ad ipsos, quod ignorabas tu, et pa-
„tres tui, ut ostenderet tibi, quod non in solo
„pane vivat homo, sed in omni verbo, quod

„ egreditur de ore Dei." Non autem quod nullo prorsus pane, vel vino unquam per omne tempus suae peregrinationis usi fuissent, poterant enim sibi haec etiam ex vicinis civitatibus petere, atque cibos aliquando sibi etiam pecunia comparavisse, est Deuteronomii cap. 2. v. 6. quod idem de vino facere poterant; praesertim cum illud in sacrificiis adhibere debuerint: (Exod. 29. v. 40.) sed quod ordinarium, et quotidianum victum non hunc vulgarem, sed caelestem, mannaque haberent. Sicera ex Hebreao est deductum *Scheker*, et significat omne potionis genus, quod vim inebriandi habet, ut est Numer. 6. v. 3. Fiebat autem iste liquor potissimum ex palmae fructibus succi expressione.

7. *Et venistis ad hunc locum, egressusque est Sehon rex Hesebon, et Og rex Basan occurrentes nobis ad pugnam, et percussimus eos,* 8. *et tulimus terram eorum, ac tradidimus possidendam Ruben, et Gad, et dimidiae tribui Manasse.* 9. *Custodite ergo verba pacti huius, et implete ea, ut intelligatis universa, quae facitis.* Quod quis cum intelligentia, et scientia facit, id solet bene procedere. Quare intelligenter facere tropice, et per metonymiam positum est pro eventu rei prospero. Quamobrem etiam Arabs hoc sic vertit: *observate ergo verba huius foederis, et facite ea, ut prosperi sitis in omnibus, quae facietis.*

10. *Vos statis hodie cuncti coram Domino Deo vestro: principes vestri, et tribus, ac maiores natu, atque doctores, omnis populus Israel:* 11. *Liberi, et uxores vestrae, et advena, qui tecum moratur in castris exceptis lignorum caesoribus, et his, qui comportant aquas.* Hebraice: *a caesore lignorum tuorum usque ad haurientem aquas tuas* (מֵחֹטֵב עֵצֶיךָ עַד שֹׁאֵב מֵימֶיךָ) Quod etiam Chaldaeus: *ab eo, qui colligit ligna tua usque ad haurientem aquam tuam*, et Septvaginta, insuper Arabs, et Syrus ad hunc eumdem modum verterunt, ut adeo caesores lignorum, et aquae porti tores non excludantur, verum comprehendantur inter eos, qui ibi tum praesentes fuerunt, quando verba haec ad populum faciebat Moyses, 12. *ut transeas in foedere Domini Dei tui, et in iureiurando, quod hodie Dominus Deus tuus percutit tecum,* 13. *ut suscitet te sibi in populum, et ipse sit Deus tuus, sicut locutus est tibi, et sicut iuravit patribus tuis Abraham, Isaac, et Jacob.* Transire in foedere, est idem, quod foedus inire, estque ratio haec loquendi desumpta a more sanciendorum foederum. Nam, qui foedus inter se faciebant; hi, cum victimas immolavissent, illasque divisissent, inter eas deinde transibant. Qua de re iam etiam dictum est ad Genesis 15. v. 17.

14. *Nec vobis solis ego hoc foedus ferio, et haec iuramenta confirmo,* 15. *sed cunctis praesentibus, et absentibus.* Cum ibi tunc coram Moyse omnes praesentes fuerint, ut est supra versu 10.

sequitur per absentes eos intelligi, qui futuri essent posteri. 16. *Vos enim nostis, quo modo habitaverimus in terra Aegypti, et quomodo transierimus per medium nationum, quas transeuntes* 17. *vidistis abominationes, et sordes, id est idola eorum, lignum, et lapidem, argentum, et aurum, quae colebant.* 18. *Ne forte sit inter vos vir, aut mulier, familia, aut tribus, cuius cor aversum est hodie a Domino Deo nostro, ut vadat, et serviat diis illarum gentium, et sit inter vos radix germinans fel, et amaritudinem.* Animi erga Deum malam affectionem, et ad idola propensionem istis translatis vocabulis intelligit, quibus Deus exacerbetur. Similiter fere etiam Petrus dicebat Simoni Mago: „In felle amaritudinis, et „obligatione iniquitatis video te esse." Act. 8. v. 23. *Cumque* 19. *audierit verba iuramenti huius, benedicat sibi in corde suo dicens: pax erit mihi, et ambulabo in pravitate cordis mei, et absumat ebria sitientem.* Juramentum est Hebraice *Alah*, (אָלָה) quae vox non tantum iuramentum significat, verum etiam maledictionem et exsecrationem. Itaque, cum superioribus duobus capitibus foedus, quod iterum cum Deo ferirent cum gravissimis maledictionibus in eos, qui leges illius foederis violarent, propositum sit, illique se illis maledictionibus subiicerent respondendo ad illas semper: Amen, recte foedus illud iuramenti nomine compellatum est. Qui ergo intelligeret transgressioni legum adpositas esse maledictiones, et

tamen sibi in corde benediceret, hoc est bene sibi futurum existimaret, dicendo, pacem sibi fore, nec aliquid sibi adversi inde eventurum, ac propterea spe ista fretus obfirmaret se ad ambulandum in pravitate sui cordis, et absumeret ebria sitientem; iste metuere debeat hoc, quod in talem deinde pronunciatur versu subsequenti: 20. *Et Dominus non ignoscat ei, sed tunc quam maxime furor eius fumet, et zelus contra hominem illum, et sedeant super eum omnia maledicta, quae scripta sunt in hoc volumine, et deleat Dominus nomen eius sub caelo,* 21. *et consumat eum in perditionem ex omnibus tribubus Israel iuxta maledictiones, quae in libro legis huius, ac foederis continentur.* Haec ita inter se haerent, nec tantam difficultatem habent intelligendi, nisi hoc unum hic valde obscurum est; quod dicitur: *Et absumat ebria sitientem* nec mediocriter Interpretum, ut hoc explicent, exercet ingenia; eoque magis, quod antiquae quoque versiones in vertendo istum locum non conveniant. Chaldaeus hoc ita vertit: *Ne cogitet in corde suo dicens: pax erit mihi, quoniam in cogitatione cordis mei ego ambulabo, ut addantur ei peccata ignorantiae peccatis superbiae:* Per ebriam igitur intellexit peccata superbiae, per sitientem peccata ignorantiae. Septvaginta autem hoc ita sumpserunt, ut per ebriam talem intelligerent, qui alium seducat, per sitientem, qui seducitur: ἵνα μὴ συναπολέσῃ ὁ ἁμαρτωλὸς τὸν ἀμάρτητον, *ut non simul perdat peccator innocentem.* Non

vacat Interpretum, qui Commentaria scripserunt, discrepantes in medium proponere sententias. Ego rem ad ipsum Hebraeae Scripturae fontem exigam, et quis genuinus illius sensus sit, fortasse attingam. Est vero in Hebraeo sic: (לְמַעַן סְפוֹת הָרָוָה אֶת־הַצְּמֵאָה) *Lemaan sephoth haravah eth hatztzemeah.* Primumque hic verbi *Sephoth* certa constituenda est significatio. Est radix ipsius *Saphah* (סָפָה) atque hoc in duplici significatione usurpatur ab Hebraeis iam pro perdere, et consumere, iam pro addere: atque in hac altera significatione in hoc ipso infinitivi modi praesente tempore, in quo etiam hic est, reperitur Numerorum 32. v. 14. *Ut augeretis* Hebraice *Lispoth* (לִסְפּוֹת) *furorem Domini contra Israel.* Jam vero quod ad alterum istius loci, quod obscuritatem facit, vocabulum attinet, quid, non solum in Hebraea, verum etiam in aliis lingvis, magis usitatum est, quam sitiendi verbo uti ad significandum desiderium? Sic Psalmo 41. v. 3. est: „Sitivit anima mea ad „Deum fortem, vivum“ et Eccli 24. v. 29. „Qui „bibunt me, adhuc sitient.“ *Haravah* autem, quae hic vox in Hebraeo est, significat id, quod siti respondet, quodque expletum humore abunde est, et irriguum, ut est huius exemplum Isaiae 58. v. 11. *Sicut hortus irriguus,* (כְּגַן רָוֶה) idemque rursus redit Jeremiae 31. v. 12. Addere igitur sitienti irriguum, et quasi rigare sitim significat explere, et exsatiare cupiditatem. Est igitur

sensus istius loci: monet Moyses, ne forte inter Israelitas aliquis sit, qui audiens illas maledictionum minas, nihilominus obfirmet animum, atque sibi in animo blandiatur dicens: pax erit mihi, non evenient mihi illae maledictiones, et propterea ambulet in pravitate cordis sui, et addat siti suae ebrietatem, hoc est prava sui animi desideria expleat, et exsatiet. Atque isto modo res fit planissima: ut hoc etiam vertit Syrus: *Et dicat: pax erit mihi, si pro libidine cordis mei incedam, addatque ebrietatem ad sitim.* Jam, quod verbum Hebraicum *Sephoth* sic verterim, et posuerim: *addat*, ubi in Vulgata nostra Versione habemus: *absumat*, praeterquam, quod hoc demonstratum sit ex vi huius ipsius vocis, atque ita etiam Syrus, atque Chaldaeus istud verterint; posuit idem hoc etiam sic ipse S. Hieronymus in Versione Scripturae, sicut illa exstat inter illius opera, et in Manuscriptis: quin fuit hoc etiam sic in ipsa Vulgata ante illius Editionem factam a Sixto V. et non fuit *absumat*, sed *adsumat ebria sitientem.* Romani autem Correctores posuerunt: *absumat ebria sitentem*, sic tamen, ut profiterentur utroque isto modo verbum hoc ex Hebraeo verti posse, esseque Editiones, quae etiam altero illo modo hoc haberent versum. Ad initium versus vigesimi non est etiam vacula copulativa: *et* et ita magis pendet res subsequens haec cum antecedente. Deinde sunt verba omnia ignoscat, fumet, sedeant, deleat, consumat, iuxta Hebraeum in futuro. La-

tinus autem illa per modum comminationis posuit, quae Hebraeus praedicendo.

22. *Dicetque sequens generatio, et filii, qui nascentur deinceps, et peregrini, qui de longe venerint, videntes plagas terrae illius, et infirmitates, quibus eam afflixerit Dominus* 23. *sulphure, et salis ardore cumburens, ita ut ultra non seratur, nec virens quidpiam germinet in exemplum subversionis Sodomae, et Gomorrhae, Adamae, et Seboim, quas subvertit Dominus in ira, et furore suo.* Sal hic non vulgare intelligitur, sed inflammabile, ut nitrosum est, et bituminosum: quali sale, et bitumine refertus est lacus Judaeae, qui Asphaltidis dicitur, et quod ab Hebraeis etiam mare salsum Numerorum cap. 34. v. 3. Deut. 3. v. 17. et alibi saepius consvevit nominari, et qui lacus ab ipso illo caelesti igne, quo civitates istae quatuor conflagraverunt, effectus, atque productus est, cum antea foecundissima fuisset ibi, et amoenissima regio, ut est Genesis 13. v. 10.

24. *Et dicent omnes gentes: quare sic fecit Dominus terrae huic? quae est haec ira furoris eius immensa?* 25. *Et respondebunt: quia dereliquerunt pactum Domini, quod pepigit cum patribus eorum, quando eduxit eos de terra Aegypti,* 26. *et servierunt diis alienis, et adoraverunt eos, quos nesciebant, et quibus non fuerant attributi*; Hebraice: *et non impertitus eis:* (וְלֹא חָלַק לָהֶם) nimirum nullus illorum deorum

aliquid ipsis contulit, et largitus est. Istoque modo Chaldaeus: *Ambulaverunt, et servierunt idolis populorum, et adoraverunt ea, portenta, quae nescierunt, et quae non possunt benefacere eis*, itemque Arabs vertit: *Et abierunt, atque servierunt diis aliis, et adoraverunt eos, deos, quos non cognoverant, et qui nullum impertiti fuerant eis beneficium.* Hoc autem, quod Deus minatus est se facturum, ut, si ab observantia erga illum desciscerent; sulphure, atque salis ardore combureret illorum regionem; ita, ut nihil sit in illa virens, nihilque ultra seratur, nondum fecit. Sed illa amoenitas regionis, illaque tanta eius foecunditas, propter quam melle, lacteque fluens praedicabatur quae ei iam nunc tota periit, ut ad summam sterilitatem redacta sit, non tantum Arabum, qui illam regionem modo incolunt, ignavia, sed quod Deus, quam contra naturam soli ipsius olim, in gratiam Israelitarum, est enim montosa, et aspera regio, foecunditatem tribuerat, modo subtraxerit; initium tantum adhuc est, et adumbratio eius, quae hic modo praedicta est, maledictionis. Nam cum omnia illis in figura contingerent 1. Cor. 10. v. 11. sicut urbis Jerusalem per Romanos vastatio, et Judaicae nationis, quod tum factum est excidium, ita haec etiam totius regionis desolatio adumbratam adhuc tantummodo imaginem gerit rei illius, necdumque integre completam, quae in die extremi iudicii futura est, quaeque modo praedicta, tunc tantum perfecte adhuc implebitur.

27. *Idcirco iratus est furor Domini contra terram istam, ut induceret super eam omnia maledicta, quae in hoc volumine scripta sunt,* 28. *et eiecit eos de terra sua in ira, et in furore, et in indignatione maxima, proiecitque in terram alienam, sicut hodie comprobatur.* 29. *Abscondita Domino Deo nostro, quae manifesta sunt nobis, et filiis nostris usque in sempiternum, ut faciamus universa verba legis huius.* Abscondita Domino Deo nostro? Quaenam vero sunt haec abscondita? Ista nimirum, de quibus modo proxime sermo antecessit, et de quibus suppliciis ipse Deus solus adhuc notitiam habeat, quando infligenda sint. Manifesta autem sunt, dicebat, nobis, et filiis nostris, utpote de quibus poenis, quas metuendas haberent, modo ipsis praedictio esset facta, ideo ut metu illarum facerent, et observarent universa verba legis huius.

CAPVT XXX.

Deus poenitentibus Israelitis se pollicetur semper propitium futurum, docet Moyses mandatorum observantiam non esse illis impossibilem: offertque tam benedictionem, quam maledictionem, ut alterutram sibi eligant.

---

1. *CVM ergo venerint super te omnes sermones isti, benedictio, sive maledictio* Hebraice: *et maledictio* (וְהַקְּלָלָה) reipsa enim utrumque erant experti,

perti, *quam proposui in conspectu tuo, et ductus poenitudine cordis tui in universis gentibus, in quas disperserit te Dominus Deus tuus,* 2. *et reversus fueris ad eum, et obedieris eius imperiis, sicut ego hodie praecipio tibi, cum filiis tuis, in toto corde tuo, et in tota anima tua;* 3. *reducet Dominus Deus tuus captivitatem tuam, ac miserebitur tui, et rursum congregabit te de cunctis populis, in quos te ante dispersit.* 4. *Si ad cardines caeli fueris dissipatus, inde te retrahet Dominus Deus tuus.* Cardines caeli Hebraice: *extremitas caelorum* (קְצֵה הַשָּׁמַיִם) estque hyperbolica locutio, et significat spatium, quod esse potest longissimum. Quale illud etiam est apud Abdiam (versu 4.) „Si inter sidera posueris nidum tuum, „inde detraham te.“ 5. *Et adsumet, atque introducet in terram, quam possederunt patres tui, et obtinebis eam, et benedicens tibi maioris numeri te esse faciet, quam fuerunt patres tui.* 6. *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, et cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, et in tota anima tua, ut possis vivere.* „Evidens, ait S. Augustinus Quaest. 53. „in Deut. pollicitatio gratiae. Promittit enim Deus „se esse facturum, quod solet iubere, ut fiat.“ Incircumcisum autem cor significat refractarium, et obstinatum cor adversus Deum. „Dura cervice, et „incircumcisis cordibus. et auribus, vos, dicebat „Stephanus ad Judaeos in concilio, semper Spi„ritui S. resistitis.„ Actor. 7. v. 51. *Omnes autem*

7. *maledictiones has convertet super inimicos tuos, et eos, qui oderunt te, et persequuntur.* 8. *Tu autem reverteris, et audies vocem Domini Dei tui, faciesque universa mandata, quae ego praecipio tibi hodie.* 9. *Et abundare te faciet Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum, in sobole uteri tui, et in fructu iumentorum tuorum, in ubertate terrae tuae, et in rerum omnium largitate. Revertetur enim Dominus, ut gaudeat super te in omnibus bonis, sicut gavisus est in patribus tuis:* 10. *si tamen audieris vocem Domini Dei tui, et custodieris praecepta eius, et caerimonias, quae in hac lege conscripta sunt, et revertaris ad Dominum Deum tuum in toto corde tuo, et in tota anima tua.*

11. *Mandatum hoc, quod ego praecipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum,*
12. *nec in caelo situm, ut possis dicere: quis nostrum valet ad caelum adscendere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus, atque opere compleamus?*
13. *Neque trans mare positum, ut causeris, et dicas: quis ex nobis poterit transfretare mare, et illud ad nos usque deferre, ut possimus audire, et facere, quod praeceptum est?* 14. *Sed iuxta te est sermo valde, in ore tuo, et in corde tuo, ut facias illum.* S. Paulus ad Romanos 10. v. 6. totum istum locum adhibet, et explicat de fide in Christum, et de illa iustitia, quae ex hac fide in eo, qui credit, existit, ut illius hinc probet homini esse facultatem. Nimirum lex vetus umbram ha-

buit futurorum bonorum Hebr. 10. v. 1. in illaque typice depingebatur gratia Evangelii, ut quod modo a Moyse de lege illa pronunciatum est, id quidem proxime pertineret ad eandem legem, sed tamen tantum quasi in umbra, et typo; illustrius autem, et re vera ad Evangelium Jesu Christi: quo ipsa lex, tanquam ad suum scopum esset directa: „Finis enim legis Christus" ad Romanos 10. v. 4. Quid igitur? Nempe in novo Testamento, et hic quidem praecipue, quod Evangelii propria sit gratia, datur, et praebetur haec facultas, qua iustitiam adipiscamur, quae est ex fide: sed tamen nec in Veteri Testamento deerat haec facultas observandi legem, potuissentque eam observare, si voluissent. Quomodo ergo S. Petrus Act. 15. v. 10. legem veterem vocat iugum, quod inquit, neque nos, neque patres nostri portare potuimus? Nam, si importabile iugum fuit, quomodo Moyses dicere potuit: mandatum hoc, quod ego praecipio tibi hodie, non est supra te? S. Petrus comparationem ibi instituit legis veteris cum gratia Evangelii, atque de illa pronunciavit fuisse importabile iugum seorsum a gratia: utpote, quae lex vetus innumerabilem haberet copiam praeceptorum. Et cum ubique terrorem incuteret, poenaeque in ea perstreperent mortis; non tamen vi sua adiunctam sibi habuit gratiam, et Dei adiutorium, sine quo lex observari non posset. Sumus enim insufficientes vel ad cogitandum quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est 2. Cor. 3. v. 5. Qua de re etiam S. Augustini te-

stimonium a me est positum ad superioris capitis versum 4. Tali ergo ratione legis fuit importabile iugum, cum tantum praeciperet, non vero simul etiam daret auxilium Divinae gratiae, quo id, quod praeciperetur, perfici, et praestari posset. Moyses autem eamdem legem spectavit, prout is, qui illam vellet observare, adiuvaretur a gratia. Nam, etsi lex vetus non vi sua sibi colligatam haberet Dei gratiam; tamen merito fidei in venturum Christum ex futuro thesauro Christi, et Evangelii iam etiam illis in veteri Testamento existentibus communicabatur, quamvis multo parcius, quam nunc in nova lege Evangelii gratia Christi: qua excitati, et adiuti facile observarent totam Dei legem. Tales adhuc in veteri lege erant Zacharias, et Elisabeth, de quibus est Lucae 1. v. 6. quod incesserint in omnibus mandatis, et iustificationibus Domini sine querela. Pari ratione legem observarunt Joseph et Simeon, quibus laudem iustitiae tribuit Evangelium Matth. 1. v. 19. Luc. 2. v. 25. ut plurimos alios praeteream. Haec ergo, quamvis ex novo Testamento petita, atque deprompta gratia cum ne in veteri Testamento defuerit iustis conantibus, atque volentibus, et sine qua ne fieri quidem aliquis posset iustus; intelligitur, quomodo dictum sit a Moyse ad Israelitas, mandatum, quod illis praecipiebat, non esse supra ipsos, et quomodo Petrus, dum legem iugum esse dixit, quod portari non potuerit, non sit adversatus Moysi.

Alia autem hic quaedam praeterea est consideratio. Isto Scripturae testimonio: *Mandatum hoc, quod ego praecipio tibi hodie, non supra te est* in Augustana, et Helvetica Confessione utuntur ad probandum esse Scripturam S. per se ipsam tam claram, et legenti apertam; ut in controversiis Religionis, et fidei nullo alio praeter illam opus sit iudice. Qua de re, cum iam sit tractatum in Praenotionum Hermeneuticarum, quas posui initio huius meae Interpretationis, paragrapho quinto, hic illud tantum in considerationem accipi volo: Moysesne sibi in docendo non constiterit, et contraria in hoc suo Deuteronomio proposuerit; vel qui huc, quo dixi, documentum hoc Scripturae detorquent, an falsa illud interpretatione corrumpant. Nam illius superius capitis 17. v. 8. praeceptum est: „Si difficile, et ambiguum apud te iudicium esse perspexeris - - - surge, et adscende ad locum, quem „elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad sacer„dotes Levitici generis, et ad iudicem, qui fuerit „illo tempore, quaeresque ab eis, qui indicabunt „tibi iudicii veritatem“ Cur, quaeso, res ambiguas, difficiles, controversas deferri ad sacerdotes, et iudices voluit? Nam, si hoc verum est, quod auctoribus illis placet; mittere Moyses illos unice ad Scripturam, si quando controversia aliqua futura erat, debuisset. Non misit autem huc, sed ad sacerdotes, et iudices, deque istis praecepit; „Sequeris sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, „neque ad sinistram“ ergo necesse est, ut agno-

scant, et illud dent, quod Scriptura S. non sola sit, quae in definiendis Religionis controversiis adhibenda sit. Quod si concedunt, ut procul dubio concedent, Moysem sibi non esse contrariatum ut alios iudices constitueret, si iudicasset in controversiis non alio esse recurrendum, quam ad Scripturam; ergo recognoscant, hunc, quem praetendunt non esse sincerum istius loci sensum, cum illi superiori loco de iudicibus, quos ibi constituit, iste contrarius esse non possit, seque illum alio trahere, quo ipsos praeiudicatum systema suae reformationis impellit.

De facultate, et potentia observandae legis, si vellent, hic locutus est Moyses, nihilque illos habere, quo se possent excusare, si illam non observassent. Nam primo legem ipse Moyses illos docuerat; deinde si quaestiones, et difficultates obortae fuissent, de his ipse illis respondebat, dubiaque dissolvebat, ut est Exodi 18. v. 16. Numer. 17. v. 1. et cap. 36. v. 1. deinde ut iam demonstratum est, certum, atque fixum tribunal, ubi causae omnes, et controversiae definirentur, constituit, in eoque ad diiudicandas omnes controversias, solvendasque dubietates sacerdotes iudices collocavit. Talibus ergo praesidiis cum essent instructi omnino non erat supra ipsos mandatum, ut causari, si legem non observarent, possent, se ad illam tanquam procul a se positam pertingere non posse. Sed dicebat: *Juxta te est sermo valde in ore tuo, et in corde tuo, ut facias illum.* Nam, quid potest dici

tam in facultate alicuius esse positum, quam quod habere possit in ore, et corde? In ore habere legem, positum est pro legis notitia, et cognitione. Nam, cuius aliquis facultatem possidet, ut sermone illud explicare possit; huius profecto cognitionem habere debet. Quamobrem de sacerdote etiam dictum est, cum eius munus sit alios docere „Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore eius.“ Malach. 2. v. 7. In ore ergo is dicitur habere legem, qui illam scit, et notitiam ipsius habet. Quid vero tam frequens in omni Scriptura est, ut cor ponatur pro voluntate? Nam hoc volumus, quod diligimus. Utrumque ergo ostendit illis minime deesse, quod ad faciendam legem requiritur: habere ipsos et sciendae, et volendae legis facultatem; quibus duabus partibus continetur praecepti observantia, intellectu nimirum, et voluntate. Neque enim velle aliquis potest, quod nescit, nec ad legis observantiam scire illam sufficit, sed velle, et exsequi. Hic vero notandum est discrimen Veteris, et Novi Testamenti. In veteri, de lege dicitur tantum: Sermo iuxta te est valde, in ore tuo, et corde tuo, nempe ita iuxta te est, ut vicinus sit ori, et cordi tuo: nec supra te sit, tibique impossibile habere illum in ore, et corde tuo: quomodo, si aliquis illum haberet, tum illum etiam faceret, quocirca sequitur: *ut facias illum.* De novo autem Testamento dictum est: „Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui „Israel, et domui Juda foedus novum, non secun-

„dum pactum, quod pepigi cum patribus eorum
„- - - sed hoc erit pactum, quod feriam cum do-
„mo Israel post dies illos, dicit Dominus: dabo
„legem meam in visceribus eorum, et in corde
„eorum scribam eam" Jerem. 31. v. 32. Hic ipse
Deus dicit se daturum legem suam in corda illorum, et inscripturum, et ut apud eumdem Jeremiam capitis 24. v. 7. expressius adhuc hoc a Deo dicitur: „Dabo eis cor, ut sciant me" et apud Ezechielem capitis 36. v. 27. „Faciam, ut in praece-
„ptis meis ambuletis, et iudicia mea custodiatis,
„et operemini." Quod se Deus hic ipse dicit facturum, nimirum per gratiam; hoc illis in Veteri Testamento tantum prope dedit, ut illud, si ipsi vellent, habere possent in ore suo, et corde. Quod declarat sufficientem omnino gratiam, sed non tamen efficacem, quae propria est Testamenti novi: ut legem, nisi propria voluntas obstaret, implere possent, inexcusabilesque essent, si eam non implevissent. „Hoc discernit novum Testamentum,
„ait S. Augustinus Quaest. 11. in Deut. quod in
„Veteri data est lex in tabulis lapideis: in Novo
„autem in cordibus, quod fit per Gratiam. Unde
„et Apostolus dicit: Non in tabulis lapideis, sed
„in tabulis cordis carnalibus (2. Cor. 3. v. 3.) et
„alio loco: Idoneos nos, inquit, fecit ministros
„novi Testamenti non literae sed spiritus." (ibidem versu 6.) Tali ergo ratione mandatum non fuit supra ipsos, sed quod illud per se clarum sit, nec deberent ad eorum, qui Ecclesiae praesiderent, et

sacerdotum iudicium recurrere in illius difficultate, et dubietate, hoc quidem nec hic dicitur, et si diceretur, esset illi alteri Moysis mandato de adeundis sacerdotibus, et iudicibus in legis ambiguitate manifeste contrarium. Deinde valeretne ista consequentia, etiamsi concederetur, quod tamen non conceditur, etiamsi legis praecepta Israelitis data, quae illi observanda haberent, omnia essent clare, et dilucide proposita, valeretne inquam hinc concludere, et facere consequentiam: ergo etiam totam Scripturam esse ita claram, ut obscuritatis nihil in illa sit, quod non facile ipse per te perspicias. Quod est a particulari concludere ad universale, et contra Logicam. Quomodo ergo verum illud erit, et stabit, quod S. Petrus pronunciat de omnibus epistolis Pauli: „In quibus sunt quaedam, inquit, dif„ficilia intellectu" 2. Ep. 3. v. 16. Quin ergo potius hoc verum est, quod ibi Petrus de his, quae difficilia sunt intellectu in epistolis Pauli pronunciavit „Quae, inquit, indocti, et instabiles depravant, „sicut et ceteras Scripturas ad suam ipsorum per„ditionem."

15. *Considera, quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam, et bonum; et e contrario mortem, et malum,* 16. *ut diligas Dominum Deum tuum, et ambules in viis eius, et custodias mandata illius, ac caerimonias, atque iudicia, et vivas, atque multiplicet te, benedicatque tibi in terra, ad quam ingredieris possidendam.* 17. *Si autem aversum fuerit cor tuum, et audire nolueris,*

atque errore deceptus adoraveris deos alienos, et servieris eis, 18. praedico tibi hodie, quod pereas, et parvo tempore moreris in terra, ad quam Jordane transmisso ingredieris possidendam. 19. Testes invoco hodie caelum, et terram, quod proposuerim vobis vitam, et mortem; benedictionem, et maledictionem. Elige ergo vitam, ut et tu vivas, et semen tuum, 20. et diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci eius, et illi adhaereas, ipse est enim vita tua, et longitudo dierum tuorum, ut habites in terra, pro qua iuravit Dominus patribus tuis Abraham, Isaac, et Jacob, ut daret eam illis.

Tam Lutherus, quam Calvinus, cum ante se ferrent, reformationem, quam fecerunt, se facere secundum Scripturam; hoc tamen Scripturae documentum non curaverunt, ne ipsi contra hoc aliter decernerent in sua reformatione. Lutherus enim liberum arbitrium homini detraxit quoad actiones bonas, et docuit homini post Adami peccatum liberam agendi facultatem remansisse ad agendas actiones tantum malas: Calvinus autem hominem docuit etiam esse praedestinatum a Deo, ut sit malus, ut iam nec in illius relictum sit facultate agere bene, ferrique illius praedestinationis velut insuperabili quodam pondere ad agendum male. Maior fuit modestia Lutheri prae Calvino erga Deum. Nam ille saltem ex praecedenti Adami peccato repetiit impulsum illum ad peccandum; ex Calvini autem doctrina vitium, cur quis peccet, refunditur in ipsum

Deum. Hoc vero utrique est commune, quod cum ambo glorientur, et venditent reformationem suam se fecisse secundum Scripturam, atque hanc dictitent claram esse per se, et perspicuam, quod nos Catholici quoad plurimas Scripturae partes, et loca ultro etiam damus, et concedimus, quoad omnia illius loca, et partes negamus; admodum autem perspicue in praesenti Scripturae loco libera agendi facultas in utramque partem ad bonum, et ad malum homini attribuatur; illi etiam contra hanc claram, et manifestam Scripturae auctoritatem hanc hominis libertatem reformaverint, et cum Moyses bonum, et malum; vitam, et mortem ad libere eligendum Israelitis proposuisset, hortatus autem ipsos esset, ut bonum, et vitam sibi mallent eligere, *elige ergo*, dicebat, *vitam, ut et tu vivas, et semen tuum;* hanc tamen ipsi, quam Moyses in Israelitis recognovit libere eligendi, et sequendi, quod vellent, facultatem, hominibus universis denegent. An hortari Moyses illos potuisset, ut vitam sibi eligerent, si cogitavisset hanc eligendi nullam ipsis facultatem esse? Aut fortasse illudere ipsis voluit, ut quos sciret tali facultate carere; his tamen eligendi optionem daret; vitamque, et mortem coram ipsis collocaverit? De hominis libera agendi etiam post Adami peccatum in utramque partem facultate iam etiam ad Genesis caput 4. v. 7. locus adnotatus est sane perspicuus, quin tamen etiam illum, qui tam claros oculos in Scriptura habent, quid de hominis libero arbitrio illa dicat, videant.

Caino ibi dictum fuit a Deo, cum iam in animo coqueret fraternam caedem monendi causa, ut quae illum in malum, et ad inferendam fratri caedem instigabat nocendi cupiditas, et irae furor; hanc in se comprimeret. „Si bene egeris, aiebat ad illum „Deus, recipies: sin autem male; statim in fori- „bus peccatum aderit: sed sub te erit appetitus „eius, et tu dominaberis illius.“ Tam bene, quam male agendi arbitrium declaravit illum habere Deus, dum utriusque malae, et bonae actionis conditionem illi proposuit, ut in quam vellet partem, se determinaret, habereque eum in sua potestate adpetitum suum, eiusque dominium, ut, si illum expleret, adpareret nulla hoc eum fecisse adactum necessitate, sed propria voluntate, qui sui adpetitus haberet dominium, non serviliter obtemperandi necessitatem. Dicebat Pharao, cum iam saepius refractarius erga Deum fuisset, neque se illius mandatis subiicere voluisset: „Peccavi etiam nunc; Do- „minus iustus, ego et populus meus impii“ Exodi 9. v. 27. Si ex praedestinatione Dei hoc fecit, ut ei adversaretur, paratam pro se excusationem habuisset, id sibi vitio non esse dandum, cuius sibi necessitatem a Deo impositam haberet, et malitiam suam in Deum refudisset. Sed ex sua conscientia convictus Pharao agnovit suum hoc esse peccatum, atque ex sua voluntate, quod toties Deo restitisset, repetiit, non ex Dei aliqua erga se necessitate. „Non Deus volens iniquitatem tu es“ dicit Psaltes Psal. 5. v. 5. E contrario autem: „Perdi-

„tio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum“ Oseae 13. v. 9. Quod vero ad Lutherum attinet: valet liberum arbitrium in homine ad malum, sed valet etiam ad bonum. Credo enim, quod dabit Lutherus Paulum, cum iam esset Apostolus, fuisse bonum, et gratiam, quam sibi habuit a Deo datam, non fuisse instrumentum ad malum. Dicit autem Apostolus: „Non ego, sed gratia Dei mecum.“ 1. Cor. 15. v. 10. Si gratia Dei cum illo, ergo non sola gratia fuit in bona ipsius actione, verum etiam ille. Ergo etiam illi penes gratiam est relicta facultas bene agendi. Itaque in bonis quoque actionibus coniunctim cum gratia partes suas agit liberum arbitrium. Quod, ut haberent, quo pacto, si in bonis actionibus deessent, a culpa viderentur esse immunes, neve hoc ipsis tribui posset; sustulit e medio Lutherus, sed iuxta suum arbitrium, non secundum Evangelium.

CAPVT XXXI.

Deuteronomium describit Moyses, illudque septimo anno, qui annus remissionis esset, iubet publice legi. Deus Moysem iubet scribere Canticum, utque illud memoriter sciat, docere populum.

1. *ABIIT itaque Moyses, et locutus est omnia verba haec ad universum Israel.* Novae rursus concionis isthic Moysis ad populum est initium. Neque enim istud: *abiit*, sic sumendum est, quasi

dictum esset abiisse illum, postquam superiora verba finierat, cum sequatur illico ita eum abiisse, ut modo ista verba locutus sit, quae isto capite exponuntur, sed abiisse, hoc est ivisse, uti rursus modo diceret haec ad populum, cum post superiorem concionem quievisset. 2. *Et dixit ad eos: centum viginti annorum sum hodie: non possum ultra egredi, et ingredi, praesertim cum et Dominus dixerit mihi: non transibis Jordanem istum.* Ingredi, et egredi esse positum consvetudine Hebraica loquendi pro quibusvis actionibus, est demonstratum supra ad cap. 28. versum 6. Quamvis autem Moyses centum, et viginti annos aetatis tum haberet; tamen tam adhuc vegetus tum dicitur fuisse infra capitis 34. v. 7. ut nec oculus illius caligaverit, nec dentes illius moti sint. Hoc ergo videretur huic esse contrarium quod modo, quasi propter hanc aetatem, iam non ultra possit egredi, et ingredi. Non ergo hoc de se: non possum ultra egredi, et ingredi, sic posuit, quasi explicare voluisset esse hunc defectum illius suae centum viginti annorum aetatis; sed potius, cur egredi, et ingredi ultra non possit, est nova in hac illius oratione propositio; cuius deinde rationem illam dicit esse, quod ei a Deo dictum sit, quod non sit transiturus Jordanem. Consequens enim est, ut egredi, et ingredi coram illis amplius non possit; si illis transeuntibus Jordanem ipse non permittatur cum illis ire. Hoc, quod Latine sic versum habemus: *praesertim cum et Dominus dixerit mihi* est in He-

braeo: *Dominus enim dixit ad me.* (וַיהוָה אָמַר אֵלַי) Nam litera Hebraica *Vau* licet vulgo copulandi vim in oratione habeat; tamen etiam hanc, ut ego posui, causalem significationem habet, ut est in exemplo Genesis 20. v. 3. Ubi, quod ad Abimelechum propter raptam Saram uxorem Abrahae sic est dictum a Deo iuxta Versionem Latinam: „En morieris propter mulierem, quam tulisti, habet enim „virum" in Hebraeo loco causalis *enim* eadem haec litera *Vau* est. Plura sunt talia exempla.

3. *Dominus ergo Deus tuus transibit ante te, ipse delebit omnes gentes has in conspectu tuo, et possidebis eas, et Josue iste transibit ante te, sicut locutus est Dominus.* 4. *Facietque Dominus eis, sicut fecit Sehon, et Og regibus Amorrhaeorum, et terrae eorum, delebitque eos.* 5. *Cum ergo et hos tradiderit vobis, similiter facietis eis, sicut praecepi vobis.* 6. *Viriliter agite, et confortamini, nolite timere, nec paveatis ad conspectum eorum, quia Dominus Deus tuus ipse est ductor tuus, et non dimittet, nec derelinquet te.* 7. *Vocavitque Moyses Josue, et dixit ei coram omni Israel: confortare, et esto robustus. Tu enim introduces populum istum in terram, quam daturum se patribus eorum iuravit Dominus, et tu eam sorte divides.* 8. *Et Dominus, qui ductor est vester, ipse erit tecum: non dimittet, nec derelinquet te, noli timere, nec paveas.* 9. *Scripsit itaque*, Hebraice: *et scripsit* (וַיִּכְתֹּב) *Moyses legem hanc, et tradidit eam sacerdotibus filiis Levi, qui*

portabant arcam foederis Domini, et cunctis senioribus Israel. Humeris per itinera arcam deferre erat officium proprie Levitarum familiae Caath. Attamen in eadem portatione sua munia erant quoque sacerdotibus, quorum erat arcam involvere, Levitis tradere, iterumque illam recipere Num. cap. 4. v. 5, 15. Praeterea accidebat, ut nonnumquam suis ipsi humeris sacerdotes arcam ferrent. Sic factum hoc est Josue 3. v. 6. in transeundo per Jordanem, et rursus, quando cum arca circumiverunt moenia urbis Jericho. Josue 6. v. 6.

10. *Praecepitque eis dicens: post septem annos anno remissionis in solennitate tabernaculorum* 11. *convenientibus cunctis ex Israel, ut adpareant in conspectu Domini Dei tui in loco, quem elegerit Dominus, leges verba legis huius coram omni Israel audientibus eis,* 12. *et in unum omni populo congregato tam viris, quam mulieribus, parvulis, et advenis, qui sunt intra portas tuas, ut audientes discant, et timeant Dominum Deum vestrum, et custodiant, impleantque omnes sermones legis huius.* 13. *Filii quoque eorum, qui nunc ignorant, ut audire possint, et timeant Dominum Deum suum cunctis diebus, quibus versantur in terra, ad quam vos Jordane transmisso pergitis obtinendam.* Annus remissionis erat quisque septimus, qui sic dictus est, quod tum debita remitterentur, et condonarentur, vacabat etiam totus ille annus a cultura, et labore agresti Lev. 25. v. 4. Deut. 15. v. 1.

Et

Et ait Dominus ad Moysen: 14. *ecce prope sunt dies mortis tuae, voca Josue, et state in tabernaculo testimonii*, in atrio illius videlicet, ibi enim, ad fores tabernaculi ipsis etiam Deus in forma columnae nubeae, ut subsequetur, apparuit: neque enim Josue erat sacerdos, cum fuerit ex tribu Ephraim (Num. 13. v. 9, 17.) nec aliis, praeterquam sacerdotibus, patebat intro aditus ad tabernaculum, *ut praecipiam ei. Abierunt ergo Moyses, et Josue, et steterunt in tabernaculo testimonii.* 15. *Apparuitque Dominus ibi in columna nubis, quae stetit in introitu tabernaculi.* 16. *Dixitque Dominus ad Moysen: ecce tu dormies cum patribus tuis, et populus iste consurgens fornicabitur post deos alienos in terra, ad quam ingreditur, ut habitet in ea; ibi derelinquet me, et irritum faciet foedus, quod pepigi cum eo.* 17. *Et irascetur furor meus contra eum in die illo, et derelinquam eum, et abscondam faciem meam ab eo, et erit in devorationem, invenient eum omnia mala, et afflictiones, ita ut dicat in illo die: vere, quia non est Deus mecum, invenerunt me haec mala.* 18. *Ego autem abscondam, et celabo faciem meam in die illo propter omnia mala, quae fecit, quia secutus est deos alienos.* 19. *Nunc itaque scribite vobis canticum istud, et docete filios Israel, ut memoriter teneant, et ore decantent, et sit mihi carmen istud pro testimonio inter filios Israel.* 20. *Introducam enim eum in terram, pro qua iuravi patribus eius lacte, et melle manantem.*

Cumque comederint, et saturati, crassique fuerint, avertentur ad deos alienos, et servient eis, detrahentque mihi, et irritum facient pactum meum. 21. *Postquam invenerint eum mala multa, et afflictiones, respondebit ei canticum istud pro testimonio, quod nulla delebit oblivio ex ore seminis sui. Scio enim cogitationes eius, quae facturus sit hodie, antequam introducam eum in terram, quam ei pollicitus sum:* hoc est iam hodie, et nunc scio, quid facturus sit, postquam intraverit terram, ita ut *hodie* referatur ad remotius verbum *scio*, non ad proximum *facturus sit*. Tum enim male ipsos facturos, Deumque esse deserturos, praecessit etiam superiore versiculo.

22. *Scripsit ergo Moyses canticum, et docuit filios Israel.* 23. *Praecepitque Dominus Josue filio Nun, et ait: confortare, et esto robustus. Tu enim introduces filios Israel in terram, quam pollicitus sum, et ego ero tecum.* 24. *Postquam ergo scripsit Moyses verba legis huius in volumine, atque complevit;* 25. *praecepit Levitis, qui portabant arcam foederis Domini dicens:* 26. *tollite librum istum, et ponite eum in latere arcae foederis Domini Dei vestri, ut sit ibi contra te in testimonium.* Non intro ad arcam positus est iste liber, sed tantum foris ad illius latus. Nam intus in arca nihil aliud fuisse, quam duas tabulas lapideas Decalogi manifeste dicitur 3. Reg. 8. v. 9. Non satis vero liquet, omnesne quinque suos libros, et totum Pentateuchum, vel solum Deuteronomium

reponi curaverit ad arcam Moyses. Nam etiam totum Pentateuchum consvevisse ab Judaeis legis nomine adpellari, docet S. Hieronymus in Prologo suo galeato. Illud autem de solo Deuteronomio verisimilius est. De lege enim illa, de qua tum Moyses cum populo tractabat, quod eam descripserit, Levitisque custodiendam tradiderit, est: *postquam ergo scripsit Moyses verba legis huius in volumine*, deque isto volumine Levitis praeceptum fuit: *tollite librum istum, et ponite eum in latere arcae foederis.* Lex vero ista, de qua modo agebat, lex erat Deuteronomii. Ergo de hac sola tantum nunc, quod scripta sit, Levitisque data ad custodiendum, sermo est. Deinde Deuteronomium esse separatim a Moyse scriptum iam etiam ad initium capitis primi ostensum est. Cum ergo unus tantum iste liber adpelletur; is Deuteronomii est intelligendus. Est vero hoc per prolepsim, et anticipationem positum a Moyse, esse nunc datum librum Levitis. Nondum enim adhuc nunc omnia erant explicata, quae sunt in Deuteronomii hoc libro. Nec prius haec videtur scripsisse, quam acta omnia sint. 27. *Ego enim scio contentionem tuam, et cervicem tuam durissimam. Adhuc vivente me, et ingrediente vobiscum semper contentiose egistis contra Dominum, quanto magis cum mortuus fuero?* 28. *Congregate ad me omnes maiores natu per tribus vestras, atque doctores*, Hebraice *rectores:* (שֹׁטְרִים) Chaldaeus praefectos posuit, ad eumque modum etiam Arabs, *et loquar audientibus eis sermones*

istos, et invocabo contra eos caelum, et terram. 29. *Novi enim, quod post mortem meam inique agetis, et declinabitis cito de via, quam praecepi vobis, et occurrent vobis mala in extremo tempore.* Pro extremo, in Hebraeo vocabulum est (בְּאַחֲרִית) quod non semper extremum, sed posterius etiam, quodcunque tempus significat, *quando feceritis malum in conspectu Domini, ut irritetis eum per opera manuum vestrarum.* 30. *Locutus est ergo Moyses audiente universo coetu Israel verba carminis huius, et ad finem usque complevit.* Praefatio haec est ad carmen, quod modo sequente capite proponetur.

CAPVT XXXII.

Canticum de beneficiis Dei erga Israeliticum populum, huius vero perpetua erga Deum ingratitudine, et indignitate.

1. *AUDITE caeli, quae loquor, audiat terra verba oris mei.* Etiam superius capitis 30. v. 19. Moyses caelum, et terram testes invocavit se illis proposuisse, Israelitis nimirum, vitam, et mortem. Nec vero hoc mirabile videri debet caelum, et terram adhiberi testium loco, cum reperiantur res etiam aliae inaminae ut lapides, et terrei tumuli adhibiti esse pro testibus. Genesis 31. v. 48. Josue 22. v. 26. Etsi enim inanima illa loqui, atque voce aliquid testari non possint; tamen monumentum defigi in illis, et constitui potest, ut

illorum etiam adspectu res illae in memoriam revocentur, quarum causa in testificationem adsumpta sunt. 2. *Concrescat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, et quasi stillae super gramina.* Similitudines istae eo pertinent, ut quemadmodum imber, ros, pluvia imbibuntur a terra, et graminibus; ita in Israelitarum animos descenderent haec Moysis verba. 3. *Quia nomen Domini invocabo.* Hebraice vocabulum est *Ekra*: (אֶקְרָא) quod etiam laudare, et celebrare significat, hocque modo sumitur etiam Psal. 104. v. 1. et saepe alias, sicque isthic quoque sumptum efficit maiorem cohaerentiam cum subsequentibus: nam Dei laudes reipsa incipit explicare. *Date magnificentiam Deo nostro.* 4. *Dei perfecta sunt opera* Hebraice: *Rupes, perfecta opera eius* (הַצּוּר תָּמִים פָּעֳלוֹ) Deus etiam alibi saepius in Scriptura rupes nominatur, quod in illo velut in rupe altissima, et firmissima certissimum homini sit praesidium: sic id, quod Latine habemus in Psalmo 61. v. 8. *Deus auxilii mei* Hebraice est: *Rupes auxilii mei.* (צוּר־עֻזִּי) Est igitur sensus complendo particulam similitudinis, quae in Hebraeo est praetermissa per ellipsim: *instar rupis Dei perfecta sunt opera:* quod eo pertinet, esse in illo omnem fiduciam collocandam, quod sicut rupes firma est, et immobilis; ita illud firmum erit, quod Deus agit: *et omnes viae eius iudicia:* hoc est: omnis ratio ipsius agendi iusta. *Deus fidelis, et absque ulla iniquitate, iustus, et rectus.*

5. *Peccaverunt ei, et non filii eius in sordibus, generatio prava, atque perversa.* Peccaverunt ei Hebraice: *corrupit se*, vel, si substantive sumatur: *corruptio ei.* (שִׁחֵת לוֹ) Et non filii eius in sordibus Hebraice: *non filiorum eius, sordes eorum.* (לֹא בָּנָיו מוּמָם) Est igitur sensus: corruptio ei, quae generatio prava est, et perversa. Israelitae autem intelliguntur: quorum sordes, non sint filiorum eius, hoc est, non filii Dei sint, qui se corruperunt, et quorum tales sunt sordes. Pro sordibus Chaldaeus idola vertit. 6. *Haeccine reddis Domino popule stulte, et insipiens? Numquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, et fecit, et creavit te?* Possidere est positum pro gignere: nam etiam Eva edito in lucem Caino „Possedi, inquit, homi- „nem per Deum:" Gen. 4. v. 1. Ad auctorem enim suum quaevis res, dum producitur, iure productionis spectat. Cum ergo Deus hominem produxerit, fecerit, et creaverit; eum, ut patrem, factorem suum, et creatorem agnoscere, pendereque ab eo, ut filius, et creatura debet.

7. *Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas, interroga patrem tuum, et annunciabit tibi, maiores tuos, et dicent tibi.* 8. *Quando dividebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Israel.* Non quasi Deus in tot regna distribuisset orbis terrarum gentes, quot numero erant Israelitae quocumque demum tempore: sed Vocabulum Hebraicum *Misphar*

(מִסְפַּר) cuius loco Vulgata posuit *Numerum*, cum generatim alicuius rei recensionem, vel expositionem significet; tum hic commodissime efferri Latina voce potest: *Ratio*, ut sensus sit, Deum iam tunc, cum regionum terminos designasset aliis nationibus, etiam si hae antiquiores Israelitis fuissent, id fecerit habendo rationem Israelitarum, quibus iam tum, in illa pro omnibus nationibus terrarum partitione, regionem determinaverit. Quod eo pertinet, ut doceat singularem Dei providentiam erga Israelitas iam tum fuisse, cum ipsi nondum existerent.

9. *Pars autem Domini*, Hebraice cum causali est, ut ostendat, cur Deus hoc, quod modo dictum est, fecerit: *Quia pars* (כִּי חֵלֶק) *Domini populus eius: Jacob funiculus haereditatis eius*. Pars dicitur relate ad haereditatem, quae alicui ex haeredibus obtingit in illius inter hos partitione: funiculus vero itidem pro haereditate est positus, tanquam, quo instrumento fieri consveverit fundorum inter haeredes divisio. Qualiter funis pro haereditate significanda etiam Psal. 15. v. 6. adhibitus est: „Funes ceciderunt mihi in praeclaris, etenim haereditas mea praeclara est mihi.“ 10. *Invenit eum in terra deserta, in loco horroris, et vastae solitudinis, circumduxit eum, et docuit, et custodivit, quasi pupillam oculi sui*. Explicat Dei beneficia in deserto erga Israeliticum populum. Invenit hoc est acquisivit illum sibi, et adsumpsit in peculiarem populum, estque verbum hoc desumptum ex eo,

quod alicui provenit, et nascitur. Nam etiam de Isaac Gen. 26. v. 12. est invenisse illum ex semente, quam fecit, centuplum. Pertinet etiam istud eo: esse illos a Deo assumptos in peculiarem ipsius populum sine suo ullo merito, sicut illud fortuitum tantum est, quod invenitur; nec id, quod inventum est, cur inventum sit, ex sua parte ad actionem inventoris aliquid contulit. Hoc est ergo, quod etiam ab Apostolo Paulo dictum est de Novi Testamenti fidelibus, quorum illi in Veteri lege typus fuerunt: „Sorte nos vocatos esse, praedestinatos „secundum propositum eius, qui operatur omnia se„cundum consilium voluntatis suae." Eph. 1. v. 11.

11. *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans expandit alas suas, et adsumpsit eum, atque portavit in humeris suis.* 12. *Dominus solus dux eius fuit, et non erat cum eo deus alienus.* 13. *Constituit eum super excelsam terram, ut comederet fructus agrorum:* Chananaeae regio est montosa, ut iam alias demonstratum est, idcirco terra excelsa adpellatur, et quod habere urbes et oppida aedificata in editis locis, quod ad laudem ipsius pertinet, quod sic firmitatem haberet adversus hostes: *ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo,* 14. *butyrum de armento, et lac de ovibus cum adipe agnorum, et hircorum filiorum Basan, et hircos cum medulla tritici, et sangvinem uvae biberet meracissimum.* Quod apes favos suos inter saxorum rimas struant, unde deinde mellis rivuli defluerent, intel-

ligitur etiam ex facto Jonathae 1. Reg. 14. v. 26. dum etiam ex equo inter equitandum virga degustasset mel. Oleum deinde memorat de saxo durissimo, quo laudatur soli illius ubertas. Nam, cum olea pingve solum amet; singulare hoc erat in Chananaea, in cuius etiam saxis cresceret ubertim oleum. Basanitica autem regio a pascuis, atque a pingvibus gregibus commendabatur. Cum vero in Palaestina vinum rubrum soleat provenire; tanto magis succus uvarum similitudinem habet cum sangvine, quo vocabulo hic Moyses tropice usus est.

15. *Incrassatus est dilectus, et recalcitravit, incrassatus, impingvatus, dilatatus: dereliquit Deum factorem suum, et recessit a Deo salutari suo.* Dilectus Hebraice est *Jeschürun* (יְשֻׁרוּן) quod descendit a radice *Jaschar* (יָשַׁר) significatque id, quod rectum est. Dilectum igitur Latinus Interpres, sicut Septvaginta etiam Interpretes Graece ἠγαπημένον, quod dilectum significat, verterunt, ponendo hoc aequivalens pro illo. Quod enim rectum est, hoc Deus diligit. Sed laus huius rectitudinis non valde congruit illi populo, nisi illorum intelligantur patres Abraham, Isaac, et Jacob, quos in recte agendo illorum posteri si pauciores excipiantur, non admodum imitati sunt, obstinate agendo, et rebellando identidem contra Deum. Refertur autem hoc *Rectum* saepe in Scriptura ad oculos, poniturque pro placere, ut hoc etiam Latinus Interpres Numer. 23. v. 27. et saepius alibi ita vertit. Atque sic hoc bene cohaeret, sensusque, quem La-

tinus, et Graeci Interpretes posuerunt, congruit. Complacuit enim sibi Deus in illo populo, quem tantis suis beneficiis tanta liberalitate nullo illorum merito, sed sola sua erga eum bonitate cumulaverit. Deuteronomii 9. v. 6.

16. *Provocaverunt eum in diis alienis, et in abominationibus ad iracundiam concitaverunt.* 17. *Immolaverunt daemoniis et non Deo, diis quos ignorabant: novi, recentesque venerunt*, dii tales novi et recentes illis venerunt, quos scilicet colendos adsumpserunt, *quos non coluerunt patres eorum.* 18. *Deum, qui te genuit, dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui.* 19. *Vidit Dominus, et ad iracundiam concitatus est, quia provocaverunt eum filii sui, et filiae.* 20. *Et ait: abscondam faciem meam ab eis, et considerabo novissima eorum* Hebraice: *Quae consecutio eorum:* (מָה אַחֲרִיתָם) hoc est ergo, quid ipsis eventurum sit. 21. *Ipsi me provocaverunt in eo, qui non erat Deus, et irritaverunt in vanitatibus suis*, hoc est in idolis: „ scimus enim, ait S. Paulus 1. Cor. 8. „ v. 4. quia nihil est idolum in mundo:“ *et ego provocabo eos in eo, qui non est populus, et in gente stulta irritabo illos.* Talis ista provocatio est intelligenda, quae fit per aemulationem, et invidiam. Hanc enim propriam significandi vim habet quod huic respondeat Hebraicum verbum *Kinne*, (קִנֵּא) quod etiam Septvaginta verterunt παραζηλόω, quod ad aemulationem provocare significat. Res igitur hic sic se habet, ut si Deus illis velit in con-

trarium facere, et quasi par pari referre. Illi alienos deos adsumpserunt, quos colerent: quod Deus non ferens vicissim ipse quoque omissis illis beneficia sua confert in alios populos, ut Israelitae marcescant invidia, atque hos non populum adpellat, non quasi nullus populus esset, sed quod non suus sit populus, suoque cultui addictus: estque hoc dictum, quoad se, a quo ipse Deus nullum fructum sui cultus haberet: eundemque populum gentem stultam vocat. Quae enim maior stultitia cogitari potest, quam vero Deo relicto, a quo omnia habet, inanes deos colere, qui praestare nihil possunt, et iumentis, quadrupedibus, volucribus, aliisque eiusmodi rebus Dei gloriam, et honorem tribuere. Quare de his iisdem gentilibus tales deos colentibus S. Paulus ad Romanos 11. v. 22. ait: Dicentes, inquit, se sapientes esse, stulti facti sunt. Quod, etsi iam olim stante adhuc veteri Testamento per umbram factum est, dum Deus aliis nationibus Israelitarum hostibus, prosperitatem etiam supra ipsos Israelitas tribuit; tamen Paulus docet pertinuisse hoc adcuratius eo, quod Deus repudiatis a suo cultu Israelitis, a quibus ante tam saepe ipse desertus esset; Evangelii dona aliis nationibus collaturus, istasque pro suo populo, a quo coleretur, in illorum locum adsumpturus esset. In epistola ad Romanos 10. v. 19. istud sic proponit: „Numquid „Israel non cognovit? Primus Moyses dicit: Ego „ad aemulationem vos adducam in non gentem, „in gentem insipientem, in iram vos mittam. Isaias

„autem dicit: Inventus sum a non quaerentibus „me, palam adparui iis, qui me non interroga„bant.“ Ex qua Isaiae, est autem hoc testimonium ex capitis 65. v. 1. desumptum, cum Moyse collatione, totoque illo Pauli orationis contextu omnino perspicitur esse hunc, quem dixi de Judaeorum reprobatione, gentiliumque antelatione in Evangelii donis sensum. Quod Paulus in eadem citatione huius loci ex Deuteronomio sic posuit: In iram vos mittam, nec enim Apostoli, et Evangelistae, dum Scripturae alterius testimonium citant, semper verba, sed sensum tantum ponunt, id quod iam a S. Hieronymo in Isaiae caput 7. notatum etiam est: „In multis, inquit, testimoniis, quae Evangeli„stae, vel Apostoli de libris veteribus adsumpse„runt, curiosius attendendum est, non eos verbo„rum ordinem secutos esse, sed sensum“ quod ergo S. Paulus paucioribus expressit: in iram vos mittam, id nunc Moyses plenius eloquitur de eadem Dei ira erga illos, ut sequitur: 22. *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima*, Hebraice: *ad inferni infimum locum* (עַד־שְׁאוֹל תַּחְתִּית) Vocabulum autem *Scheol* Hebraicum iam inferorum locum, ubi post hanc vitam damnati poenas dant, iam tantum sepulchrum significat: utrumque vero incredulis Israelitis competit, et utrumque illis evenit: *devorabitque terram cum germine suo, et montium fundamenta comburet:* quasi, quo igne totam illorum regionem consumpturus sit: continens autem positum est pro contento.

23. *Congregabo super eos mala, et sagittas meas complebo in eis:* Hebraice: *consumam in eis.* (אכלה־בם) 24. *Consumentur fame, et devorabunt eos aves morsu amarissimo* Hebraice: *conficientur imflammatione, et exitio amaro.* (ולחמי רשף וקטב מרירי) Quod Latinus Interpres aves vertit, est Hebraice *Rescheph.* Id vero vi sua significat tale aliquid, quod vibratur, et ardet. Videtur carbunculus intelligi, quod est ulcus inflammatum, et ardens, perque reliquum corpus se diffundens. Arabs hoc vertit: „febrem caloris, et „mortem acerbam:“ *dentes bestiarum immittam in eos cum furore trahentium super terram, atque serpentium:* hoc est quae bestiae se trahant, et serpant. Deest in Hebraeo: *trahentium* sed tantum est: dentes bestiarum mittam in eos cum furore, *serpentium in pulvere* (זחלי עפר) ita, ut duplex genus bestiarum comprehendatur quadrupedum, et serpentium.

25. *Foris vastabit eos gladius, et intus pavor: iuvenem simul, ac virginem, lactentem cum homine sene:* intellige antecedens verbum: vastabit. 26. *Dixi: ubinam sunt? Cessare faciam ex hominibus memoriam eorum.* Pro *ubinam sunt* in Hebraeo est: *exterminabo eos.* (אפאיהם) Quod Septvaginta veterunt: διασπερῶ αὐτοὺς *dispergam ipsos.* 27. *Sed propter iram inimicorum distuli, ne forte superbirent hostes eorum, et dicerent: manus nostra excelsa, et non Dominus fecit haec omnia.* 28. *Gens absque consilio est, et sine pru-*

dentia. 29. *Utinam saperent, et intelligerent, ac novissima providerent* Hebraice *ulteriora* (אַחֲרִית) providerent. 30. *Quomodo persequatur unus mille, et duo fugent decem millia?* Hoc de Israelitis in fugam versis ab suis hostibus est intelligendum. Nam de istis postea continuatur sermo, hoc illis eventurum a Deo, qui illos hostibus traderet. *Nonne ideo, quia Deus suus vendidit eos, et Dominus conclusit illos?* Hebraice: *tradidit illos.* (הִסְגִּירָם) 31. *Non enim est Deus noster, ut dii eorum:* nimirum, ut, si vellet populum suum securum praestare, id facere non possit: sicut illorum dii, cum nihil sint, ferre suis aliquod auxilium non possunt: *et inimici nostri sunt iudices.* Hoc duplici modo intelligi potest, ut de hoc, quod modo antecessit, inimici ipsi sint iudices, qui hoc de Dei potentia, qua ferre Israelitis auxilium possit, iam experti sint; vel vero sensus est, hoc inimicos non sic iudicare. Qui, cum inimici sint, de ipsis non recte iudicent. Nam praecesserat de ipsis versu 29. *Utinam saperent, et intelligerent.* Itaque non tale hic illorum iudicium memoratur, quod rectum sit. Quo pacto id, quod per copulativam particulam *et* Latine versum est, sumendum est per modum adversativae particulae *sed, autem,* ut hoc etiam Septvaginta fecerunt voculam alias copulativam in Hebraeo, quamque illi litera *Vau* exprimere solent vertendo sic: οἱ δὲ ἐχθροί ἡμῶν ἀνόητοι: *Inimici autem sunt amentes.* Nam Hebraea illa vocula utroque modo verti potest.

32. *De vinea Sodomorum vinea eorum, et de suburbanis Gomorrhae: uva eorum uva fellis, et botri amarissimi.* 33. *Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile.* Postquam regio Sodomitica caelesti igne conflagravit, lacum ibi esse enatum bituminosum Asphaltidis iam alias demonstratum est. Quamobrem, si quid etiam ibi procresceret a solo, quod bitumine esset infectum, mirum videri non debet, si esset amarum: atque hinc est ista comparatio, ut botri isti, et uvae tam amari esse dicantur, quam si essent ex vinea regionis Sodomae, et Gomorrhae. Idololatricae autem gentes sub allegoria vineae, botrorum, et vini, quoad mores, et indolem Sodomitis, et Gomorranis comparantur. Fel, et amaritudo etiam supra capitis 29. v. 18. pro idololatriae crimine, paganorumque vivendi licentia sunt posita.

34. *Nonne haec condita sunt apud me, et signata in thesauris meis?* Deus modo ipse loquens inducitur. Nonne, inquit, haec gentilium flagitia fel illud, et venenum sunt apud me signata, et adnotata, repositaque in memoria? Est autem in thesauri vocabulo metaphora. Nam, sicut thesaurus solet diligentissime custodiri; ita Deus se dicit illorum memoriam conservare, ne illa crimina et flagitia punire obliviscatur. 35. *Mea est ultio, et ego retribuam in tempore, ut labatur pes eorum. Iuxta est dies perditionis, et adesse festinant tempora* eiusdem videlicet perditionis et exitii, quo gentiles propter illa sua crimina plectat, et puniat.

36. *Judicabit Dominus populum suum, et in servis suis miserebitur: videbit, quod infirmata sit manus, et clausi quoque defecerunt, residuique consumpti sunt.* Judicare hic quoad Israeliticum populum in bonam partem accipitur, id, quod subsequens deinde etiam verbum: miserebitur declarat. Chaldaeus posuit: *Judicabit Dominus iudicium populi sui*, hoc est exercebit, et negotium sui populi Deus vocabit in iudicium, et in quo adversus illius hostes, quod illum afflixerint, sententiam feret. Nam, tametsi ipse Deus illos hostibus dicatur tradidisse, ut est supra versu 30. non tamen propterea illorum hostes, dum in ipsos hostiliter agerent, crimine vacabant, si hoc, ut ita fieret, Deus tantum permisit, et malitia hostium solummodo usus est ad suum populum castigandum; et si praeterea etiam cum Deus non tantum sinendo, verum etiam committendo, et demandando hostium manibus uteretur ad Israelitas feriendos, illi autem modum illum, quem Deus vellet servari in illis puniendis excederent. Quamobrem etiam de Assyriis Deus, quibus Israelitas tradiderat in captivitatem, queritur quod adversus illius populum inique agerent, et iugum, quod ipse illis imposuit captivitatis, illi aggravaverint. Isa. 47. v. 6. cap. 52. v. 5. Miserebitur vero illorum videndo, quod infirmata sit illorum manus, dum nimirum caedibus extenuatae essent ipsorum vires, et clausi quoque in carcere, et captivitate hostili defecissent, residuique, qui scilicet a clade, quam ab hostibus acceperant,

superstites

superstites manserunt, consumpti essent. Non vero penitus. Nam, si ita fuisset, qui deinde remansissent, quorum Deus misereretur? ,, Secundum eum ,,canonem, quem saepe exposuimus Scripturarum, ,,ait S. Hieronymus epist. 146. ad Damasum, ,,omnia non ad totum referenda sunt, sed ad par ,,tem maximam."

37. *Et dicet: ubi sunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam?* De Israelitarum hostibus est hoc, dum Deus vindictam in illos exercebit, ut modo superiore versu antecessit, quique rem, quae ipsis prospere adversus Israelitas successisset, diis suis acceptam referrent: 38. *De quorum victimis comedebant adipes, et bibebant vinum libaminum: surgant, et opitulentur vobis, et in necessitate vos protegant.* 39. *Videte, quod ego sim solus, et non sit alius Deus praeter me. Ego occidam, et ego vivere faciam; percutiam, et ego sanabo; et non est, qui de manu mea possit eruere.* 40. *Levabo ad caelum manum meam, et dicam: vivo ego in aeternum.* Hoc est, sicut vivo in aeternum, ita illud fiet. Est iuramentum, levatioque manus ad caelum ritus est iurandi. 41. *Si acuero, ut fulgur gladium meum, et arripuerit iudicium manus mea:* Hoc vero cum affirmatione est sumendum: acuam, ut fulgur, gladium meum, et arripiet iudicium manus mea. Cumque praecesserit: vivo ego in aeternum, tam vere hoc Deus se pronunciat facturum, quam vere vivit in aeternum. Est vero in isto iurandi modo cum vocula: *si* idiotismus lingvae He-

braeae. Qualiter etiam in notissimo Psalmi 94. loco est: „ Quibus iuravi in ira mea si, introibunt in re- „ quiem meam: " quod idem est, atque iuravi illis non intraturos.

Reddam ultionem hostibus meis, et his, qui oderunt me, retribuam. 42. *Inebriabo sagittas meas sangvine, et gladius meus devorabit carnes de cruore occisorum, et de captivitate nudati inimicorum capitis.* Est quaedam hic transpositio: re autem ad naturalem suum ordinem collocata evadet oratio planior sic: Inebriabo sagittas meas sangvine de cruore occisorum, et gladius meus devorabit carnes de captivitate inimicorum nudati capitis. Est vero abstractum nomen: captivitas pro captivis positum: de captivis ergo inimicis, qui nudati sunt capitis carnes devorabit gladius meus, ita ut nudatio capitum pertineat vel ad explicandam subiectionis conditionem, vel ad rationem caedis, et devorationis, quae futura est gladio. Nam, si nudata sint capita, tum facilius est illa secare, et gladius fit expeditior ad carnes illorum capitum conficiendas, et devorandas.

43. *Laudate gentes populum eius, quia sangvinem servorum suorum ulciscetur, et vindictam retribuet in hostes eorum, et propitius erit terrae populi sui.* In Hebraeo initium huius versus est sic: *Cantate gentes populum eius* (הַרְנִינוּ גוֹיִם עַמּוֹ) Quod S. Paulus ad Romanos 15. v. 10. citans ita expressit: *Laetamini gentes cum plebe eius.* Nam cantus signum laetitiae est. Qui autem de aliquo lae-

tatur, significat se ei bene velle, et esse bene affectum. Hinc itaque istud testimonium Paulus adhibet ad ostendendam gentium conversionem, et illarum consociationem cum Israelitis in eiusdem Fidei, et eorundem Dei donorum laetitia. Nam, licet reprobatio illorum facta sit: tamen haec illorum caecitas tantum ex parte accidit, ut inquit S. Paulus ad Romanos 11. v. 25. et ipsi Apostoli erant ex Judaeis, quos Christus fundamentum posuit suae Ecclesiae. Quamobrem idem Paulus ad Ephesios 2. v. 14. dicit Christum inter Israelitas., et alias nationes medium parietem maceriae solvisse, et reconciliasse ambos in uno corpore.

44. *Venit ergo Moyses, et locutus est omnia verba cantici huius in auribus populi, ipse, et Josue filius Nun.* 45. *Complevitque omnes sermones istos loquens ad universum Israel.* 46. *Et dixit ad eos: ponite corda vestra in omnia verba, quae ego testificor vobis hodie, ut mandetis ea filiis vestris custodire, et facere, et implere universa, quae scripta sunt legis huius.* 47. *Quia non incassum praecepta sunt vobis, sed ut singuli in eis viverent, quae facientes longo perseveretis tempore in terra, ad quam Jordane transmisso ingredimini possidendam.* 48. *Locutusque est Dominus ad Moysen in eadem die dicens:* 49. *Adscende in montem istum Abarim, id est transituum* hoc interpretationis causa Latinus Interpres posuit, qui sic adpellatus sit propter consvetudinem itinerum per illum montem, cum alias Nebo proprium nomen

mons ille haberet, ut sequitur, *in montem Nebo, qui est in terra Moab contra Jericho, et vide terram Chanaan, quam ego tradam filiis Israel obtinendam, et morere in monte.* Vertex autem illius montis, Phasga proprio nomine adpellabatur, ut est infra capitis 34. v. 1. atque eousque prospiciendi causa Moyses montem illum conscendit. 50. *Quem conscendens iungeris populis tuis, sicut mortuus est Aaron frater tuus in monte Hor, et adpositus populis suis.* 51. *Quia praevaricati estis contra me in medio filiorum Israel ad aquas Contradictionis in Cades deserti Sin, et non sanctificastis me inter filios Israel.* Numerorum 20. v. 12. factum istud narratur. 52. *E contra videbis terram*, hoc est, ex parte illius adversa intueberis illam, *et non ingredieris in eam, quam ego dabo filiis Israel.*

CAPUT XXXIII.

Moyses moriturus benedicit populo, et futura illi praenunciat.

1. *HAEC est benedictio, qua benedixit Moyses homo Dei filiis Israel ante mortem suam.* 2. *Et ait: Dominus de Sinai venit, et de Seir ortus est nobis, adparuit de monte Pharan, et cum eo Sanctorum millia: in dextera eius ignea lex.* Deus, cum legem daret, potius venit ad montem Sinai, atque eo, ad illum montem tum dicitur descendisse Exodi 19. v. 18. Quod ergo nunc de illo

monte dicitur venisse; non est accipiendum praecise de adventu illius ad montem Sinaï, ad dandam legem, sed prout etiam de Seir iisdem Israelitis dicitur Deus esse ortus, et apparuisse illis de monte Pharan, quod ex istis locis Deus se per prodigia, atque res ibi gestas cumprimis Israelitis manifestaverit. In monte Sinai praesertim: ubi in igne adparuerat monte toto fumante, personanteque terrificis tonitruorum vocibus, atque clangentibus tubis, distincteque Dei ipsius voce lex dum promulgata est. Inde eadem lex etiam vocatur ignea propter terribilem montis illius tum adparatum totum igneum, atque fulmineum, qui eo pertinebat, ut demonstraretur, qualis ipsa esset lex poenis suis terrens, metumque incutiens. Exodi 20. v. 20. Ministerio autem angeli peractam esse illam legis dationem in monte Sinai cum iam ad Exodi 3. v. 2. demonstratum sit; ex hoc Deuteronomii loco intelligitur praeter illum angelum, qui Dei nomine loquebatur, quando lex dabatur, affuisse tum in monte plura alia Sanctorum millia, angelorum videlicet: ut hoc diserte de angelis verterunt Interpretes Septvaginta. Commemorat vero hoc Moyses, ut benedicturus illis mentem illorum erigeret ad Dei tam illustria beneficia, quibus locupletati ab illo, et nominatim in tribus illis locis deserti essent, quando educti ex Aegypto peregrinati per illud sint.

3. *Dilexit populos, omnes sancti in manu illius sunt, et qui adpropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius.* Dilexit populos, Israe-

liticas videlicet tribus, Dominus autem dilexit illos, de quo continuatur sermo, inchoatus superiore versu. *Omnes sancti in manu illius sunt:* iidem Israelitae sanctorum nomine hic adpellantur. „Tu populus san„ctus Domini Dei tui es" dicebat ad illos etiam supra Moyses capitis 14. v. 21. In manu autem Dei illos esse, significat sub protectione Dei esse. Qualiter etiam Sapientiae 3. v. 1. de Justis est locutus: „Ju„storum animae in manu Dei sunt." Ad magistrorum vero pedes mos erat apud Hebraeos discipulis sedendi, dum doctrinam exciperent. Idcirco S. Paulus quoque Act. 22. v. 3. cum discipulus fuisset Gamalielis, ad illius pedes se dicit eruditum esse in lege. Est ergo sensus: quod qui morigeros se Deo, discipulorum instar praeberent; his Deum minime defuturum in danda illis legis scientia.

4. *Legem praecepit nobis Moyses, haereditatem multitudinis Jacob.* Mutatur modo loquens persona. Nam cum ante Moyses in sua esset persona locutus, nunc istud in persona pronunciavit totius populi. Lex vero vocatur Israelitarum haereditas, quod illa a parentibus continenter, non minori studio, quam ipsa haereditas, tradenda esset posteris. Quamobrem etiam Psaltes „Haereditate, „inquit, acquisivi testimonia tua in aeternum" Psal. 118. v. 3. 5. *Erit apud rectissimum rex congregatis principibus populi cum tribubus Israel.* Rectissimus in Hebraeo dicitur Jeschürun (יְשֻׁרוּן) quod nomen Israelitico populo iam etiam superioris capitis versu 15. tributum fuit, quodque Lati-

nus Interpres ibi vertit: dilectus. Chaldaeus, et Syrus manifeste hic illud verterunt vocabulo Israel: *Erit in Israel rex*. Regis autem nomine vel Moyses intelligitur, qui etsi hoc nomen non gesserit; tamen omne officium, quod ad regem pertineret, expleverit, et de quo sermo antecessit etiam superiore versu; vel certe intelligenda venit lex, de qua itidem facta est mentio superiore versu, a qua regendi essent, et cui subesse deberent. Quod, si Moysem magis placeret intelligere, quod ad rem idem est, tunc enallage, et permutatio erit in verbo quoad tempus: et futurum erit positum pro praesenti, vel praeterito: quamvis in futurum etiam tempus mansurus Moyses erat illorum rex cuius legem etiam illo defuncto habituri essent, et per quam mortuus etiam in illos potestatem exerceret.

6. *Vivat Ruben, et non moriatur, et sit parvus in numero*. Hebraice: *et sit virorum eius numerus*. (וִיהִי מְתָיו מִסְפָּר) Consvetudine autem Hebraea loquendi numerus est positus pro eo, quod parum in numerando est. Nam cuius rei facile numerus initur, id multum esse non solet. Quare etiam illud, quod nos ab Jacobo dictum Latine habemus: nos pauci sumus; istud secundum Hebraeum est: *nos viri numeri sumus* (וַאֲנִי מְתֵי מִסְפָּר) Hoc idem Ruben etiam ab Jacobo sibi praedici audivit, dum ille quoque moriturus suis duodecim filiis benediceret: „Non crescas, dicebat ad eum, quia ad„scendisti cubile patris tui, et maculasti stratum „eius.“ Gen. 49. v. 4. Fuitque reipsa haec Ruben

una ex minimis tribubus, quod cernitur ex duplici populi censu Numerorum capite 1. et 26.

7. *Haec est Judae benedictio: audi Domine vocem Judae, et ad populum suum introduc eum* Hebraice: *facies eum venire:* (תְּבִיאֶנּוּ) *manus eius pugnabunt pro eo, et adiutor illius contra adversarios eius erit.* Bellicositas autem tribus Juda, et futura illius regia dignitas, pro qua Deus oratur, ut ad suum populum perveniat, hoc est, ut acquirat suum populum, cui praesit, et quem regat; hac Moysis precatione designatur. 8. *Levi quoque ait: perfectio tua, et doctrina tua viro sancto tuo, quem probasti in tentatione, et iudicasti ad aquas contradictionis.* Est haec de Levi oratio Moysis itidem directa ad Deum: Perfectio tua, et doctrina tua est pectorale illud gemmeum, quod Deus dedit Aaroni, dum illum summi sacerdotis insignibus exornaret: In Hebraeo sicut ibi, ita isthic quoque sunt vocabula: *Urim*, et *Thummim*, quaeque etiam Exodi 28. v. 30. Latinus Interpres doctrinam, et veritatem vertit. et ubi, quid istis nominibus proprie significatum sit, explicatum est. Itaque vir Dei sanctus, illiusque ministerio consecratus fuit Aaron, quemque Deus et tentavit, et lapsum in tentatione iudicavit ad aquas contradictionis, interdicendo illi ingressum ad terram Chanaan. Numer. 20. v. 12. *Qui dixit* 9. *patri suo, et matri suae: nescio vos; et fratribus suis: ignoro vos: et nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum, et pactum tuum servaverunt.* Post adoratum

vitulum aureum iussu Moysis Levitae nulla habita consideratione propinquitatis, et cognationis interfecerunt viginti, et tria millia illorum, qui adorarunt vitulum. Quod illorum factum etiam tunc Moyses collaudavit: „Consecrastis, inquit, manus ve„stras hodie Domino unusquisque in filio, et fra„tre suo, ut detur vobis benedictio.“ Exod. 32. v. 29. Dum ergo imperium illud Moysis exsecuti fuissent, caedemque patrassent, tum, inquit, custodierunt eloquium tuum, et pactum tuum servaverunt: Est apostrophe ad Deum. Illi, qui adorarunt vitulum, Dei pactum violaverunt transgrediendo illius pacti primam statim legem, ne haberent deos alienos coram Deo; quod vero pactum Levitàe firmaverunt, et servaverunt vindicando facinus, quo illud erat violatum. 10. *Judicia tua o Jacob, et legem tuam o Israel* Hebraice: *Docebunt iudicia tua Jacobum, et legem tuam Israelem* (יוֹרוּ מִשְׁפָּטֶיךָ לְיַעֲקֹב וְתוֹרָתְךָ לְיִשְׂרָאֵל) nimirum hoc Levitarum munus fore dicitur: *ponent thymiama in furore tuo, et holocaustum super altare tuum.* 11. *Benedic Domine fortitudini eius* Hebraice *facultatibus* (proventibus) *eius* (חֵילוֹ) *et opera manuum illius suscipe.* (Chaldaeus: *oblationem manuum illius suscipe.*) *Percute dorsa inimicorum eius, et qui oderunt eum, non consurgant*, postquam videlicet percussi sunt, ne consurgerent: significatque talem illorum prostrationem, ut postquam deiecti sunt, erigere se amplius non possint.

12. *Et Benjamin ait: amantissimus Domini habitabit confidenter in eo:* ipse Benjamin amantissimus Domini vocatur, quique in Deo confidenter habitaturus dicitur: *quasi in thalamo tota die morabitur, et inter humeros illius requiescet.* Chaldaeus, et post eum communiter Interpretes intelligunt hoc de templo Jerosolymis aedificato. Quod cum staret in ea parte urbis, quae ad tribum Benjamin pertinebat, (altera erat in regione tribus Judae) tribus eadem Benjamin laudatur, cui illa olim felicitas obventura sit, ut apud se, et in sua tribu residentem habeat Deum, ipsaque propterea, tanquam in thalamo, et inter Dei humeros secura habitatura sit. Sic vero vertit Chaldaeus hunc totum versum: *Ad Benjamin dixit: dilectus Domini habitabit confidenter: super eum erit protegens eum omnibus diebus, et in terra eius habitabit maiestas Domini.*

13. *Joseph quoque ait: de Benedictione Domini terra eius de pomis caeli, et rore, atque abysso subiacente,* 14. *de pomis fructuum solis ac lunae,* 15. *de vertice antiquorum montium, de pomis collium aeternorum,* 16. *et de frugibus terrae, et de plenitudine eius.* Terram foecunditatis laudibus ornat, quam in possessione sua habitura esset tribus Joseph. Poma caeli eadem sunt, quae poma roris, quae scilicet caelesti rore essent foecundata, et ex abysso subiacente: quo nomine irriguitas soli intelligitur: quaeque poma prius dicta sunt caeli, et roris, postea poma vocantur solis, et lunae.

Nam et solis calore coquuntur, ut ad maturitatem veniant; et noctibus, quarum loco luna, quae noctibus praeest, posita est, rore nocturno vegetantur: iidemque fructus de montibus antiquis, atque de aeternis collibus promittuntur: quod epithetum montibus, atque collibus tribuitur propter maximam illorum stabilitatem, et longissimam aetatem. Id quod iam etiam ad Genesis 49. v. 26. demonstratum est. *Benedictio illius, qui adparuit in rubo, veniat super caput Joseph, et super verticem Nazaraei inter fratres suos.* Illius, qui Moysi, adparuit in Exodi 3. v. 2. benedictio, ut veniat super caput Joseph, precatur, eumdemque Joseph Nazaraeum adpellat, quo nomine illum quoque adpellaverat Jacob, quando illi benedicebat Gen. 49. v. 26. qui inter suos fratres floris instar, et coronae excelleret. Nam *Nazir* Hebraeum vocabulum florem omnino significat, vel coronam, translateque ponitur pro eo, quod est eximium. Quamobrem ipsi etiam, qui se peculiariter consecravissent Deo, istaque pietate essent eximii, et ab aliis distincti, Nazaraei vocabantur. 17. *Quasi primogeniti tauri pulchritudo eius, cornua rhinocerotis cornua illius: in ipsis ventilabis gentes usque ad terminos terrae.* Nec tribus Joseph sola, sed neque omnes aliae coniunctim hoc praestiterint; ut alias gentes ad fines usque mundi dispergerent. Erat tribus Ephraim ex stirpe Joseph post tribum Juda omnibus aliis potentior, et bellicosior, hucque valebat haec Moysis prophetica benedictio de Israelitarum, et inter eos

de tribus Ephraim talibus viribus in bello, cui obsistere nullae aliae possent gentes, sed prius ipsae essent profligandae, et exterminandae ex toto mundo, quam superiores esse possint Israelitis. Et tamen, quod per comparationem tantum est dictum, quantum ad Ephraim, et Israelitas veteris Testamenti, iuxtaque literalem sensum; id absolute vim habuit in illo sensu, quo typus ille ad Israelitas spectabat, qui per promissionem ex fide, non per carnalem propagationem filii sunt Abrahae: et quibus se per Evangelium, hoc est Ecclesiae, subiecit orbis universus, et cuius hostes perituri omnes sunt: ut non tantum hanc de Joseph prophetiam, sed reliquas etiam aliarum tribuum subtiliore sensu pertinere ad Christum et ad Ecclesiam docuerunt S. Augustinus Quaest. 56. in Deut. „Non negligenter, „inquit ille, praetereunda est ista prophetia, ad- „paret quippe ista benedictio ad novum populum „pertinere, quem Dominus Christus sanctificavit," itemque S. Ambrosius in libro de benedictionibus Patriarcharum, nec non Tertullianus in libro contra Judaeos. *Hae sunt multitudines Ephraim, et haec millia Manasse.* Cum benedictio ad Joseph esset directa, ex eo vero prodivissent tribus duae Ephraim et Manasse; id, quod prius communiter erat positum, in specie deinde declaratur pertinere ad utramque illius tribum.

18. *Et Zabulon ait*, tertius semper casus accipi debet, tam hic, quam in aliis tribubus: et Zabuloni ait: illis enim Moyses benedicit, futuraque

praedicit: *Laetare Zabulon in exitu tuo, et Issachar in tabernaculis tuis.* Zabulonis exitus sunt maritima itinera negotiationis gratia, cuius opportunitatem habebat, cum esset sita ad mare. Quamobrem ad Zabulonem sic etiam a Jacobo erat, quando ante mortem suam filiis benedicebat, dictum: „Zabulon in litore maris habitabit, et in statione „navium pertingens usque ad Sidonem." Gen. 49. v. 13. Issachari laetitia in tabernaculis tribuitur, quae postea agriculturam, et negotiationem secuta est, quibus rebus sibi opes pararet, quibus frueretur in tabernaculis. Etiam hic Moysis haec cum illa, quam olim Jacob Issachari benedictionem dedit, consonat. „Vidit requiem, dicebat Jacob be„nedicens ad Issachar, quod esset bona, et terram, „quod optima, et supposuit humerum suum ad por„tandum, factusque est tributis serviens." Gen. 49. v. 15. *Populos 19. vocabunt ad montem, ibi immolabunt victimas iustitiae.* Ex negotiatione harum tribuum cum exteris nationibus proclive erat, ut per mutuam conversationem alienigenae deducerentur plures ad Proselitismum, et consociationem in Religione cum Israelitis. Mons vero iste, in quo immolarent victimas iustitiae, erat mons, in quo stabat postea templum, et per excellentiam vocatur mons, cuius proprium nomen erat Sion. Qualiter etiam David generali nomine montis eumdem illum montem denominavit: „Exaltate Dominum „Deum nostrum, inquit, et adorate in monte san„cto eius" Psal. 98. v. 9. *Qui inundationem ma-*

ris quasi lac sugent, et thesauros absconditos arenarum. Arena est posita pro fundo maris, iste vero rursus pro ipso mari, tanquam pars pro toto. Est vero praeterea hic illa metaphora, quod sicut qui lac sugunt, nutriuntur; ita hae tribus thesauris se expleturae essent ex maritima negotiatione.

20. *Et Gad ait: benedictus in latitudine Gad:* Latitudo hic sumitur pro animi fiducia, cum abest omnis metus, cui contraria est angustia, ut hoc vocabulum usurpatur Latina etiam loquendi consvetudine: istudque plura confirmant exempla: ut Psal. 4. v. 2. „In tribulatione dilatasti mihi" et Psal. 118. v. 32. „Viam mandatorum tuorum cucurri, „cum dilatasti cor meum." *Quasi leo requievit, cepitque brachium, et verticem.* Quies instar leonis ad eamdem illius metus omnis expertem confidentiam pertinet: cuius vero brachium adversarius adprehendit, et verticem; iste iam superatus ab illo intelligitur esse. Libro 1. Paral. 5. v. 18. bellicositatis istius tribus contra Agarenos, et plures confoederatos populos notabile est exemplum.

21. *Et vidit principatum suum, quod in parte sua doctor esset repositus, qui fuit cum principibus populi, et fecit iustitias Domini, et iudicium suum cum Israel.* Obscurus non mediocriter, atque implicitus est istius loci sensus, in quo explicando se Interpretes satis torquent. Chaldaeus, quem pars Interpretum sequitur, per doctorem istum, qui in tribus Gad parte repositus hic dicitur, intellexit

Moysem, tanquam qui sepultus sit in eadem Gad tribu, et unde haec tribus istam gloriam, quae hic praedicetur, sepulti apud se Moysis consecuta sit. Non est autem certum montem Nebo, ubi Moyses mortuus est (sequentis capitis versu 1.) fuisse in tribu Gad: quin potius fuisse videtur in tribu Ruben, quae inferiorem partem regionis, ubi ex adverso trans Jordanem erat Jericho, et ubi iuxta S. Hieronymum in libro de Locis Hebraicis Nebo erat mons, possederat; neque vero etiam verisimile est Moysem voluisse sibi laudem ex sua sepultura quaerere, cuius sepulchrum ignotum esse voluit Deus. Septvaginta Interpretes istum locum sic verterunt: καὶ εἶδεν απαρχὴν αὐτοῦ, ὅτι ἐκεῖ ἐμερίσθη γη ἀρχόντων συνηγμένων ἅμα ἀρχηγοῖς λαῶν: *Et vidit primitias suas, quia ibi divisa est terra principum congregatorum cum ducibus populorum:* atque adeo hoc tantum intellexerunt, quod haec tribus una fuerit, quae inter primas possessionem adiverunt regionis sibi promissae. Est autem textus Hebraeus ita: *Et vidit primitias sibi, quia ibi portione legislatoris contectus est, et venit cum principibus populi.* (וַיַּרְא רֵאשִׁית לוֹ כִּי־שָׁם חֶלְקַת מְחֹקֵק סָפוּן וַיֵּתֵא רָאשֵׁי עָם) Ad verbum rem verti, nisi quod in fine praepositionem *cum* aperte posuerim, cuius ellipsis est in Hebraeo: sicut hoc idem etiam Septvaginta fecerunt, similiterque praepositionem explicite posuerunt. Nam esse debere in Hebraeo praepositionem vel inde agnoscitur, quod secus verbum non bene concordaret cum nomine: quod

pluralis est numeri, cum e contrario verbum sit in numero singulari. Reliqua pars istius versus in Hebraeo nihil diversitatis habet a versione Latina. Ex quo iam iste deducitur, aptusque omnimode prodit sensus: *Gad*, nam de illo est sermo, *vidit sibi collatas primitias Israeliticae possessionis, quia portione legislatoris contectus est.* Hoc est, accepit portionem, quam ei legislator dedit, scilicet Moyses: (id factum narratur Numer. 32. capite) ubi in regione, trans Jordanem sita, tribubus Gad, Ruben, et dimidiae Manasse Moyses fundos ad habitandum concessit, antequam ad possessiones suas aliae tribus pervenissent; illa conditione, ut ipsi etiam armati una cum reliquis tribubus deinde irent, illasque adiuvarent in Chananaea occupanda, atque hoc est, quod in Gado a Moyse laudatur, utique prophetico spiritu: *et venit cum principibus populi*, nimirum cum reliquarum tribuum principibus, quando transibant Jordanem ad occupandam Chananaeam, *et fecit iustitias Domini, et iudicium suum cum Israel:* stetit videlicet promissis. Nam Josue 4. v. 12. viri de tribu Gad armati praecesserunt ad illam expeditionem reliquas tribus: quam Dei iustitiam, et iudicium cum Israel Moyses adpellat: in qua illorum actione aequitas ipsorum fuerit, quam praestiterint et erga Deum, cuius nomine sub illa conditione Moyses ipsis possessionem concesserit, et erga populum Israeliticum, quem, exsolvendo suum promissum, minime fefellerint.

22. *Dan*

22. *Dan quoque ait: Dan catulus leonis, fluet largiter de Basan* Hebraice: *Prosiliet ex Basan* (יזנק מן־הבשן) non quasi ibi sedem, et domicilium habuisset, erat enim haec regio Basan trans, Dan autem tribus cis Jordanem habitavit; sed tantum ferocia illius in praeliis notatur, comparatione instituta cum tauris Basaniticis, qui admodum feroces erant, cumque impetu prosilientibus: ob quam causam etiam catulo leonis fuit idem Dan comparatus. 23. *Et Nephthali dixit: Nephthali abundantia perfruetur, et plenus erit benedictionibus Domini: mare, et meridiem possidebit.* Mare, quando in Scriptura absque aliqua determinatione ponitur, significat mare Mediterraneum, quo latus Occidentale Palaestinae clauditur. Non contigit autem haec tribus mare Mediterraneum, sed potius ad mare Tiberiadis, seu lacum Genesareth spectabat, (nam Hebraei lacus etiam maria nominant sua consvetudine loquendi) a quo lacu latus ipsius meridionale cingebatur. Ex hoc igitur adiuncto meridiei, quam haec tribus pronunciatur possessura, ipsum etiam mare determinatur non esse illud generale, sed hoc, quod ad meridiem esset relate ad hanc tribum Nephthali.

24. *Aser quoque ait: benedictus in filiis Aser, sit placens fratribus suis, et tingat in oleo pedem suum.* Erat enim regio illius olei feracissima, ut tradit Josephus de Bel. Jud. l. 2. c. 22. *Ferrum,* 25. *et aes calceamentum eius: sicut dies iuventutis tuae, ita et senectus tua.* Haec pars alte-

ra ad anteriorem etiam partem istius versiculi lumen praebet, quomodo ferrum, et aes calceamentum illius accipiendum sit: pro firmitate nimirum in stando, sive propter vires in bello, sive etiam propter ubertatem rerum. Nam, sicut ex penuria, et defectu infirmitas; ita e contrario robur, et standi firmitas, qua illi carent, quibus afflicta valetudo est, a victus satietate repetitur. Hic vero finiuntur Moysis benedictiones propriae, et singulares cuilibet tribui. Nam reliqua illius oratio, qua adhuc benedicit, iam pertinet ad omnes coniunctim tribus.

Est vero hic illud animadvertendum ex benedictione, quam modo Moyses singulis tribubus tribuit, esse unam tribum Simeon omissam. In quibusdam Versionis Septvaginta editionibus, ut in Complutensi, et Stephani Roberti, in versiculo huius capitis sexto pro hoc, quod nos Latine habemus: *Et sit parvus in numero*, referturque ad Rubenum est sic, ut quasi de Simeone ibi sit facta etiam mentio, eique data a Moyse benedictio: *Et Simeon sit multus in numero.* At hoc, tanquam adscititium, repudiatur a plerisque. Nam refellitur non tantum aliarum versionum omnium auctoritate, atque ipsius etiam Hebraei Codicis; sed etiam Septvaginta Interpretum aliis editionibus, in quibus de Simeone nihil est. Et facile ratio perspicitur, quonam modo res illa irrepserit, librariorum videlicet praepostera diligentia, conatuque supplendi, quod cum observarent deesse, putarent excidisse. Varii autem varias causas excogitant, quare Simeonem

Moyses praetermiserit. Volunt contineri Simeonis benedictionem in ea, quam Moyses Judae dedit, vel Levi. Sed sine aliqua probabilitate: et nihilominus manet quaestio, cur, si ibi contineretur, non eam manifeste posuit, sicut posuit benedictiones, quas dedit aliis tribubus? Illa verisimillima videtur esse ratio, quaeque placet Interpretibus plerisque, quod hoc a Moyse factum sit propter recentem memoriam turpissimi flagitii, quod Zambri princeps in tribu Simeon perpetravit cum scorto Madianitide Num. 25. v. 14. et quod haec tribus omnium maxime prolapsa sit in peccata adversus Deum, propter quae Deus illos in deserto punivit, ut quando adoraverunt vitulum aureum, vel quando initiati sunt Beelphegor, aliisque casibus, in quibus Deus propter admissum facinus stragem inter illos edidit. Et fundatur haec ratio in eo, quod haec tribus spatio illo, quo erant in deserto, valde imminuta sit, ita ut cum in numeratione prima, quae Numerorum capite 1. facta esse legitur, numerus eorum ex tribu Simeon, qui ad bellum essent idonei, fuerit quinquaginta novem millium, et trecentorum, deinde in altera numeratione, quae Num. cap. 26. facta est, eorumdem ad bella aptorum ex tribu Simeon tantum reperta sint millia duo et viginti: nec in ulla alia tribu tantum decrementum acciderit, quarum aliae plures interea etiam auctae sint, et creverint. Habuit tamen et haec tribus benedictionem, verum non sibi singulariter datam, sed quam Moyses pronunciavit communiter ad omnes tribus, totamque

multitudinem populi, in qua utique et haec tribus Simeon comprehendebatur, quaeque benedictio coniunctim toti populo data modo sequitur.

26. *Non est deus alius, ut Deus rectissimi:* hoc nomine rectissimi, Israelem designari iam supra ad versum 5. demonstratum est: *Adscensor caeli:* Hebraice: *qui vehitur super caelum* (רֹכֵב שָׁמַיִם) *auxiliator tuus. Magnificentia eius discurrunt nubes:* Hebraice: *Et in magnificentia illius nubes* (וּבְגַאֲוָתוֹ שְׁחָקִים) quibus nimirum nubibus caelum, ubi Deus vehitur, magnifice vestitum sit. 27. *Habitaculum eius sursum, et subter brachia sempiterna:* hoc est Dei habitaculum esse quidem sursum, nempe in caelo; illius tamen brachia esse subter, hoc est deorsum protensa, quibus nimirum protegeret, et ad auxilium esset Israelitis: eademque brachia sempiterna adpellantur, quod haec Dei providentia erga Israelitas sit futura perpetua.

Eiiciet a facie tua inimicum, dicetque: conterere. 28. *Habitabit Israel confidenter, et solus:* Habitare aliquem solitarie, ponitur pro summa securitate habitationis, ubi si etiam solus sit, nullus tamen metus illum terreat: id, quod iam ad Num. 23. v. 9. etiam explicatum est. *Oculus Jacob in terra frumenti, et vini, caelique caligabunt rore.* Pro oculo in Hebraeo vocabulum est *Ajin* (עַיִן) quod tam oculum, quam etiam fontem significat. Utrovis autem modo sensus aptus prodit. Nam, si oculus intelligatur, tum sensus erit quocumque Jacob, et Israeliticus populus oculum haberet versum; fu-

turam ibi terram affluentem frumento, et vino. Quod si autem pro fonte sumatur, tum fons Jacob significat stirpem, et progeniem Jacobi: quomodo hoc fontis vocabulum solet etiam alibi usurpari in Scriptura ut Psal. 67. v. 27. „In ecclesiis bene„dicite Deo Domino de fontibus Israel“ hoc est vos, qui estis de stirpe Israel, ita, ut fons sit positus pro eo, unde aliquis originem duxit: nec a nostro more loquendi alienum est, sic vocabulum fontis metaphorice sumere, sicque rursus hoc de oculo Jacob huic aequivalebit: stirps, et genus Jacob erit in terra frumenti, et vini: copiaque roris ei promissa est. Is enim plurimum conducit ad vegetationem plantarum, et in illis praesertim regionibus Orientis necessarius plane est, quod rarae admodum sint pluviae, et calor tamen intensus. Quare, nisi nocturno rore plantae recreentur, est illis pereundum. Quamobrem Deus etiam providit, ut in illis regionibus multo maior, quam apud nos copia roris esse soleat.

29. *Beatus es tu Israel! Quis similis tui, qui salvaris in Domino?* id est per Dominum: nam *in* loco praepositionis *per* solere in Scriptura poni, valde frequens est: *scutum auxilii tui, et gladius gloriae tuae:* nimirum ipse Deus est scutum tui auxilii, quo te protegat, et gladius gloriae tuae, quo tibi victorias, et gloriam de hostibus tribuat. *Negabunt te inimici tui, et tu eorum colla calcabis.* Pro *negabunt* in Hebraeo est *mentientur.* (יִכָּחֲשׁוּ) Est autem idiotismus lingvae Hebraeae,

mentirique inimicos, significat illos esse subiectos ei, cui mentiuntur. Est hic loquendi mos inde deductus, quod hostes subacti, dum deditionem faciunt, et se profitentur fore subiectos, non sincere soleant hoc, et ex animo dicere: quin potius in mente habeant, excutere iugum, seque in libertatem asserere, tantum occasionem habeant. Qualiter etiam in Psal. 65. v. 3. est: „In multitudine virtutis tuae mentientur tibi inimici tui.“

CAPUT XXXIV.

Mors, et sepultura Moysis. Josue succedit ei in officio.

1. *ADSCENDIT ergo Moyses de campestribus Moab super montem Nebo in verticem Phasga contra Jericho:* cui nimirum e regione, et ex contraria parte esset Jericho: *ostenditque ei Dominus omnem terram Galaad usque Dan.* Galaad erat, ut tum Israelitarum castra erant posita, cis Jordanem, Dan terminus erat Palaestinae versus Septemtrionem, 2. *et universum Nephthali, terramque Ephraim, et Manasse, et omnem terram Juda usque ad mare novissimum:* Hebraice: *usque ad mare Occidentale* (עַד הַיָּם הָאַחֲרוֹן) estque hoc idem, quod Mediterraneum quo terminatur Palaestina per totum illius latus ab Occidente. Hebraicum quidem vocabulum, quod *Occidentale* a me versum est *Acharon* significat in genere id, quod altero posterius est, sed quia aliquid occidens natura posterius

est Oriente, ideo pro plaga etiam Occidentis idem vocabulum ab Hebraeis sumptum est: 3. *et Australem partem, et latitudinem campi Jericho civitatis palmarum usque Segor.* Isto nomine civitatis palmarum Jericho fuit cognominata propter multitudinem ibi istius generis arborum 2. Par. 28. v. 15. ut de causa istius adpellationis etiam Josephus l. 4 Ant. cap. 5. et de Bello l. 5. c. 4. testis est. Segor autem civitas sita fuit ad lacum Asphaltidis, quo se Loth primum voluit recipere, quando igne de caelo cadente peritura erat Sodoma.

4. *Dixitque Dominus ad eum: haec est terra, pro qua iuravi Abraham, Isaac, et Jacob dicens: semini tuo dabo eam. Vidisti eam oculis tuis, et non transibis ad illam.* 5. *Mortuusque est ibi Moyses servus Domini in terra Moab iubente Domino,* 6. *et sepelivit eum in valle terrae Moab contra Phogor, et non cognovit homo sepulchrum eius usque in praesentem diem.* Moysem esse sepultum in alterutra tribu Gad, vel Ruben ad superioris capitis versum 21. propositum est. Nec ex terra Moab aliquid possidendum datum est Israelitis Deut. cap. 2. v. 9. Quare hanc terram, esse Moab terram dictam, non quod etiam tum teneretur ab illis, sed quod ante tantum in illorum ditione fuerit, iam dictum est Numer. 22. v. 1. Phogor erat nomen unius verticis in illo monte Nebo, qui etiam Abarim aliter dictus est, ut est capitis 32. v. 49. et unde idolum Moabitarum Beelphegor, quod significat dominum Phogor, illius videlicet montis

dominum, denominationem accepit. S. Hilarius in Matth. cap. 20. S. Ambrosius lib. de Abel et Cain cap. 2. et S. Hieronymus in Amos cap. 4. obscurius de morte Moysis loquuntur, et quasi viderentur sensisse, eum sine morte eo modo, quo Henoch, esse hinc a Deo sublatum. At vero S. Hilarius in Matth. cap. 17. clarius se explicat, mortuumque recognoscit; S. Ambrosius autem sententiam tantum Philonis pro genio suo plurima ad allegoriam trahentis proposuit; S. vero Hieronymus de tali illius adscensu tantum in caelum, quae fit mente, et elevando cogitationem, atque affectum ad Deum, esse locutum, ex eo perspicitur, quod sicut ibi Moysem et Henochum dicit adscendisse; ita hoc ab aliis sanctis dicat etiam fieri quotidie. Moysis autem obitus evidentius proponitur in Scriptura, cui et antea Deus poenam moriendi dictavit, quam in terram Israelitis promissam intraret, et qui tam isto, quam iterum sequentis libri cap. 1. v. 2. tam aperte, dicitur mortuus, quam ut fas sit illum in dubium vocare.

De Moysis vero cadavere auctor est S. Judas Apostolus in epistola sua Canonica v. 9. Michaeli archangelo fuisse altercationem cum diabolo: Communis Interpretum sententia fert conatum fuisse diabolum, ne sepulchrum Moysis fieret occultum, quod inde speraret occasionem, qua Israelitae inducerentur ad superstitiose colendum illud sepulchrum. Michaelem autem obstitisse isti illius conatui. Atque hoc tanto proclivius est cogitare factu-

ros fuisse erga Moysem, qui serpentem aeneum, quod adspectu illius curati essent a plaga, Divinis honoribus etiam affecerint postea 4. Reg. 18. v. 4. Non erat autem aliqua adhuc mora, quando hoc nunc scribebatur de morte, et sepulchro Moysis, ut notabile videatur ignotum mansisse illius sepulchrum usque ad tempus illud, sed esse hunc tantum idiotismum lingvae Hebraeae, quae ratio loquendi non notet semper praeteritum iam aliquod tempus longius, sed solummodo explicet, quid tum sit, quando hoc dicitur, demonstratum iam est supra ad capitis 3. v. 14.

7. *Moyses centum, et viginti annorum erat, quando mortuus est: non caligavit oculus eius, nec dentes illius moti sunt:* loco huius alterius de dentibus Hebraice est: *Et non fugit viror eius* (וְלֹא־נָס לֵחֹה): vegetus nimirum, et vividus corporis status illi permansit, donec moreretur. 8. *Fleveruntque eum filii Israel in campestribus Moab triginta diebus: et completi sunt dies planctus lugentium Moysen.* 9. *Josue vero filius Nun repletus est Spiritu sapientiae, quia Moyses posuit super eum manus suas. Et obedierunt ei filii Israel, feceruntque, sicut praecepit Dominus Moysi.* 10. *Et non surrexit ultra propheta in Israel sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad faciem* 11. *in omnibus signis, atque portentis, quae misit per eum, ut faceret in terra Aegypti Pharaoni, et omnibus servis eius, universaeque terrae illius,* 12. *et cunctam manum robustam, magnaque mirabilia, quae*

fecit Moyses coram universo Israel. Haec, quae duobus extremis versibus ponuntur, explicant; in quonam magnitudo Moysis constiterit, in qua prophetas omnes alios antecesserit. Nam Moyse in prophetico munere superiorem fuisse Joannem Christi Praecursorem Christus ipse testatus est: „Maior, „inquiens, inter natos mulierum propheta Joanne „Baptista nemo est" quemque plus diceret esse, quam prophetam. Luc. 7. v. 28. Nam cum prophetarum omnis dignitas a Christo, erga quem munus suum gesserunt, repetenda sit; quem ceteri prophetae, et ipse Moyses eminus tantum, viderunt venturum, et praenunciaverunt; hunc praesentem Joannes digito demonstravit. Illud vero de Moyse, quod illum Dominus noverit facie ad faciem, pertinet ad familiaritatem, qua Deus solebat agere cum Moyse. Nec ille, dum in mortali hoc corpore esset, Deum in Divina forma unquam vidit, cui Deus, cum hoc peteret, respondit: „Non poteris „videre faciem meam." Exod. 33. v. 20. Nec tamen etiam in hac familiari, et quotidiana consvetudine agendi cum Deo Moyses aliud fuit, quam Dei fidelis famulus in tota illius domo: Hebr. 3. v. 5. cum Joannes se amicum etiam dixerit esse Sponsi. Joan. 3. v. 29.

Quae sub finem huius capitis narrantur, quoniam illa iam acciderunt post mortem Moysis; censuit Philo l. 3. de vita Moysis, et Josephus Ant. l. 4. c. 9. atque etiam Origenes l. 2. contra Celsum praevie etiam ab ipso Moyse, antequam morere-

tur, sed prophetico spiritu esse literis mandata. Huetius Demonstrationis Evangelicae Tom. 1. Prop. 4. num. 6. ab Esdra istam huius libri additionem repetiit: idemque in aliis Scripturae, ubi tales additiones existunt, quando post captivitatem ad Canonem illos composuit, formamque literarum mutavit, libris idem illum fecisse asseruit. Potuit autem etiam hoc fieri ab eo, qui sequentem Josue librum scripsit, qui continuaturus historiam de rebus postea gestis, hoc ipsum de obitu, et sepultura Moysis posuerit, ne quid integritati deesset narrationis; hocque tamquam ad Moysem pertinens sive ipse ad calcem Moysis ultimi libri adposuit; sive postea, cum ipse in principio illud sui libri posuisset, ab alio hoc eo transpositum est. De auctore autem sequentis Josue libri, quoniam de hoc disputatur, in praefatione illius quaestio haec tractabitur.

TABELLA

Exhibens annorum rationem ab obitu Joseph, fineque Geneseos usque ad mortem Moysis, et ad finem Deuteronomii, annumque Mundi 2553.

SPATIVM, quo Israelitae fuerunt in Aegypto, cum fuerit annorum 215. ut hoc ad Exod. 12. v. 41. demonstratum est, ex his vero anni 71, ad quod tempus in Aegypto vixit Joseph, (vide Tab. I. post Gen.) pertineant ad librum Geneseos; si hi anni 71 subtrahantur ab annis 215, sequitur ad Exitum Israelitarum ex Aegypto duce Moyse annos fuisse 144. Quoniam autem Moyses 80 annorum fuit, quando eduxit Israeliticum populum ex Aegypto Exod. 7. v. 7. si hi subtrahantur ab annis 144, reperitur annis 64 post Joseph mortuum, Moysem esse natum. Duravit autem peregrinatio per desertum 40 annos: et tum in fine Deuteronomii Moyses mortuus est. Quibus positis, et praemissis plana fit ratio annorum in Tabella.

	Annus Mundi
Joseph obiit in fine Geneseos - - - -	2369
Moyses natus est 64 annis post - - - -	2433
Exitus Israelitarum ex Aegypto anno 80 aetatis Moysis - - - - - - - -	2513
Ab exitu ex Aegypto usque ad mortem Moysis et introitum in Chanaan anni 40. - - - - - - - - - -	2553

LIBER JOSVE.

PRAEFATIO.

Finito Pentateucho liber succedit, qui inscribitur Josue, cuiusque res gestas continet, postquam Moysi in officio ducis successisset, atque Israeliticum populum in Chananaeam perduxisset, regionemque debellatis pristinis illius incolis ei tradidisset. Complectitur totus liber spatium temporis, quod ab obitu Moysis intercessit ad mortem usque Josue, eratque annorum septemdecim. Quae annorum ratio demonstrabitur ad sequentis libri Judicum cap. 3. versum 11. Cum ergo Moyses mortuus sit anno M. 2553. historia istius libri perducitur ad annum M. 2570. quo Josue vita functus est.

Hebraei cum quinque Moysis libros nomine Legis adpellent, tum deinceps, quoad hunc, et sequentes libros talem denominandi rationem sequuntur. Nam hunc Josue, deinde Judicum, et quatuor libros Regum, nomine anteriorum Prophetarum vocant: Isaias autem, Jeremias, Ezechiel, et duodecim minores Prophetae posteriores illis Prophetae dicuntur. Reliquos autem omnes sacrae Scripturae libros Hagiographos vocant, quod significat sacros libros.

Quod iam ad auctorem huius libri Josue attinet, cum illud semper gravissimi instar, et indu-

bitati argumenti habitum sit, esse illius librum, cuius is nomen semper gessit, atque ius huius praescriptionis liber iste omnino habeat, quem Hebraei numquam non Josue nomine compellaverint, istaque nomenclatione auctorem illius professi sint: tamen hoc de Josua, auctorem illum huius libri esse, contrariis multorum opinionibus oppugnatur, atque in dubium vocatur, quorum aliis Eleazarum pontificem, aliis Samuelem, aliis Isaiam, aliis denique Esdram magis placet istius libri fuisse Scriptorem. Auctor Synopseos, qui nomine Athanasii inscribitur, neque enim Criticorum iudicio verus ille istius opusculi auctor est, librum hunc abiudicat Josuae, quin tamen dicat, quem illius habeat auctorem. Theodoretus censet esse excerptum ex libro Justorum, qui hic in libro Josue memoratur capitis 10. v. 13. Andreas autem Masius vult ab Esdra ex Hebraeorum Annalibus esse illum confectum. Ac istorum quidem opiniones tales sunt, ut nihil adhuc illius antiquitati, ut scriptus sit liber, quo tempore vixit Josue, derogatum velint. At sunt alii, ut Hugo Grotius, Isaac Pererius auctor systematis Praeadamitarum, deinde Hobbesius, et Spinoza, qui illius aetatem de industria deprimunt, nec eo tempore, quo Josue vixit, esse confectum, sed multo serius contendunt.

Sunt hae ipsorum rationes, quod Josue 10. v. 13. testimonium citetur ex quodam Justorum libro, quo proinde hunc Josue debere esse posteriorem inferunt, quod in illo istud de Josue, quando solem

lem stitit, factum contineatur. Altera deinde ipsorum ratio est, quod capitis 4. versu 9. et alibi etiam saepius Scriptor huius Josue libri ista phrasi utatur: *usque in praesentem diem:* neque vero hoc illis videatur quadrare in eum, qui rem modo gestam, sed iam multo ante scribat. Tertio fieri mentionem capitis 19. v. 27. terrae Chabul: at vero istud nomen illi loco esse tantum inditum ab Hiram rege Tyri 3. Reg. 9. v. 19. qui cum Salomone eodem tempore vixit. Quarto scribi hic capitis 19. v. 47. quod tribus Dan fecerit expeditionem adversus civitatem Lesem. Quae vero res iuxta librum Judicum capite 18. v. 29. tantum post mortem Josue facta sit. Quinto, quod rursus capitis 16. v. 10. dicatur ab Ephraimitis non esse deletos Chananaeos Gazeritanos, sed tantum vectigales factos. Quod rursus, quoniam idem referat Auctor libri Judicum cap. 1. v. 29. sit serius factum. Sexto, quod capite 22. in consurrectione omnium aliarum tribuum adversus Ruben, Gad, et dimidiam tribum Manasse propter erectum ab istis altare nulla fiat mentio Josue, nec vero ipsis habeatur verisimile in tali negotio non intervenisse illius auctoritatem, cum totius populi dux fuerit. Quare inferunt non sub Josue, sed tardius istud accidisse, quod hic narratur de isto altari, praeparationeque ad bellum, ipsumque proinde librum non sub Josue potuisse, sed tardius debuisse scribi.

Haec sunt argumenta potissima adversus Josue non fuisse illum scriptorem istius libri. Ad quae ego

hic nunc non respondeo, quod cum loca haec, unde argumenta petuntur, ad explanandum venerint, refutatio illorum argumentorum ibi et commodius instituenda sit, et intelligatur melius. Hic enim esset necesse quaedam longius petere ad explicandum, quae ibi habent suam naturalem sedem. Esse vero Josue libri huius scriptorem ex ipso hoc libro non obscure potest intelligi. Sic enim est infra cap. 24. v. 26. *Scripsit quoque Josue omnia verba haec in volumine legis Domini.* Nam ubi ista, si non in hoc libro, sunt haec alibi uspiam a Josue scripta? Conatur istud quidem etiam ad suum sensum detorquere Philosophus theologopoliticus, sed quam frivole, et ieiune, ibi ostendetur. Argumentum libri est totum historicum, si quaedam pauca, maxime in fine illius, paraenetica, et exhortatoria ad observantiam erga Deum, eiusque legem excipiantur.

SYNOPSIS.

Cap. I. Jubet Deus Josuam transducere populum per Jordanem. Confirmat ipsum, et securum facit de suo auxilio, atque praesidio. Profectionem indicit Josue: et Rubenitas, Gaditas, Manasseosque, sui officii, uti armati una cum reliquis ad expeditionem irent, admonet. *Cap.* 2. Mittuntur ab Josue duo exploratores, quos Rahab meretrix Jerichunte hospitio exceptos tegit, ne interficiantur: ab illis deinde mulier iuratam fidem accipit de sua, parentumque ac totius domus, ubi Jerichuntem in suam potestatem Israelitae redegissent, conservatione: Quare elusis iis, qui comprehendendi causa insecuti ipsos erant, post tertium diem ad Josue in castra redeunt. *Cap.* 3. Sacerdotibus portantibus arcam, agmenque praeeuntibus, ubi hi suis pedibus contingere coeperunt fluvium Jordanem, scinduntur aquae in duas partes, ac superiores quidem muri instar accumulantur; inferiores autem decurrunt, vacuumque relinquunt fluminis alveum; traducitur siccis vestigiis tota populi multitudo. *Cap.* 4. Ex siccati fluminis fundo tolluntur duodecim lapides, qui in Galgalis, ubi eadem die posituri erant castra, monumenti loco ad memoriam istius prodigii constituuntur. In istorum vero locum illati ad flumen sunt alii duodecim. *Cap.* 5. In Galgalis fit illorum circumcisio, qui post exitum ex Aegypto

in deserto nati circumcisi nondum erant. Celebratur Pascha. Deficit manna, cum ex agris frumentum illis suppetere coepisset. Josue in agro sibi adparentem habet angelum. *Cap.* 6. Urbem Jericho Israelitae circumeunt per septem continuos dies, ferentes arcam, et tubis clangentes: idque cum per sex priores dies fecissent quotidie semel, septima vero die septies, atque in circuitione ultima clamorem etiam sustulissent; ruerunt sponte urbis moenia. Urbs tota anathemati devovetur. Servatur Rahab. *Cap.* 7. Achan violat anathema, et quaedam surripit ex spoliis urbis. Eam ob rem manus Israelitarum missa ad expugnandam civitatem Hai vincitur, et fugatur. Facinore deprehenso Achan una cum suis omnibus supplicio perimitur. *Cap.* 8. Josue educit totum exercitum adversum civitatem Hai, positisque praevie a tergo insidiis, cum reliqui urbem essent adgressi, et fugam postea simulavissent, hostesque, qui illos insecuti erant, longius ab urbe deduxissent; illique, qui in insidiis erant, urbem incendissent, Haienses circumventi interfecti sunt. Rex illorum in patibulo suspenditur. Praeda tota cedit militibus. Qua re gesta benedictiones, et maledictiones, de quibus Moyses praeceptum dederat, in monte Hebal peraguntur. *Cap.* 9. Gabaonitae simulata itineris longinquitate pacem obtinent ab Israelitis. Fraude comperta ad caedenda ligna eos damnat Josue, et ad comportandas aquas sacerdotibus. *Cap.* 10. Rex Jerusalem confoederatur cum aliis quatuor regibus, pugnareque instituit adversus Gabaonitas. Josue ab his in auxilium vocatus praelio hostes superat, et profligat: in hostes fugientes Deus e caelo demittit lapides. Dumque illos Josue persequitur, ad illius imperium sol consistit, et quantum unius diei spatium est, diem illam longiorem efficit. Quinque reges cum se in fuga ad speluncam abdidissent, inde praelio confecto educuntur, atque calcatis ipsorum collis

ab Israelitarum principibus ad patibula suspenduntur. Consimili successu plures civitates Josue expugnat, et in suam potestatem redigit deletis ubique internecione incolis. *Cap.* 11. Cum iterum Jabin rex Azor cum pluribus aliis regibus se confoederasset adversus Israelitas; hunc quoque cum omnibus, qui se illi consociaverant, devincit, universosque interficit. *Cap.* 12. Unus, et triginta reges recensentur, quos in Chananaea superarunt Israelitae. *Cap.* 13. Josue, accepto mandato a Deo, terram sorte distribuit Israelitis. Describuntur termini illarum tribuum, quae iam sub Moyse possessionem suam adiverunt in ulteriore parte Jordanis. *Cap.* 14. Caleb montem Hebron sibi postulat tradi, eumque ab Josue impetrat. *Cap.* 15. Toti etiam tribui Juda regio adsignatur. Caleb Enacos de stirpe gigantum delet; filiam suam Axam Othonieli collocat in matrimonium. *Cap.* 16. Tribui Ephraim regio ad habitandum datur, illiusque termini describuntur. *Cap.* 17. Etiam ea pars tribus Manasse, quae adhuc carebat possessione, hanc sortiendo accipit, atque filiabus Salphaad sua quoque attribuitur portio. Haec pars istius tribus Manasse cum tribu Ephraim latiores sibi petit fundos ab Josua propter tribuum suarum amplitudinem. Quibus ille praecipit, ut ipsi sibi terminos suos dilatarent exstirpando silvas in montibus, indeque Chananaeos pellendo. *Cap.* 18. 19. In Silo collocatur Dei tabernaculum, et arca. Chananaeae pars dividitur inter reliquas septem tribus. *Cap.* 20. Constituuntur civitates ad perfugium. *Cap.* 21. Quadraginta, et octo civitates designantur, et Levitis traduntur cum suis suburbanis fundis ad habitandum. *Cap.* 22. Rubenitae, Gaditae, et ultra Jordanem habitantes Manassei remittuntur domum ab Josua. Illi ad Jordanem ingens altare terreum erigunt. Armantur ob id factum reliquae tribus adversum eos. Illi declarant se hoc altare non struxisse superstitionis alicuius gra-

tia, sed tantum ob monumentum, in Religione sibi ius idem, et societatem esse cum ceteris tribubus, quamvis Jordane ab iis essent disiuncti. Eorum excusationem acceptant aliae tribus, factumque probant. *Cap.* 23. Josue aetate confectus, et moriturus convocatum ad se populum hortatur ad observandam legem. *Cap.* 24. Cum evocasset iterum universas tribus ad Sichem urbem, exponit illis Dei nomine beneficia Dei, ducto exordio ab Abrahamo usque ad tempus, quod tum erat: dat illis optionem serviendi vel Deo, vel falsis Amorrhaeorum numinibus. Illis respondentibus, et adseverantibus Deo se esse servituros, renovat cum iis foedus de Deo colendo, in eiusque rei monumentum ingentem lapidem erigit. Moritur Josue, nec non Eleazar summus sacerdos. Ossa Joseph, quae secum Israelitae ex Aegypto attulerant, sepulturae mandantur.

CAPVT I.

Dus de suo praesidio securum facit Josuam, tum ille profectionem indicit in tertiam diem.

1. *Et factum est post mortem Moysi servi Domini, ut loqueretur Dominus ad Josue filium Nun ministrum Moysi, et diceret ei.* Sic per particulam sermonis copulativam incipit hic liber, quasi continuatio sit rei, quae narratur, non illius inchoatio: quod quidem bene cohaeret cum eo, quod in fine superioris libri dictum est: ea quae ibi narrantur de Moyse post illius iam obitum, esse scripta ab Josua, indeque illius initium proprie sumendum esse, atque hanc proinde esse solam rei iam coeptae continuationem. Et quoniam Josue erat propositum res a Moyse scriptas, atque ad illud tempus perductas continuare, non est hoc alienum a more loquendi, etiamsi novus alterius Scriptoris liber continuationis formam ratione argumenti in principio suae narrationis habeat. Proprie autem loquendo nihil nisi idiotismus iste lingvae Hebraeae est per copulativam particulam alias, quamque Hebraei litera *Vau* exprimunt, sed quae non solum copulandi, verum plura etiam alia, et diversa officia in oratione habet, sermonem, dum aliqua narratio instituitur, inchoare. Qualiter Baruch, Ezechiel, Jonas libros etiam suos inchoarunt.

Dicebat autem Deus nunc ad Josue: 2. *Moyses servus meus mortuus est. Surge, et transi Jordanem istum tu, et omnis populus tecum in terram, quam ego dabo filiis Israel.* 3. *Omnem locum, quem calcaverit vestigium pedis vestri, vobis tradam, sicut locutus sum Moysi.* 4. *A deserto, et Libano usque ad fluvium magnum Euphratem omnis terra Hethaeorum usque ad mare magnum contra solis occasum erit terminus vester.* Termini usque ad Euphratem regioni Islaelitarum latiores illi hic adsignantur, qui tantum sub conditione promissi illis fuerant: qua de re iam dictum est ad Genesis 15. v. 18. Et quamvis David populos ad fluvium Euphratem tributarios sibi fecerit 2. Reg. 15. v. 18. ipsi tamen Israelitae habitationem suam eo usque ad Euphratem numquam extenderunt, quod conditionem illam de Divinarum legum observantia non servaverint. Desertum vero, quod hic memoratur, est desertum Arabiae Petraeae ex meridionali parte Chananaeae. Mare magnum contra, sive, quod idem est, versus solis occasum, est mare Mediterraneum. Mons Libanus est ad Septemtrionem Chananaeae situs, constatque longiore montium tractu, qui et versus mare Mediterraneum ad Occidentem, et in adversam etiam Orientis partem tenduntur: haecque altera illius pars Antilibanus etiam solebat adpellari, ut est apud Strabonem l. 16. Cumque termini Israeliticae regionis, hic nominati, pertineant ad alias illius partes, Libanus positus est pro termino illius ex orientali parte.

5. *Nullus poterit vobis resistere cunctis diebus vitae tuae: sicut fui cum Moyse, ita ero tecum: non dimittam, nec derelinquam te. 6. Confortare, et esto robustus valde, ut custodias, et facias omnem legem, quam praecepit tibi Moyses servus meus: ne declines ab ea ad dexteram, vel ad sinistram, ut intelligas cuncta, quae agis.* Intelligere per metonymiam est positum pro negotiorum felicem successum habere. Nam, qui intelligenter, et cum circumspectione, atque consilio aliquid agit; huic res solent communiter bene cadere. 8. *Non recedat volumen legis huius ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus, ac noctibus, ut custodias, et facias omnia, quae scripta sunt in eo: tunc diriges viam tuam, et intelliges eam.* Ore solet fieri lectio, clara illa nimirum. Dum ergo iubetur volumen legis ab ore suo non deponere; hoc idem est, atque illud assidue legere.

9. *Ecce praecipio tibi, confortare, et esto robustus. Noli metuere, et noli timere, quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus, ad quaecunque perrexeris.* 10. *Praecepitque Josue principibus populi dicens: transite per medium castrorum, et imperate populo, ac dicite:* 11. *Praeparate vobis cibaria, quoniam post diem tertium transibitis Jordanem, et intrabitis ad possidendam terram, quam Dominus Deus vester daturus est vobis.* Ex Deuteronomii 2. v. 6. intelligitur Israelitas in deserto, quamvis manna haberent; tamen sibi potuisse comparare etiam alios cibos ex regio-

nibus, et civitatibus, per quas iter faciebant, non utique necessitatis, sed solius voluntatis gratia. Nunc vero, postquam iam etiam duos reges Sehonem, et Ogum Num. 21. v. 25, 35. debellaverunt, eorumque regiones occupaverunt; suppetebant ipsis profecto praeter manna ad victum etiam alia. Quamvis igitur manna adhuc quotidie acciperent, quod tantum, postquam transivissent Jordanem, et comedere coepissent ex novis anni illius frugibus, cessaverat; tamen perspicitur, quomodo hoc nihil habeat contradictionis, quod alios etiam cibos sibi parare ad iter iussi sint, nempe quibus praeter manna aliud etiam habere placeret.

Aliud vero est hic, quod maiorem obiicit difficultatem. Josue, ut dictum est, pronunciari per castra iusserat, post tres dies transituros esse Jordanem. Istud vero non ante diem septimum accidit. Nam capitis sequentis versu 1. prius, quam iter hoc instituerent, et castra moverent, cum missi essent exploratores, exceptique fuissent ab Rahab, dum redirent, ne comprehenderentur ab iis, qui illos quaerebant, et insequebantur, triduum latitarunt in montibus: nihilo tamen minus ante redierunt ad Josuam, ut est sequentis capitis versu 22. quam moverentur castra. Cum autem haec postea fuissent mota, integrum triduum constiterunt ad ripas Jordanis, antequam flumen transirent. Hoc ergo, quod Josue promulgavit de transitu per Jordanem tribus diebus post, comprobatum ab eventu non est: nisi forte hoc sic accipiatur, etiam post

triduum hoc esse factum, quod factum est post dies sex. Sed profecto Josue dicendo tres dies sic instituit orationem, ut determinate exprimere voluerit tempus transeundi. Varii varias ineunt rationes, ut hanc rem inter se concilient. Estius, Tirinus, Abulensis, pluresque alii volunt exploratores non modo, quando iam haec promulgatio de transitu per Jordanem, praeparandisque cibariis facta est, esse missos, sed iam triduo ante: sed hanc missionem illorum non esse in proprio loco in narrando collocatam; sique rectus narrationis ordo fuisset servatus, debuisse collocari ante illam de transitu, et parandis cibis ad iter promulgationem. Verum ab illo ordine, quem tenet Scriptor, temere recedere non est fas Interpreti, si alia suppetat conciliandi via. S. Augustinus Quaest. 2. in Josue cum hanc ipsam rem sibi quaerendam proposuisset; sic deinde ad illam respondit: „Fuit, inquit, haec dispositio quae„dam humana, postea Dei providentia mutata.“ Mihi vero praeterea haec etiam explicandi hanc rem ratio succurrit: hoc, quod Josue iussit pronunciari: *Praeparate vobis cibaria, quoniam post diem tertium transibitis Jordanem*, accipi debere de inchoata tantummodo actione istius transitus, non de completa. Nam post tertium diem revertentibus exploratoribus reipsa ex castris Josue movit cum tota populi multitudine, pervenitque ad Jordanem, ut transirent. Nec certe alia promulgationis istius causa fuit, quam ut scirent ituros se esse ad iter, ad illudque se compararent. Quare, dum transituros

Jordanem post tertium diem dixit, non aliud sive ipse Josue intellexit, sive ab aliis intelligi voluit, quam esse ituros ad iter, quo transituri essent Jordanem. Tales loquendi modi de re quasi perfecta, et completa, quae tantummodo adhuc inchoatur, alibi se etiam offerunt in Scriptura. Christus Dominus post peractam ultimam coenam cum adhuc tantum in procinctu esset eundi ad hortum, ubi caperetur, reipsaque tantum inchoaret laborem suae passionis, iam dicebat: „Opus consummavi, quod de„disti mihi, ut faciam" orans ad Patrem, et rursus: „Jam non sum in mundo" Joan. 17. v. 4, 11. Adhuc tamen in mundo erat, necdum enim erat mortuus, et opus, ad quod consummandum erat missus a Patre, vel maxime tum instabat, ut sua morte redimeret genus humanum. Sed quoniam illud iam tum inchoabat, ad opusque illud peragendum redimendi morte sua genus humanum iam ibat, moriendoque abiturus esset ex hoc mundo, hoc sic pronunciavit, quasi iam peractum esset. Nec a vulgari consvetudine loquendi alienum est, ut qui heri, verbi gratia, iter ingressus est ex Hungaria in Italiam, hunc dicamus ivisse in Italiam, tametsi eo nondum pervenerit, sed iter, quo eo veniret, tantum ingressus sit. Et sane, in illa sententia, quae vult narrationis non esse hic servatum ordinem, cum triduum ad ripas Jordanis sint morati, postquam moverunt ex castris, et antequam transirent; si istud tantum triduum fuisset, ante quod admoniti sunt, ut cibos sibi ad iter pararent; sequeretur

prius esse ad iter profectos, quam quos istius itineris causa cibos sibi iussi sunt parare, paravissent, qui istud triduum iam movendo ex statione priore castrorum anteverterunt.

12. *Rubenitis quoque, et Gaditis, et dimidiae tribui Manasse ait:* 13. *mementote sermonis, quem praecepit vobis Moyses famulus Domini dicens: Dominus Deus vester dedit vobis requiem, et omnem terram.* 14. *Uxores vestrae, et filii, ac iumenta manebunt in terra, quam tradidit vobis Moyses trans Jordanem: vos autem transite armati ante fratres vestros omnes fortes manu, et pugnate pro eis,* 15. *donec det Dominus requiem fratribus vestris, sicut et vobis dedit, et possideant ipsi quoque terram, quam Dominus Deus vester daturus est eis, et sic revertimini in terram possessionis vestrae, et habitabitis in ea, quam vobis dedit Moyses famulus Domini trans Jordanem contra solis ortum:* 16. *Responderuntque ad Josue, atque dixerunt: omnia, quae praecepisti nobis, faciemus, et quocumque miseris, ibimus.* 17. *Sicut obedivimus in cunctis Moysi, ita obediemus et tibi tantum sit Dominus Deus tuus tecum, sicut fuit cum Moyse.* 18. *Qui contradixerit ori tuo, et non obedierit cunctis sermonibus, quos praeceperis ei, moriatur: tu tantum confortare, et viriliter age.*

CAPVT II.

Josue mittit duos exploratores ad urbem Jericho, quos Rahab hospitio, excipit, et ne interficerentur, apud se occultat.

1. *MISIT igitur Josue filius Nun de Setim duos viros exploratores in abscondito, et dixit eis: ite, et considerate terram, urbemque Jericho.* Setim locus fuit in campestribus Moab, ubi in statione castrorum suorum erant ultima Israelitae, antequam modo ad Jordanem perventum ab illis esset. Alio nomine Abelsatim vocatur Num. 33. v. 49. *Qui pergentes ingressi sunt domum mulieris meretricis nomine Rahab, et quieverunt apud eam.* Pro meretrice in Hebraeo vocabulum est *Zonah* (זוֹנָה) quod quoniam a duplici radice potest esse derivatum a *Zanah* (זָנָה) quod scortari significat, et a *Zun* (זוּן) quod alere, et cibum praebere; de Rahab fueritne reipsa scortum, et meretrix, an vero femina tantum cauponaria, discrepant Interpretum hac de re sententiae. Hebraeorum doctores malunt illud in ista altera significatione accipere: quorum auctoritatem secuti sunt Lyranus, Pagninus, et plures alii. Huic tamen opinioni alterum est anteponendum, quod sic vocabulum hoc *Zonah* communiter soleat in Scriptura usurpari pro scorto, et prostituti pudoris femina, ut Gen. 34. v. 31. cap.

38. v. 15. Jud. 11. v. 1. et saepius alibi. Et Paulus, atque Jacobus Apostoli, quid adcurate debeat significare, proculdubio sciverint. Ille autem ad Hebraeos 11. v. 31. Jacobus vero in epistola Catholica cap. 2. v. 25. Graece illam πόρνην vocaverint. Quae Graeca vox citra dubitationem prostibnlum, ac meretricem Graecis significat.

2. *Nunciatumque est regi Jericho, et dictum: ecce viri ingressi sunt huc per noctem de filiis Israel, ut explorarent terram.* 3. *Misitque rex Jericho ad Rahab dicens: educ viros, qui venerunt ad te, et ingressi sunt domum tuam, exploratores quippe sunt, et omnem terram considerare venerunt.* 4. *Tollensque mulier viros abscondit, et ait: fateor, venerunt ad me, sed nesciebam, unde essent.* 5. *Cumque porta clauderetur in tenebris, et illi pariter exierunt. Nescio, quo abierunt. Persequimini cito, et comprehendetis eos.* 6. *Ipsa autem fecit adscendere viros in solarium domus suae, operuitque eos stipula lini, quae ibi erat.* Solarium domus est tectum illius more illarum regionum planum, et aptum ad deambulandum. Pro stipula lini, qua mulier illos contexerit, est in Hebraeo: *lino lignoso* (בְּפִשְׁתֵּי הָעֵץ) quod Septvaginta Graece verterunt: ἐν τῇ λινοκαλάμῃ *in calamo lini*, ut adeo intelligatur linum integrum, quod exsiccationis causa, antequam scilicet frangeretur, in domus solario servaretur. Nec vero dubium etiam est fuisse Rahab mentitam, cum nunciis, ad se a rege missis, diceret, Jsraelitarum exploratores

per occasionem tenebrarum se se subduxisse e domo, quos illa in solario suae domus absconderat. Quare hic simile aliquid accidit ei rei, quam fecerunt obstetrices Aegyptiae. Quae quamvis mendacio uterentur ad se excusandas apud Pharaonem; tamen praemium a Deo retulerint non mendacii, sed operis, quod praestiterunt, conservando in vita Hebraeorum proles, cum has Pharao mergi in flumen praecepisset. Nam Rahab quoque, ut adhuc ostendetur, laudatur fides, et bonum opus in hoc illius facto, sed non mendacium. Quod tamen mendacium, cum tenderet ad salutem, et conservationem eorum, quos apud se absconditos habebat; nec aliunde res haec pravitatem aliquam haberet, quam quod sermo difformis esset menti, et conscientiae; non gravior aliqua culpa, sed leve tantum peccatum fuit.

7. *Hi autem, qui missi fuerant, secuti sunt eos per viam, quae ducit ad vadum Jordanis, illisque egressis statim porta clausa est.* Porta nimirum urbis, vel pro consvetudine nocturni temporis, vel eo consilio, ut si fortasse exploratores alicubi adhuc latitarent intus in urbe, ne elabi possent, et effugere. 8. *Necdum obdormierant, qui latebant, et ecce mulier adscendit ad eos, et ait: 9. novi, quod Dominus tradiderit vobis terram. Etenim irruit in nos terror vester, et elanguerunt omnes habitatores terrae. 10. Audivimus, quod siccaverit Dominus aquas maris Rubri ad vestrum introitum, quando egressi*

si estis ex Aegypto, et quae feceritis duobus Amorrhaeorum regibus, qui erant trans Jordanem Sehon, et Og, quos interfecistis. 11. *Et haec audientes pertimuimus, et elanguit cor nostrum, nec remansit in nobis spiritus ad introitum vestrum. Dominus enim Deus vester ipse est Deus in caelo sursum, et in terra deorsum.* Haec est illa fides, quam Paulus in Rahab laudat ad Hebraeos 11. v. 31. Nam quem Deum Dominatorem huius Universi agnovit; hunc non dubitabat, quin Israelitis regionem, ad quam illos ducebat, daturus esset. At vero, si hoc illa tantum credidisset, esse Deum, quem Israelitae colerent, tam potentem, et nihilominus exploratores prodidisset; num iustificata fuisset? Quod S. Jacobus probat hoc ipso exemplo Rahab. „Vi„detis, ait ille, quoniam ex operibus iustificatur „homo, et non ex fide tantum. Similiter et Ra„hab meretrix nonne ex operibus iustificata est susci„piens nuncios, et alia via eiiciens?“ cap. 2. v. 24. Pertinet ista animadversio erga eos, qui sic fidei iustificationem attribuunt, ut illam valere putent, et satis esse ad obtinendam salutem etiam sine operibus: cum tamen fides si non habeat opera, mortua sit in semetipsa, ut idem Jacobus Apostolus pronunciat in eiusdem Epistolae capitis 2. v. 17.

At vero, etiamsi erga Israelitas hoc fuit a Rahabe benefactum; num propterea non fuit criminosum colludere cum hostibus, hosque adversus proprii regis, civium, et patriae salutem occultare, et tegere? Quod esse potest detestabilius flagitium

proditione? Quomodo ergo nihilominus iustitiae laudem illi tribuere Apostolus in hoc suo facto potuit? Nempe, quia illa se in hoc suo facto ita gessit, ut quamvis non ignorasset, id, quod agebat, non esse salutare suae civitati; intellexisset vero hoc, quod civibus suis immineret exitium, esse à Deo decretum; satius esse duxit conformare se Deo, neque conari aliquid contra, quam studere suorum civium saluti. „Obedire enim magis oportet Deo, „quam hominibus.“ Act. 5. v. 29. Taliter Abraham adactus Dei praecepto innoxie iugulaturus erat Isaacum, filium suum, tametsi nullius criminis reum. Jeremias propheta, cum sciret decretam esse a Deo suae gentis captivitatem, et abductionem in Babyloniam; hoc ipsum non dubitavit palam in civitate declarare, evasuros nullatenus exitium, si manerent in urbe, et repugnarent; sin autem sponte transfugerent ad Chaldaeos, qui obsidebant urbem, vitam sibi conservaturos. Jerem. cap. 38. v. 2. Quae res apud suos certe non aliam vim habere potuit, quam ut deficerent a proprio rege, transfugerentque ad hostem. Non ergo Rahab tantum prudenter, et circumspecte egit, quod cum exploratum haberet interitum suae civitatis, cui iam subveniri non posset, quod Dei voluntati impossibile sit resistere; suam saltem, et parentum, propinquorumque suorum salutem quaereret in tuto collocare; verum etiam laudem pietatis ex eo habuit, quod conservando exploratores servire etiam studuerit Dei isti voluntati de perdenda sua civitate.

12. *Nunc ergo iurate mihi per Dominum, ut quomodo ego misericordiam feci vobiscum, ita et vos faciatis cum domo patris mei, detisque mihi verum signum.* Juramentum autem exegit ab illis. Hoc enim illi praestiterunt postea ipsi ad hanc postulationem: 13. *ut salvetis patrem meum, et matrem, fratres, ac sorores meas, et omnia, quae illorum sunt, et eruatis animas nostras a morte.* 14. *Qui responderunt ei: anima nostra sit pro vobis in mortem, si tamen non prodideris nos: cumque tradiderit nobis Dominus terram, faciemus in te misericordiam, et veritatem.* Imprecatorium, et tale hoc fuit iuramentum, ut si fidem fallerent, et si Rahabi, eiusque propinquis aliqua calamitas accidisset, quin ab illa essent proditi; exitium hoc in ipsorum capita recideret. 15. *Demisit ergo eos per funem de fenestra. Domus enim eius haerebat muro.* 16. *Dixitque ad eos: ad montana conscendite, ne forte occurrant vobis revertentes, ibique latitate tribus diebus, donec redeant, et sic ibitis per viam vestram.* 17. *Qui dixerunt ad eam: innoxii erimus a iuramento hoc, quo adiurasti nos.* 18. *si ingredientibus nobis terram, signum fuerit funiculus iste coccineus, et ligaveris eum in fenestra, per quam demisisti nos, et patrem tuum, ac matrem, fratresque, et omnem cognationem tuam congregaveris in domum tuam.* Non haec conditio eo spectabat, ut si mulier funiculum hunc exposuisset pro signo, quo agnoscerent domum, congregavissetque ad se parentes, et cognatos; non

tenerentur deinde iuramento; sed uti hoc mulier faceret, funiculumque illum suspenderet, suosque omnes apud se in domo haberet collectos: sin autem hoc illa non fecisset, vel aliquis egressus esset e domo, atque tali modo vel tota domus, vel saltem aliquis ex illa exitium incurrisset; ipsi a malo, quod sibi per iuramentum imprecati sunt, immunes essent. Quae pars conditionis huius est in versiculo subsequente. 19. *Qui ostium domus tuae egressus fuerit, sangvis ipsius erit in caput eius, et nos erimus alieni. Cunctorum autem sangvis, qui tecum in domo fuerint, redundabit in caput nostrum, si eos aliquis tetigerit.* 20. *Quod si nos prodere volueris, et sermonem istum proferre in medium; erimus mundi ab hoc iuramento, quo adiurasti nos.* Quem sermonem proferre? non certe istum de hac conditione suspendendi e fenestra funem, suosque tenendi secum in eadem domo, neque enim hoc exploratoribus quidquam obfuisset, etiamsi alii aliquid de hac conditione postea rescivissent: sed hunc sermonem, hoc est hanc rem de ipsis, quod scilicet explorandi causa ab Israelitis venissent, et nunc apud illam essent. Nam verbum, sermonem pro re aliqua, quae fit, solere ab Hebraeis in loquendo poni, iam alias demonstratum est.

21. *Et illa respondit: sicut locuti estis, ita fiat. Dimittensque eos, ut pergerent, appendit funiculum coccineum in fenastra.* 22. *Illi vero ambulantes pervenerunt ad montana, et manserunt ibi tres dies, donec reverterentur, qui fuerant per-*

secuti. Quaerentes enim per omnem viam non repererunt eos. Quoniam ab eo tempore, quo exploratores hi missi ab Josue sunt, usque dum moverentur castra, intercesserat triduum, ut est superioris capitis versu 11. nec mota sint castra ante, quam illi rediverint; consequens est, in spatio huius tridui contineri totum exploratorum iter, et reditum, ac proinde triduum istud, quo morati sunt in montibus, non fuisse perfectum: sed quod constiterit ex ultima et nocturna iam parte diei primae ex illo triduo, quove venerunt ad urbem Jericho; ex integra deinde die altera; et demum, ex parte diei tertiae, qua ipsa adhuc die in castra ad Josue redierint. Sic illud ipsum triduum, quo Christus fuit in sepulchro, non ex integris tribus diebus fuit. Mortuus enim, et sepultus cum fuisset feria sexta in Parasceve, iam initio diei Dominicae, quae a morte fuit tertia, rediit ad vitam. 23. *Quibus urbem ingressis reversi sunt, et descenderunt exploratores de monte, et transmisso Jordane venerunt ad Josue filium Nun, narraveruntque ei omnia, quae acciderant sibi,* 24. *atque dixerunt: tradidit Dominus omnem terram hanc in manus nostras, et timore prostrati sunt cuncti habitatores eius.*

CAPVT III.

Prodigiosus Israelitarum transitus per Jordanem.

1. *IGITVR Josue de nocte consurgens movit castra, egredientesque de Setim venerunt ad Jordanem ipse, et omnes filii Israel, et morati sunt ibi tres dies.* 2. *Quibus evolutis transierunt praecones per castrorum medium,* 3. *et clamare coeperunt: quando videritis arcam foederis Domini Dei vestri, et sacerdotes stirpis Leviticae portantes eam, vos quoque consurgite, et sequimini praecedentes.* 4. *Sitque inter vos, et arcam spatium cubitorum duum millium, ut procul videre possitis, et nosse, per quam viam ingrediamini, quia prius non ambulastis per eam, et cavete, ne adpropinquetis ad arcam.* 5. *Dixitque Josue ad populum: sanctificamini. Cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia.* Verbum sanctificare pro sola etiam praeparatione solere usurpari, iuxta morem Hebraeae lingvae, demonstratum iam est ad Exodi 19. v. 10. Itaque Chaldaeus istud luculentius sic vertit: *Praeparate vos, videbitis mirabilia.*

6. *Et ait ad sacerdotes: tollite arcam foederis, et praecedite populum. Qui iussa complentes tulerunt, et ambulaverunt ante eos.* 7. *Dixitque Dominus ad Josue: hodie incipiam exaltare te coram omni Israel, ut sciant, quod sicut cum Moy-*

se fui, ita et tecum sim. 8. *Tu autem praecipe sacerdotibus, qui portant arcam foederis, et dic eis: cum ingressi fueritis partem aquae Jordanis, state in ea.* Ad mediam usque partem fluminis illos intravisse, ibique constitisse, donec omnes alii transirent, clarius versu huius capitis ultimo dicitur. 9. *Dixitque Josue ad filios Israel: accedite huc, et audite verbum Domini Dei vestri.* 10. *Et rursum: in hoc, inquit, scietis, quod Dominus Deus vivens in medio vestri est, et disperdet in conspectu vestro Chananaeum, et Hethaeum, Hevaeum, et Pherezaeum, Gergesaeum quoque, et Jebusaeum, et Amorrhaeum.* 11. *Ecce arca foederis Domini omnis terrae antecedet vos per Jordanem.* 12. *Parate duodecim viros de tribubus Israel, singulos per singulas tribus.* 13. *Et cum posuerint vestigia pedum suorum sacerdotes, qui portant arcam Domini Dei universae terrae in aquis Jordanis; aquae, quae inferiores sunt, decurrent, atque deficient: quae autem desuper veniunt, in una mole consistent.* 14. *Igitur egressus est populus de tabernaculis suis, ut transiret Jordanem, et sacerdotes, qui portabant arcam foederis Domini, pergebant ante eum.* 15. *Ingressisque eis Jordanem, et pedibus eorum in parte aquae tinctis (Jordanes autem ripas alvei sui tempore messis impleverat)* 16. *steterunt aquae descendentes in loco uno, et adinstar montis intumescentes adparebant procul ab urbe, quae vocatur Adom usque ad locum Sarthan: quae autem inferiores erant,*

in mare solitudinis, quod nunc vocatur mortuum, descenderunt, usquequo omnino deficerent. Iam alias demonstratum est, messem hordeaceam consvevisse in Palaestina peragi tempore verno, quod mensi nostro Aprili respondet, et ex aliqua parte Martio; et iam altera die Paschatis manipulum unum ex nova illius anni segete primitiarum nomine debuisse offerri. Levit. 23. v. 11. Id ergo tempus messis nunc erat. Nam dies, qua per Jordanem transiverunt, erat decima mensis primi, cuius plenilunium incidebat post aequinoctium vernum. (Infra cap. 4. v. 19.) Cur ergo tunc verno tempore aquis redundaret Jordanes, mirum non fuit. Nam cum ex monte Libano oriatur, isque numquam non nivibus tegatur; tunc in vere nives magis solutae magis etiam aquis replent Jordanem. Tantoque magis admirabilitas illius prodigii exsplenduit, quanto illud in profundioribus aquis perpetratum est. Mare mortuum idem est, quod alias etiam mare salsum in Scriptura dicitur, vel qui nunc lacus Asphaltidis nominatur, plenusque bitumine est. Eo Jordanes nobilissimus ille fluvius a Libano, et Septemtrione decurrens per mediam Palaestinam, infususque ad hunc lacum amaenitatem suam omnem perdit. Illud de aquis intumescentibus: *Apparebant procul ab urbe, quae vocatur Adom usque ad locum Sarthan*, Hebraice istud: *usque ad locum Sarthan* est: *quae est ex latere Tzarthan* (אֲשֶׁר מִצַּד צָרְתָן) ut adeo situs tantum urbis Adom designetur, unde adparuerint aquae il-

lae Jordanis tunc accumulatae. Erat autem Sarthan sita prope Betsan, quae postea dicta est Scythopolis e regione Socoth, ut est 3. Reg. 4. v. 12. Pertinetque hoc eo, quam procul videri accumulatae illae aquae potuerint. Ex quo intelligeretur quantopere eae in altum se erexerint, quae eousque visae sint. 17. *Populus autem incedebat contra Jericho, et sacerdotes, qui portabant arcam foederis Domini, stabant super siccam humum in medio Jordanis accincti, omnisque populus per arentem alveum transibat.*

CAPVT IV.

Duodecim lapides ad transitus prodigiosi per Jordanem monumentum excipiuntur ex Jordane, alii autem totidem rursus in eorum locum deponuntur.

---

1. Q*VIBVS transgressis dixit Dominus ad Josue: 2. elige duodecim viros, singulos per singulas tribus, 3. et praecipe eis, ut tollant de medio Jordanis alveo, ubi steterunt pedes sacerdotum, duodecim durissimos lapides, quos ponetis in loco castrorum, ubi fixeritis hac nocte tentoria.* Stantibus sacerdotibus adhuc in medio istud de lapidibus est factum. Nam simul atque sacerdotes postea exiverunt, et pedibus suis ripam fluminis attigerunt; aquae etiam fluere coeperunt ut est infra versu 18. Non ergo iam tum lapides ex alveo

accipi, nisi pleno iam aquis potuissent. In Hebraeo non est verbum in praeterito: ubi *steterunt* pedes sacerdotum, sed est nomen cum praepositione ad hunc modum *ex statione* (מִמַּצַּב) pedum sacerdotum. Neque etiam illi lapides ex ipso illo loco, ubi insistebant vestigia sacerdotum accipi debebant, sed hoc, quod dictum est, ut inde acciperentur lapides, ubi stabant pedes sacerdotum, tantum relate ad medium alvei positum est, ut quemadmodum in medio illius starent cum arca sacerdotes; ita inde etiam ex eodem medio lapides illi sumerentur: quod deinde magis declarat versus subsequens 5. ubi ex Jordanis medio ante arcam illi, quibus hoc negotium dabatur, iussi sunt lapides hos sumere.

4. *Vocavitque Josue duodecim viros, quos elegerat de filiis Israel, singulos de singulis tribubus,* 5. *et ait ad eos: ite ante arcam Domini Dei vestri ad Jordanis medium, et portate inde singuli singulos lapides in humeris vestris iuxta numerum filiorum Israel,* 6. *ut sit signum inter vos, et quando interrogaverint vos filii vestri cras dicentes: quid sibi volunt isti lapides?* 7. *Respondebitis eis: defecerunt aquae Jordanis ante arcam foederis Domini, cum transiret eum: idcirco positi sunt lapides isti in monumentum filiorum Israel usque in aeternum.* 8. *Fecerunt ergo filii Israel, sicut praecepit eis Josue portantes de medio Jordanis alveo duodecim lapides, ut Dominus ei imperarat iuxta numerum filiorum Israel usque ad*

locum, in quo castrametati sunt, ibique posuerunt eos. In Galgalis hoc deinde factum est, ut infra sequitur versu 19. Ubi monumentum hoc lapideum sua adhuc aetate superfuisse, et a se esse visum, docet Eusebius in libro de Locis Hebraicis.

9. *Alios quoque duodecim lapides posuit Josue in medio Jordanis alveo, ubi steterunt sacerdotes, qui portabant arcam foederis, et sunt ibi usque in praesentem diem.* Hoc est unum ex illis argumentis, de quibus supra dictum est in Praefatione, quae soleant proponi adversus Josuam, non esse illum auctorem istius libri, sapereque istum modum loquendi longius aliquod tempus, post quod convenienter dici potuerit perdurasse lapides illos in illo loco usque in praesentem diem. Sed phrasim hanc merum esse idiotismum lingvae Hebraeae, iam demonstratum est ad Deuteronomii 3. v. 14. Deinde, quoniam Josue, cum historiam, quae in hoc libro est, usque ad obitum suum perduxerit, atque eousque spatium ab hoc per Jordanem transitu annorum septemdecim intercesserit; vel nostro more loquendi tunc convenienter de illis dici lapidibus potuit: fuisse illos ibi usque in praesentem diem.

10. *Sacerdotes autem, qui portabant arcam, stabant in Jordanis medio, donec omnia complerentur, quae Josue, ut loqueretur ad populum, praeceperat Dominus, et dixerat ei Moyses, festinavitque populus, et transiit.* 11. *Cumque transissent omnes, transivit et arca Domini, sacerdo-*

tesque pergebant ante populum. 12. *Filii quoque Ruben, et Gad, et dimidia tribus Manasse armati praecedebant filios Israel, sicut eis praeceperat Moyses.* 13. *Et quadraginta pugnatorum millia per turmas, et cuneos incedebant per plana, atque campestria urbis Jericho.* Harum videlicet tribuum, quae in auxilium ibant reliquarum tribuum. De his enim modo praecesserat sermo, et exercitus omnium tribuum multo erat amplior. 14. *In die illo magnificavit Dominus Josue coram omni Israel, ut timerent eum, sicut timuerant Moysen, dum adhuc viveret.* 15. *Dixitque ad eum:* 16. *praecipe sacerdotibus, qui portant arcam foederis, ut adscendant de Jordane.* 17. *Qui praecepit eis dicens: adscendite de Jordane.* 18. *Cumque adscendissent portantes arcam foederis Domini, et siccam humum calcare coepissent; reversae sunt aquae in alveum suum, et fluebant, sicut ante consueverant.* 19. *Populus autem adscendit de Jordane decimo die mensis primi, et castrametati sunt in Galgalis contra orientalem plagam urbis Jericho.* 20. *Duodecim quoque lapides, quos de Jordanis alveo sumpserunt, posuit Josue in Galgalis.* 21. *Et dixit ad filios Israel: quando interrogaverint filii vestri cras patres suos, et dixerint eis: quid sibi volunt lapides isti?* 22. *Docebitis eos, atque dicetis: per arentem alveum transivit Israel Jordanem istum,* 23. *siccante Domino Deo vestro aquas eius in conspectu vestro, donec transiretis:* 24. *sicut fecerat prius in mari Rubro,*

quod siccavit, donec transiremus, 25. ut discant omnes terrarum populi fortissimam Domini manum, ut et vos timeatis Dominum Deum vestrum omni tempore.

CAPVT V.

In Galgalis fit circumcisio. Celebratur Pascha. Deficit manna. Josue in agro adparet Angelus.

1. *POSTQVAM ergo audierunt omnes reges Amorrhaeorum, qui habitabant trans Jordanem ad occidentalem plagam, et cuncti reges Chanaan, qui propinqua possidebant magni maris loca, quod siccasset Dominus fluenta Jordanis coram filiis Israel, donec transirent; dissolutum est cor eorum, et non remansit in eis spiritus timentium introitum filiorum Israel. 2. Eo tempore ait Dominus ad Josue: fac tibi cultros lapideos, et circumcide secundo filios Israel.* Cultri lapidei Hebraice *Charboth tzürim* (חַרְבוֹת צֻרִים) quod et verti sic potest, ut vertit Latinus Interpres: cultri lapidei, vel tantummodo etiam cultri acuti, quod Hebraicum *Tzur* (צור) unde illud *tzürim* deductum est, tam petram, quam aciem etiam, et acumen Hebraeis significet. Septvaginta conveniunt cum nostra versione Latina. Atque sic magis hoc esse sumendum, illud exemplum confirmat, quod Sephora Moysis uxor ad circumcidendum suum filium pe-

tra acutissima usa sit Exod. 4. v. 25. et quod in Aegypto antiquitus lapideorum cultrorum usum viguisse, testis sit Herodotus l. 2. cap. 86. Quin nunc quoque in America, et regno Calechuti incolas uti ad secandum instrumentis lapideis tradunt apud Calmetum quidam, qui institutis ibi peregrinationibus de moribus illarum nationum scripserunt. Sed tamen non fuisse Israelitas constanter usos talibus cultris ad circumcidendum, intelligitur ex S. Justini Dialogo cum Tryphone, ubi de ferro meminit, quo Judaei usi sint ad circumcidendum. Quod autem secundo dicatur Josue esse iussus circumcidere filios Israel; id non sic accipiendum est, quasi illi etiam, qui iam ante erant circumcisi, nunc circumcidi denuo debuerint: nam, ut magis infra versu 6. et 7. explicatur, pertinebat hoc tantum ad eos, qui in deserto nati circumcisi nondum erant, quod circumcisio eo tempore sit praetermissa; sed quod circumcidendi consvetudo, quae prius vigebat, eratque praetermissa, resumpta nunc iterum sit. „Non „enim unus homo, ait S. Augustinus Quaest. 6. in „Josue, bis circumcidendus erat: sed quia unus „populus erat in quibusdam circumcisus, in qui„busdam non circumcisus; ideo dictum est iterum, „ut circumcisus iterum circumcideretur non homo, „sed populus.“ Intermissionis huius causam S. Augustinus hac eadem Quaestione in Josue in illorum inobedientiam refundit. „Inobedientes, inquit, erant „legi Dei.“ Durum tamen est in crimen vocare omnes, cum numquam non inter Israelitas probi

fuerint plures: et quod nec a Moyse, nec postea ab aliquo alio illis hoc unquam exprobratum sit. Illud ergo communiore Interpretum calculo verisimilius est, propter instabilitatem castrorum, incertitudinemque illa movendi, cum corpora, si per circumcisionem laederentur, moveri absque gravi incommoditate non possent, fuisse legem circumcisionis per desertum inter peregrinandum suspensam.

3. *Fecit, quod iusserat Dominus, et circumcidit filios Israel in colle praeputiorum.* Nempe ab eadem hac re, quae ibi gesta est, collis ille nomen accepit, sicut omnis quoque ille locus, ubi tum erat castrorum statio, novo nomine Galgala, ut subsequetur, fuit adpellatus. 4. *Haec autem causa est secundae circumcisionis: omnis populus, qui egressus est de Aegypto generis masculini, universi bellatores viri mortui sunt in deserto per longissimos viae circuitus: 5. qui omnes circumcisi erant. Populus autem, qui natus est in deserto, 6. per quadraginta annos itineris latissimae solitudinis incircumcisus fuit, donec consumerentur, qui non audierant vocem Domini, et quibus ante iuraverat, ut non ostenderet eis terram lacte, et melle manantem. 7. Horum filii in locum successerunt patrum, et circumcisi sunt a Josue: quia, sicut nati fuerant, in praeputio erant, nec eos in via aliquis circumciderat. 8. Postquam autem omnes circumcisi sunt, manserunt in eodem castrorum loco, donec sanarentur. 9. Dixitque Dominus ad Josue: hodie abstuli opprobrium Ae-*

gypti a vobis. Vocatumque est nomen loci illius Galgala usque in praesentem diem. Inter Galgal, sive ut adcuratius iuxta Hebraeum dicitur *Gilgal*, et verbum *abstuli*, Hebraice *Gallothi* (גַּלּוֹתִי) est paranomasia: cuius venustas in Versione non adparet, sicut est in Hebraeo: significatque aliquid alicunde devolvere, nomen autem Galgal devolutionem. Quodnam autem illud fuit opprobrium Aegypti, quo involuti erant, et quod devolutum, detractumque illis est? Erant Israelitae ex Aegypto educti, tanquam e medio profanae, et superstitiosae nationis, ut in Dei peculiarem populum evaderent, ab eoque adoptarentur, indeque, qui Deo per foedus essent adstricti, in signum foederis huius cum Deo, habebant sibi datam circumcisionem, Gen. 17. v. 11. qua ab aliis nationibus secernerentur. At vero in istis, qui in deserto erant nati, nondumque circumcisi, signum hoc foederis cum Deo non erat impressum, ideoque similes erant Aegyptiis. Quod quemadmodum isti signum istius foederis non haberent; ita nec in illis etiam esset. Atque hoc erat opprobrium non esse circumcisum, et similitudinem gerere cum profanis, a verique Dei cultu alienis populis. Quare apud Isaiam quoque cap. 52. v. 1. incircumcisus componitur cum immundo tamquam qui idem cum illo sit. „Indue„re vestimentis gloriae tuae Jerusalem civitas San„cti, quia non adiiciet ultra, ut pertranseat per „te incircumcisus, et immundus.“ Hoc ergo opprobrium nunc Deus ab illis abstulit, quando illius iussu

iussu sunt circumcisi. Aegyptii, quod notandum est, ipsi etiam deinde circumcisionis ritum adsumpserunt, ut hoc docet Calmet in peculiari hac de re Dissertatione, atque Aegyptiorum exemplis confirmat: sed quoniam hoc postea tantum factum est, tunc, cum hoc ad Josuam dictum a Deo est, erat hoc in illis incircumcisionis probrum.

10. *Manseruntque filii Israel in Galgalis, et fecerunt Phase quarta decima die mensis ad vesperum in campestribus Jericho.* 11. *Et comederunt de frugibus terrae die altero azymos panes, et polentam eiusdem anni.* In Hebraeo loco huius: *eiusdem anni* est *in ipso die hoc.* (בְּעֶצֶם הַיּוֹם הַזֶּה) Maturescere enim tum primum incipiebant fruges, et in spicis primitiae frugum secunda adhuc die Paschatis offerebantur, non ut iam panes sibi etiam pinserent, et polentam facerent, quod genus cibi est ex farina tosta. 12. *Defecitque manna, postquam comederunt de frugibus terrae, nec usi sunt ultra cibo illo filii Israel, sed comederunt de frugibus praesentis anni terrae Chanaan.* Hebraice: *comederunt de frugibus terrae Chanaan in anno hoc:* (בַּשָּׁנָה הַהִיא) ut nec hic intelligantur recte de frugibus eo anno procreatis tantum comedisse, sed quod uti iam nunc isto anno communiter frugibus, quae in Chananaea erant procreatae, coeperint, manna autem desierit.

13. *Cum autem esset Josue in agro urbis Jericho, levavit oculos, et vidit virum stantem contra se, evaginatum tenentem gladium, perrexitque*

ad eum, et ait: noster es, an adversariorum? 14. *Qui respondit: nequaquam. Sed sum princeps exercitus Domini, et nunc venio.* Dicit se venisse, sed nondum explicat, cuius rei gratia venerit. Sed adparatus ille ipse cum evaginato gladio declarabat venisse illum in auxilium Israelitarum, cuius praesidio debellarent Chananaeos. Subsequentis capitis versu 2. istud ipsum cuius gratia venerit, Angelus Josuae explicat, et de civitate Jericho in potestatem redigenda, quod erat initium illius bellicae expeditionis in occupanda Chananaea, securum illum facit. Hic angelus Michael fuisse creditur, siquidem se principem exercitus Domini adpellaverit, isque tanquam primus angelorum etiam exhibeatur Apocalypsis 12. v. 7. Ubi, cum praeliatus esset cum dracone, solus ipse nominatim adpellatur, reliqui vero in exercitu illius dicuntur fuisse angeli, qui videlicet sub ipso, tanquam exercitus duce, et principe essent. „Factum est praelium magnum in „caelo: Michael, et angeli eius praeliabantur cum „dracone, et draco pugnabat, et angeli eius" Cumque Danielis 10. v. 21. Michael Israelitarum princeps fuisse dicatur, qui nimirum illos suae tutelae habuerit concreditos, et commissos a Deo; intelligitur, cur non potius alter aliquis angelus, sed ipse Michael hoc nunc officium, ut Israelitis ferret auxilium, gesserit. S. Irenaeus l. 5. c. 15. et communiter vetusti Patres in hoc angelo ipsum Dei Filium fuisse senserunt. Atque illum omnino Dei personam gessisse, illiusque nomine esse locutum,

intelligitur ex subsequentis capitis versu 2. ubi verba faciens ad Josue idem angelus Dominus vocatur, deinde, quod sicut Moyses coram eo, qui in ardente rubo illi adparuerat, quique se Deum Abraham, Isaac, et Jacob, Exod. 3. v. 6. adpellaverat, cum tamen esset angelus, ut est Actor. 7. v. 30. solvere calceamenta de suis pedibus debuit, ita hoc idem ab Josue exegerit iste, qui ipsi adparuit angelus. 15. *Cecidit Josue pronus in terram, et adorans ait: quid Dominus meus loquitur ad servum suum?* 16. *Solve, inquit, calceamentum tuum de pedibus tuis. Locus enim, in quo stas, sanctus est. Fecitque Josue, ut sibi fuerat imperatum.* Sequenti adhuc capite de hac adparitione angeli narratio continuatur, quod ad secundum versiculum demonstrabitur. Rectius autem hic novum caput inchoatum fuisset, ubi initium est de hac adparitione huius capitis versu 13. vel idem hoc caput productum fuisset ad versum sequentis capitis 6. novumque ibi tantum inchoatum.

CAPVT VI.

Urbem Jericho capiunt Israelitae tantum arcam circumferendo ante moenia, clangendoque tubis ruentibus sponte muris. Servatur in vita Rahab: urbs vero tota devovetur anathemati.

1. *JERICHO autem clausa erat, atque munita timore filiorum Israel, et nullus egredi audebat,*

vel ingredi. 2. *Dixitque Dominus ad Josue: ecce dedi in manu tua Jericho, et regem eius, omnesque fortes viros.* Nisi is, qui nunc Dominus adpellatur, et mandata dat Josue, idem ille angelus est, qui ei evaginato gladio adparuit; sequitur hanc narrationem de angelo sic esse abruptam in fine superioris capitis, ut sit relicta manca, atque imperfecta, et cum Josue ab illo tunc angelo petierit, ut quidnam vellet, ei praeciperet; ille nullum ei mandatum dederit, nisi quod reverentiae tantum causa ob sanctitatem loci ubi staret, calceos illum iusserit deponere. Jam vero, cum ille angeli habitus cum evaginato gladio, ut superiore capite demonstratum est, cum se diceret venisse, declaret venisse illum propterea, cuius auspiciis, atque ductu iam bella gerere inciperent cum Chananaeis; bene hoc deinde cohaeret cum eo, quod idem angelus, sed in persona Dei, illiusque nomine loquens Jericho urbem, ubi Chananaeos adgrediendi futurum erat initium, sese Josue, Israelitisque tradere pronunciet, modumque exponat, quo obtenturi illam sint.

Sic autem illi hac de re praecepit: 3. *Circuite urbem cuncti bellatores semel per diem: sic facietis sex diebus.* 4. *Septimo autem die sacerdotes tollant septem buccinas, quarum usus est in iubilaeo, et praecedant arcam foederis, septiesque circuibitis civitatem, et sacerdotes clangent buccinis.* 5. *Cumque insonuerit vox tubae longior, atque concisior, et in auribus vestris increpuerit;*

conclamabit omnis populus vociferatione maxima, et muri funditus corruent civitatis, ingredienturque singuli per locum, contra quem steterint. Res haec secundum Versionem Latinam sic videtur sonare, quasi tantum septima die, non etiam sex anterioribus, sacerdotes iussi fuissent clangere buccinis. Id vero contrarium est manifeste versui huius capitis decimo tertio, ubi aperte est, sex etiam prioribus diebus in circumeundo perstrepuisse eos buccinis. Haec, quae in Latino, istius rei in narrando diversitas est, nulla existit in Hebraeo. Nam post versiculum tertium: *Circuite urbem cuncti bellatores semel per diem, sic facietis sex diebus,* non est hoc deinde: *Septimo autem die sacerdotes tollant septem buccinas,* sed istud sequitur: *Et septem sacerdotes* (וְשִׁבְעָה כֹּהֲנִים) *tollent septem buccinas iubilaei coram arca* ac tandem mandatum succedit de die septima: *Et die septima* (וּבַיּוֹם הַשְּׁבִיעִי) *circuibunt civitatem septem vicibus, et sacerdotes clangent buccinis.* Itaque intelligitur et per sex anteriores dies sic factam esse circuitionem civitatis, ut septem etiam tum sacerdotes clangerent buccinis, idemque eos fecisse septima die per omnes tum etiam septem vices, quibus circumiverunt civitatem; ad septimam vero demum vicem a reliquis etiam omnibus factum esse clamorem, tumque muros urbis corruisse.

6. *Vocavit ergo Josue filius Nun sacerdotes, et dixit ad eos: tollite arcam foederis, et septem alii sacerdotes tollant septem iubilaeorum bucci-*

nas, et incedant ante arcam Domini. 8. *Cumque*
Josue verba finisset, et septem sacerdotes septem
buccinis clangerent ante arcam foederis Domini,
9. *omnisque praecederet armatus exercitus; reli-*
quum vulgus arcam sequebatur, ac buccinis omnia
concrepabant. 10. *Praeceperat autem Josue popu-*
lo dicens: non clamabitis, nec audietur vox ve-
stra, neque ullus sermo ex ore vestro egredietur,
donec veniat dies, in quo dicam vobis: clamate,
et vociferamini. 11. *Circuivit ergo arca Domini*
civitatem semel per diem, et reversa in castra man-
sit ibi. 12. *Igitur Josue de nocte consurgente tu-*
lerunt sacerdotes arcam Domini, 13. *et septem ex*
eis septem buccinas, quarum in iubilaeo usus est,
praecedebantque arcam Domini ambulantes, atque
clangentes, et armatus populus ibat ante eos, vul-
gus autem reliquum sequebatur arcam, et buccinis
personabat. 14. *Circuieruntque civitatem secundo*
die semel, et reversi sunt in castra. Sic fecerunt
sex diebus. 15. *Die autem septimo diluculo con-*
surgentes circuierunt urbem, sicut dispositum erat
septies. 16. *Cumque septimo circuitu clangerent*
buccinis sacerdotes, dixit Josue ad omnem Israel:
vociferamini, tradidit enim vobis Dominus civi-
tatem. 17. *Sitque civitas haec anathema, et omnia,*
quae in ea sunt, Domino. Sola Rahab meretrix
vivat cum universis, qui cum ea in domo sunt.
Abscondit enim nuncios, quos direximus. 18. *Vos*
autem cavete, ne de his, quae praecepta sunt,
quidpiam contingatis, et sitis praevaricationis

rei, et omnia castra Israel sub peccato sint, atque turbentur. 19. *Quidquid autem auri, et argenti fuerit, et vasorum aeneorum, ac ferri, Domino consecretur repositum in thesauris eius.*

Hoc praeceptum de anathemate non nunc, cum iam septimae diei ultima circuitio institueretur, ab Josue fuisse propositum, illud svadet; quod mandatum illud in tanto agmine exaudiri non potuisset, atque adeo Achan, qui illud postea transgressus est, excusationem sui criminis habere potuisset, nisi fortasse, ut ad Deuteronomii 5. v. 1. de Moyse etiam ad universum Israeliticum populum verba faciente demonstratum est; hic quoque per prodigium factum esset, ut a tot centenis hominum millibus, quem tantum numerum utique diffundi per tale spatium oportuit, quo vox hominis, quantacunque intensione clamaretur, naturaliter pertingere, ut distincte exaudiretur, non potuit; Josue dum illud mandatum pronunciabat, intellectus sit. Vocabulum: anathema iam Numer. 21. v. 3. et Levitici 27. v. 28. explicatum est, cuius loco in Hebraeo est *Cherem* (חֵרֶם) significari eo devotionem ad exitium. Deo autem factum est hoc anathema, cui illo gratificabantur, dum impiam civitatem, a qua esset offensus delendo, funditusque perdendo, iniuriam vindicabant ipsi factam, et solummodo ea conservarunt, quae usui esse possent ad cultum Dei in illius tabernaculo.

20. *Igitur omni populo vociferante, et clangentibus tubis, postquam in aures multitudinis vox,*

sonitusque increpuit, muri illico corruerunt, et adscendit unusquisque per locum, qui contra se erat, ceperuntque civitatem, 21. *et interfecerunt omnia, quae erant in ea a viro usque ad mulierem, ab infante usque ad senem, boves quoque, et oves, et asinos in ore gladii percusserunt.* 22. *Duobus autem viris, qui exploratores missi fuerant, dixit Josue: ingredimini domum mulieris meretricis, et producite eam, et omnia, quae illius sunt, sicut illi iuramento firmastis.* 23. *Ingressique iuvenes eduxerunt Rahab, et parentes eius, fratres quoque, et cunctam supellectilem, ac cognationem illius, et extra castra Israel manere fecerunt.* Quod ipsos non statim ad castra deduxerint, vel videntur fecisse hoc, quod immundos illos haberent propter profanam religionem; vel verisimilius, quod illis ipsis, qui ex urbe illos eduxerunt, intrare fas non esset in castra, vel propter patratam caedem hostium, aut saltem ex cadaverum aliqua contagione. Nam, si cadaver, et mortuum hominem vel aliquis contigisset, vel saltem prope talem fuisset, contractam fuisse immunditiem, quae septem dierum spatio elui, et expiari deberet, est Num. 19. v. 16. nec ei, qui in tali erat immunditie per septiduum, quo illa durabat, permissum erat intrare ad castra. Num. 31. v. 19.

24. *Urbem autem, et omnia, quae erant in ea, succenderunt absque auro, et argento, et vasis aeneis, ac ferro, quae in aerarium Domini consecrarunt.* 25. *Rahab vero meretricem, et do-*

mum patris eius, et omnia, quae habebat, fecit Josue vivere, et habitaverunt in medio Israel usque in praesentem diem, eo quod absconderit nuncios, quos miserat, ut explorarent Jericho. Rahab haec deinde nupsit Salmoni Matth. 1. v. 5. ex quo descendit, atque genus duxit David. Ipsum hunc Salmonem quidam suspicantur fuisse unum ex illis duobus exploratoribus, quos illa hospitio receperat, qui hanc illi deinde vicem pro praestito beneficio rependere voluerit. Sed mera haec tantum coniectura est, quod nullo aliquo documento demonstrari possit. Per hoc autem, quod haec mulier gentilis, et meretrix ad illam stirpem inserta sit, unde effloruit Christus; Origenes homilia 7. in Josue, et Theodoretus Quaest. 8. in hunc eumdem librum, adumbratam esse volunt gentilium, fornicatorumque cum falsis diis, nam idololatriam fornicationis nomine adpellari in Scriptura insvetum non est, ad fidem, et veram Jesu Christi Religionem conversionem. *In tempore illo imprecatus est Josue dicens: 26. maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit, et aedificaverit civitatem Jericho. In primogenito suo fundamenta illius iaciat, et in novissimo liberorum ponat portas eius.* Sub rege Achab 3. Reg. 16. v. 34. Jericho deinde quidam nomine Hiel de Bethel aedificare ausus est. Sed etiam maledictionem hanc incurrit. Nam, ut ibi citato Regum loco est: „In Abiram primitivo suo fundavit eam, et in Segub novissimo „suo posuit portas eius iuxta verbum Domini,

„ quod locutus fuerat in manu Josue filii Nun." Quod nimirum, cum urbis fundamenta iaceret primogenitus ipsius filius, vi istius maledictionis, et cum portas moenibus imponeret, filiorum eius ultimus sit morte multatus. De legatis, quos David ad Ammonitarum regem miserat, quos iste ignominiose tractaverat radendo ipsis dimidiam barbam, abscindendoque illis vestes, et seminudos remittendo, iussos esse a Davide manere in Jericho, donec barba illis succresceret, est 2. Reg. 10. v. 5. Hinc videri posset iam ante hunc Hielem etiam fuisse reaedificatam Jericho. Nempe poterant rusticae aliquae domus, et casae esse exstructae etiam iam ante, atque locus iste ab urbe, quae erat diruta, denominabatur: sed ut urbs iterum e suis ruderibus excitaretur, hoc tantum postea factum est ab Hiel. Et reipsa postea etiam, quam urbs haec reaedificata est, exstitisse in illius vicinia vicum etiam quemdam nomine eodem Jericho perspicitur ex Josepho de Bel. Jud. l. 5. c. 4. Iste ergo locus esse potuit, ubi legati Davidis, ne sine barba reverterentur, substiterunt. 27. *Fuit ergo Dominus cum Josue, et nomen eius vulgatum est in omni terra.*

CAPVT VII.

Furtum Achan ex anathemate. Fugantur Israelitae ab incolis oppidi Hai. De Achan sumitur supplicium.

1. *FILII autem Israel praevaricati sunt mandatum, et usurpaverunt de anathemate. Nam Achan*

filius Charmi, filii Zabdi, filii Zare de tribu Juda tulit aliquid de anathemate, iratusque est Dominus contra filios Israel. Unus tantum erat Achan, qui hoc fecerat, et tamen prius hoc sic positum fuit, quasi praevaricati fuissent plures: *Filii Israel praevaricati sunt mandatum.* Est ergo haec tropica loquendi ratio, quando factum aliquod, quod singulare est, et ab uno admissum, ita enunciatur, ut sonare videatur de pluribus. Fit hoc tum vulgo, cum res aliqua sic proponitur, ut auctor illius non exponatur nominatim, et societas tantum hominum designatur, ex qua ille est, tumque saepe nostra etiam consvetudine loquendi non societas nominatur, quamvis factum, quod memoratur, proprie unius, aut paucorum ex illa societate sit. Sic Matthaeus quoque cap. 26. v. 8. indignatos dicit esse discipulos, generaliterque de omnibus discipulis locutus est, quod mulier pretiosum ungventum super caput Christi effuderit, cum tamen unus tantum Judas hoc mulieris factum indigne tulerit, ut hoc, quod generaliter Matthaeus pronunciavit; speciatim explicuit alter Evangelista Joannes 12. v. 4. Sed hic, quod praevaricante uno Achan generatim sit positum praevaricatos esse filios Israel, et illa potest esse ratio, quod etiam ira Dei et poena ex illo Achani peccato se se diffuderit ad reliquos: non, quod sceleris illius reipsa essent conscii, sed quod poenam temporalem Deus nonnumquam extendat ad alios plures, sicut propter solius Davidis peccatum, cum populum suum numerari

iussisset, insontem etiam istius numerationis populum Deus peste punivit, atque septvaginta hominum millia ex eo delevit. 2. Reg. 24. v. 15. Quam cum sibi quaestionem etiam S. Augustinus Quaest. 8. in Josue proposuisset, hocque Dei factum, quo propter unius Achan peccatum, poenam irrogavit aliis etiam Israelitis, cum illa lege, quam ipse Deus etiam dederat Deut. 24. v. 25. ne filii pro parentibus plecterentur, contulisset; sic eam postea resolvit, ut hanc Deuteronomii legem doceat pertinere tantum ad homines, quibus iudiciorum potestas commissa est, ne aliquem pro altero puniant. ,, Dei autem iudicia, inquit, non sunt eius-,, modi, qui alto, et invisibili consilio suo novit, ,, quatenus extendat etiam temporalem hominum ,, poenam, salubremque terrorem. Non enim aliquid ,, dirum, quantum attinet ad universi mundi admi-,,nistrationem, contingit mortalibus, cum moriun-,, tur, quandoque morituri. Et tamen apud eos, ,, qui talia metuunt, disciplina sancitur, ut non se ,, solum quisque curet in populo; sed invicem sibi ,, adhibeant diligentiam, et tamquam unius corpo-,, ris, et unius hominis alia pro aliis sint membra ,, sollicita. Nec tamen credendum est etiam poenis, ,, quae post mortem irrogantur, alium pro alio pos-,, se damnari; sed in his tantum rebus hanc irroga-,, ri poenam, quae finem fuerant habiturae, etiamsi ,, non eo modo finirentur. Simul etiam ostenditur, ,, quantum connexa sit in populi societate ipsa uni-,, vercitas; ut non in seipsis singuli, sed et tanquam

„ partes in toto existimentur. Per unius igitur pec„catum, mortemque paucorum admonitus est po„pulus universus, tanquam in corpore universo, „quaerere, quod admissum est."

2. *Cumque mitteret Josue de Jericho viros contra Hai, quae est iuxta Bethaven ad orientalem plagam oppidi Bethel, dixit eis: adscendite, et explorate terram.* Eusebius, et S. Hieronymus de locis Hebraicis censuit Bethaven, et Bethel fuisse unum eundemque locum, sed tantum duplici hoc nomine compellatum, nimirum, cum iam ille locus antiquo nomine, a Jacobo patriarcha sibi imposito (Gen. 28. v. 19.) vocatus fuisset Bethel, atque ibi postea Jeroboam aureum constituisset vitulum (3. Reg. 12. v. 29.) cultus, et adorationis causa; qui locus antea Bethel, id est Domus Dei adpellabatur, e contrario per traductionem, atque derisionem idem deinde ab illis, quibus illa idololatria invisa erat, Bethaven, hoc est, Domus iniquitatis sit adpellatus. Sed tamen fuisse reipsa distincta loca, et ex isto praesenti loco, et praeterea ex capitis 18. versu 12. et 13. ubi rursus distincte nominantur Bethel, et Bethaven, intelligitur. *Qui praecepta complentes exploraverunt Hai,* 3. *et reversi dixerunt ei: non adscendat omnis populus, sed duo, vel tria millia virorum pergant, et deleant civitatem. Quare omnis populus frustra vexabitur contra hostes paucissimos?* 4. *Adscenderunt ergo tria millia pugnatorum, qui statim terga vertentes* 5. *percussi sunt a viris urbis*

Hai, et corruerunt ex eis triginta sex homines, persecutique sunt eos adversarii de porta usque ad Sabarim. Non videtur hoc nomen proprium esse cuiusdam loci, quod nusquam alibi recurrat, et ne Septvaginta illud pro proprio sumpserint, qui istud sic verterunt: καὶ συνέτριψαν αὐτοὺς *et contriverunt eos*, et talem eius, quod frangitur, quod deinde in partes dissilit, cui simile aliquid est in militibus, quando nullo ordine in fugam se vertunt, Hebraicum etiam vocabulum *Sabarim* significationem habet, ut adeo sensus iste videatur esse: quod persecuti eos Haienses a porta suae urbis sint usque dum eos frangerent, hoc est dispellerent. *Et ceciderunt per prona fugientes* Hebraice: *et percusserunt eos in declivi* (וַיַּכּוּם בַּמּוֹרָד) quod ad idem redit: tanquam vero omnes essent percussi hoc rursus positum est, cum qui percussi atque interfecti in fuga sunt, fuerint nonnisi sex et triginta, ea ratione loquendi, quae superius explicata est ad versum huius capitis primum. *Pertimuitque cor populi, et instar aquae liquefactum est.* 6. *Josue vero scidit vestimenta sua, et pronus cecidit in terram coram arca Domini usque ad vesperam tam ipse, quam omnes senes Israel, miseruntque pulverem super capita sua.* 7. *Et dixit Josue: heu, Domine Deus! quid voluisti traducere populum istum Jordanem fluvium, ut traderes nos in manus Amorrhaei, et perderes? Utinam, ut coepimus, mansissemus trans Jordanem.* 8. *Mi Domine Deus, quid dicam videns Israelem hostibus suis terga*

vertentem? 9. Audient Chananaei, et omnes habitatores terrae, et pariter conglobati circumdabunt nos, atque delebunt nomen nostrum de terra: et quid facies magno nomini tuo?

Quaestio hic solet institui, an in hac sua oratione a recto tramite non deflexerit Josue, quod istae illius voces: *Utinam, ut coepimus, mansissemus trans Jordanem*, similes sint illis, quibus Israelitae querebantur in deserto: „Utinam inquientes, mortui essemus in Aegypto, et in hac vasta solitudine utinam pereamus, et non inducat nos Dominus in terram istam, ne cadamus gladio, et uxores, ac liberi nostri ducantur captivi. Nonne melius est reverti in Aegyptum?" Num. 13. v. 3. et quibus Deus gravissime offensus est. Tota tamen ratio alia fuit verborum istorum Josue, et quibus Israelitae in deserto consurrexerunt adversus Deum. In illis diffidentia fuit erga Deum: desperarunt enim se posse obtinere regionem Chanaan, habueruntque de illa promissionem Dei, quin quidquam in ea re experti essent contrarium. At Josue illa verba non sic pronunciavit, quasi credidisset deesse Deo potentiam, qua superiores fierent hostibus, illisque devictis occuparent eorum regionem. Nam, qui suppliciter hoc a Deo petiit, ne hostibus suis succumberent; profecto agnovit hanc in Deo esse potestatem. Neque enim ab eo peteret, quem crederet praestare id, quod petebat, non posse. Cum tamen adversum casum, et cladem ab hostibus esset expertus, erat clarum, Deum se ab Israelitis subtra-

xisse, nec vero, dum in ista derelictione se videbat esse, vel recte credidisset, se etiam sic absque Deo posse superiores esse hostibus. Quid igitur? Nempe ipse illius habitus poenitentiae, cum se prosterneret scissis vestibus, spargendoque pulverem super caput coram Deo, declarabat in se, cur ab hostibus calamitatem acceperint, causam conferre, non in Deum; tantum abest, ut movere querimoniam voluerit adversus Deum. Se accusavit, non Deum. Non dubitavit, quidquid illud esset, cur illos Deus permiserit vinci ab hostibus, non esse ex infirmitate Divinae potentiae, aut illius promissionum imbecillitate, sed debere esse aliquam suam culpam. Cum ergo se res ita haberet, atque videret Deum se non habere sibi propitium; explicat desiderium, si saltem trans Jordanem, ubi duorum regum a se devictorum regionem iam incolere coeperunt, Deus illis habitationem concessisset, ibique illos permisisset. Nec haec indignitas aliqua est erga Deum, cum se Josue reputans indignum maiore Dei beneficio, voluntatem explicat illius saltem impetrandi ab eo, quod illo altero minus est. Et tamen etiam sic nihilominus se erexit ad fiduciam erga magnum Dei nomen. *Et quid facies*, inquit, *magno Nomini tuo?* Orat, ut vel saltem propter se Deus, et magnum suum nomen, ne forte in despectum veniret hostibus; si Israelitas, quorum Deus esset, sineret vinci ab illis, ipsos suo favore, et auxilio non destituat. Submissionis potius, et agnitionis Divinae magnitudinis plena haec fuit Josue

sue ad Deum oratio; quam, ut contrarium aliquid haberet. Quamobrem neque Deus, qui Israelitis, dum illa dixerunt, quibus murmuraverunt contra eum, supplicium irrogavit, sed ne Moysis illam quidem levem aliquam dubitationem de eliciendis aquis ex petra impune permisit; offensus ista oratione ab Josue est, sed potius placabilem se illi exhibuit.

10. *Dixitque Dominus ad Josue: surge, cur iaces pronus in terra?* 11. *Peccavit Israel, et praevaricatus est pactum meum, tuleruntque de anathemate, et furati sunt, atque mentiti, et absconderunt inter vasa sua.* Inter pacti, et Divini foederis leges etiam illa erat de re, quae Deo esset consecrata, non abstrahenda Levit. 27. v. 28. Itaque violato anathemate ipsum quoque violabatur Dei foedus, et pactum. Achan, qui res aliquas ex anathemate subduxerat, nondum in quaestionem fuit vocatus, cum ne sciretur quidem adhuc, quis ille, qui hoc fecit, esset. Mentitus vero dicitur esse: nimirum id, quod ad Dei aerarium inferri debuisset, denegando, sibique servando. Erat igitur hoc eius mendacium situm in actione, non in locutione. 12. *Nec poterit Israel stare ante hostes suos, eosque fugiet, quia pollutus est anathemate. Non ero ultra vobiscum, donec conteratis eum, qui huius sceleris reus est.* 13. *Surge, sanctifica populum, et dic eis: sanctificamini in crastinum:* sanctificari poni solere pro praeparare iam etiam ad huius libri capitis 3. v. 5. demonstratum est. *Haec enim*

dicit Dominus Deus Israel: anathema in medio tui est Israel. Non poteris stare coram hostibus tuis, donec deleatur ex te, qui hoc contaminatus est scelere. 14. *Accedetisque mane singuli per tribus vestras, et quamcumque tribum sors invenerit, accedet per cognationes suas, et cognatio per domos, domusque per viros.* 15. *Et quicunque ille in hoc facinore fuerit deprehensus, comburetur igni cum omni substantia sua, quoniam praevaricatus est pactum Domini, et fecit nefas in Israel.*

16. *Surgens itaque Josue mane applicuit Israel per tribus suas, et inventa est tribus Juda.* 17. *Quae cum iuxta familias suas esset oblata, inventa est familia Zare. Illam quoque per domos offerens reperit Zabdi.* 18. *Cuius domum in singulos dividens viros invenit Achan filium Charmi filii Zabdi, filii Zare de tribu Juda.* 19. *Et ait Josue ad Achan: fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, et confitere, atque indica mihi, quid feceris, ne abscondas.* 20. *Responditque Achan Josue, et dixit ei: vere ego peccavi Domino Deo Israel, et sic, et sic feci.* 21. *Vidi enim inter spolia pallium coccineum valde bonum, et ducentos siclos argenti, regulamque auream quinquaginta siclorum, et concupiscens abstuli, et abscondi in terra contra medium tabernaculi mei, argentumque fossa humo operui.* Pallium coccineum Hebraice: *Pallium Schinear* (Babylonicum) אַדֶּרֶת שִׁנְעָר Septvaginta verterunt ψιλὴν ποικίλην *vestem versi-*

colorem. Pro regula est in Hebraeo *lingva*, (לָשׁוֹן) ut hoc etiam Septvaginta Graece γλῶσσαν verterunt. Quare infectum hoc aurum videtur fuisse, formam lingvae referens: quod tum adhuc aurum, atque etiam argentum solo tantum pondere aestimabatur. Siclum tantum valuisse pondere, quantum duae tertiae partes nostri floreni iam saepe dictum est.

22. *Misit ergo Josue ministros, qui currentes ad tabernaculum illius repererunt cuncta abscondita in eodem loco, et argentum simul.* 23. *Auferentesque de tentorio tulerunt ea ad Josue, et ad omnes filios Israel, proiecerunique ante Dominum.* 24. *Tollens itaque Josue Achan filium Zare, argentumque, et pallium, et auream regulam, filios quoque, et filias eius, boves, et asinos, et oves, ipsumque tabernaculum, et cunctam supellectilem, et omnis Israel cum eo, duxerunt eos ad vallem Achor.* 25. *Ubi dixit Josue: quia turbasti nos, exturbet te Dominus in die hac. Lapidavitque eum omnis Israel, et cuncta, quae illius erant, igne consumpta sunt.* Supra versu huius capitis 15. Deus mandatum dedit Josue, ut, qui in hoc facinore fuisset comprehensus, combureretur cum tota sua substantia. At vero modo Achan dicitur fuisse lapidatus, cuncta autem, quae illius erant igne consumpta. In his vero rebus, quae illius erant, superiore versu recensentur etiam filii, et filiae illius, quos etiam Josue omnes ad supplicium duxerit. Ex quo illud sequeretur, non tantum Josuam Dei mandatum de genere supplicii,

quoad Achanum, non observasse, sed filios illius, et filias graviore, et atrociore ignis supplicio esse peremptos, quam parentem; qui tamen maxime esset reus. Imo fortasse illius liberi ne quidem fuerint rei, et certe quidem, si qui inter eos iufantes fuerunt, et immatura ad peccandum aetate. In Hebraeo est hoc sic, ut non tantum Achan, sed etiam illius liberi intelligantur prius fuisse lapidati, deinde vero combusti. Sic enim est: *Et lapidaverunt eum totus Jsrael lapide, et cremarunt eos in igne, et lapidaverunt eos lapidibus* (וַיִּשְׂרְפוּ אֹתָם בָּאֵשׁ וַיִּסְקְלוּ אֹתָם בָּאֲבָנִים) Primoque de Achan est positum, esse lapidatum, deinde autem de illius liberis, nisi quod ordo in narratione servatus non sit. Facile enim perspicitur istos quoque prius esse lapidatos, deinde combustos. Neque enim in illorum profecto cineres lapidatio instituta est. Quare Syrus hoc sic vertit: *Obrueruntque eum lapidibus universus Israel, ipsum, et quidquid eum attinebat, et combusserunt eos igne.* Et Arabs: *Et lapidaverunt eum omnes filii Israel lapidibus ipsum, et filios eius, et bona illius, et combusserunt eos igni, et obruerunt eos lapidibus.* Quoniam autem certe tenax mandati Josue fuit, quod accepit a Deo de irrogando hocce supplicio; sequitur illud ipsum de igne sic fuisse illi a Deo imperatum; ut, postquam sontes essent lapidati, tantum illorum cadavera una cum omni illorum supellectili igni traderentur. Quod iam ad illam partem attinet, qualinam aequitate cum Achano affici supplicio illius etiam potuerint

liberi; primum, si paterni criminis illi etiam erant conscii, et participes, ut si illum adiuverunt, vel factum parentis sua etiam voluntate adprobaverunt; mirum certe non est, si idem etiam cum parente supplicium tulerunt: si autem aliquae tales ipsius proles fuerunt, quae vel consciae non fuerunt, vel in quas ne cadere adhuc peccatum potuit propter infantiam, immaturitatemque aetatis; tum res se haec ita tenebit, quemadmodum illa de interfectis triginta sex viris, qui etiam propter hoc peccatum Achan caesi sunt in praelio ab Haiensibus. Neque enim, ut ibi demonstratum est, adversus Dei iustitiam est, si temporalem poenam etiam extendat ad eos, qui peccatum non admiserunt, propter quod poenam illam Deus inflixit, et si debitum moriendi repetat, cum ius illud repetendi semper habeat. Quin docet S. Augustinus Quaest. 9. in Josue si poenam moriendi acceleret apud aliquos Deus, in eo non modo duri esse nihil, sed esse etiam Dei misericordiam, si dum illos propterea rapit, ne malitia mutet intellectum eorum. „Mors „quippe, ista, ait, quae omnes manet, quam„vis de primo peccato veniat; tamen, quia ita „nati sumus, ut necessario moriendum sit, acce„lerata quibusdam est utilis. Raptus est, ne ma„litia mutaret intellectum eius. (Sap. 4. v. 11.) „Quo ergo iudicio Dei, vel misericordia mors „fuerit irrogata sive filiis eius, sive illis trigin„ta sex viris, cum omnes ab eius peccato alieni „fuerint; latet apud eum, apud quem non est ini-

„ quitas. “ 26. *Congregaveruntque super eum acervum magnum lapidum, qui permanet usque in praesentem diem. Et aversus est furor Domini ab eis. Vocatumque est nomen loci illius Vallis Achor usque hodie.* Sic vallis haec adpellata est, quod ibi Achan, cum Israelem turbasset, ipse etiam turbatus, ex vitaque exturbatus sit. Nam Hebraicum vocabulum Achor significat turbationem.

CAPVT VIII.

Urbem Hai Israelitae in suam potestatem redigunt. Peraguntur in monte Hebal benedictiones, et maledictiones.

1. *DIXIT autem Dominus ad Josue: ne timeas, neque formides. Tolle tecum omnem multitudinem pugnatorum, et consurgens adscende in oppidum Hai. Ecce tradidi in manu tua regem eius, et populum, urbemque, et terram.* 2. *Faciesque urbi Hai, et regi eius, sicut fecisti Jericho, et regi illius: praedam vero, et omnia animantia diripietis vobis. Pone insidias urbi post eam.* Insidiae militares, et stratagemata aliquid videntur habere fictum, subdolum, paratumque ad fallendum adversarium. Quod autem dirigitur ad fallendum alterum, est simile mendacio. Quod ex natura sua ita est malum, ut nullo aliquo colore cohonestari, et fieri bonum possit. Quomodo igitur Deus nihilominus mandatum de ponendis insidiis dat? Omnino si stratagemata in bellis essent mendacia, Deus de illis mandatum aliquod da-

re non potuit. Culpa enim in illum redundaret, tanquam in auctorem, quod esse non potest. Est autem in illis nihil aliud, quam tectum consilium, et talis ratio agendi, de qua cavetur, ne illam adversarius perspiciat, et qua ille ad periculum, infestumque sibi eventum, veluti fera, aut avis in laqueos, et casses inducitur. Mendacio autem contraria virtus, et veracitas minime exigit, ut hosti consilia pandantur, aut, ut ubi ipsi periculum struitur, demonstretur. „Cum iustum bellum, ait S. „Augustinus Quaest. 10. in Josue, quis susceperit; „utrum aperta pugna, an insidiis vincat; nihil ad „iustitiam interest.“ Itaque cum postea Josue insidiis praevie ex alio urbis latere positis, ipse alia parte impetum fecisset in oppidum Hai, hostesque ex oppido adversus eum erupissent, atque fugere deinde ab illis instituisset; fecit istud eo consilio, ut primum extra moenia hostem longius eliceret; deinde, ut illa manus, quam in insidiis posuit, vacuam a propugnatoribus urbem nacta occuparet. Cumque haec esset capta, hosti, qui se sequeretur, non tantum repentinum metum adferret; sed etiam, ut, cum illum utrinque suo cinxisset exercitu, ille evadendi facultatem nullam haberet. Si cum Josue cessit, et in contrariam partem regredi instituit; hostes hoc illum facere putaverunt ex metu; haec illorum culpa fuit, quod, quo consilio illud ab eo fieret, non perspexerint. Neque vero debet, dux, quid quo consilio agat, hosti aperire, quamvis prospiciat deceptum illum iri. Neque vero etiam,

quem iusto bello appetit, et cuius exitium quaerit; de hoc, ne in discrimen, et periculum incidat, debet laborare.

3. *Surrexitque Josue, et omnis exercitus bellatorum cum eo, ut adscenderent in Hai, et electa triginta millia virorum fortium misit nocte.*
4. Praecepitque eis dicens: ponite insidias post civitatem, nec longius recedatis, et eritis omnes
parati. 5. Ego autem, et reliqua multitudo, quae mecum est, accedemus ex adverso contra urbem. Cumque exierint contra nos; sicut ante fecimus, fugiemus, et terga vertemus, 6. donec persequentes ab urbe longius protrahantur. Putabunt enim nos fugere, sicut prius. 7. Nobis ergo fugientibus, et illis persequentibus consurgetis de insidiis, et vastabitis civitatem, tradetque eam Dominus Deus vester in manus vestras. 8. Cumque coeperitis, succendite eam, et sic omnia facietis, ut iussi. 9. Dimisitque eos, et perrexerunt ad locum insidiarum, sederuntque inter Bethel, et Hai, ad occidentalem plagam urbis Hai. Josue autem nocte illa in medio mansit populi. 10. Surgensque diluculo recensuit socios, et adscendit cum senioribus in fronte exercitus, vallatus auxilio pugnatorum. 11. Cumque venissent, et adscendissent ex adverso civitatis, steterunt ad Septemtrionalem urbis plagam, inter quam, et eos erat vallis media. 12. Quinque autem millia viros elegerat, et posuerat in insidiis inter Bethel, et Hai ex occidentali parte eiusdem civitatis. Supra versu 9. est

triginta millia, quae noctu a Josue erant praemissa (versu 3.) consedisse in insidiarum loco, in occidentali urbis parte inter Bethel, et Hai. Nimirum ex illo triginta millium numero quinque tantum haec millia proprie in insidiis erant collocata propius ad urbem, ut cum Haienses persequendi causa ex alia parte urbis eruptionem fecissent; haec protinus in urbem irrumperent, et quam manum deinde reliqui ad eam urbis partem dispositi, et nocte praemissi sequerentur, urbemque caperent, et incenderent, atque postea in hostem, qui ex urbe erat egressus, a tergo incurrerent; cumque se Josue quoque in hostem convertisset; ille ex utraque parte ante, et retro impugnatus evadere non posset, sed concideretur.

13. *Omnis vero reliquus exercitus ad Aquilonem aciem dirigebat, ita ut novissimi illius multitudinis occidentalem plagam urbis attingerent. Abiit ergo Josue nocte illa, et stetit in vallis medio.* 14. *Quod cum vidisset rex Hai, festinavit mane, et egressus est cum omni exercitu civitatis, direxitque aciem contra desertum ignorans, quod post tergum laterent insidiae.* 15. *Josue vero, et omnis Israel cesserunt loco, simulantes metum, et fugientes per solitudinis viam.* 16. *At illi vociferantes pariter, et se mutuo cohortantes persecuti sunt eos. Cumque recessissent a civitate,* 17. *et ne unus quidem in urbe Hai, et Bethel remansisset, qui non persequeretur Israel; sicut eruperant aperta oppida relinquentes,* 18. *dixit Do-*

minus ad Josue: leva clypeum, qui in manu tua est, contra urbem Hai, quoniam tibi tradam eam. 19. *Cumque elevasset clypeum ex adverso civitatis; insidiae, quae latebant, surrexerunt confestim, et pergentes ad civitatem ceperunt, et succenderunt eam.* 20. *Viri autem civitatis, qui persequebantur Josue, respicientes, et videntes fumum urbis ad caelum usque conscendere, non potuerunt ultra huc, illucque diffugere, praesertim cum hi, qui simulaverant fugam, et tendebant ad solitudinem, contra persequentes fortissime restitissent.* 21. *Vidensque Josue, et omnis Israel, quod capta esset civitas, et fumus urbis adscenderet, reversus percussit viros Hai:* 22. *siquidem et illi, qui ceperant, et succenderant civitatem egressi ex urbe contra suos,* opposita tantum pars intelligitur, qua hi etiam impetum in hostem fecerint, *medios hostium ferire coeperunt. Cum ergo ex utraque parte adversarii caederentur, ita ut nullus de tanta multitudine salvaretur:* 23. *Regem quoque urbis Hai apprehenderunt viventem, et obtulerunt Josue.* 24. *Igitur omnibus interfectis, qui Israelem ad deserta tendentem fuerant persecuti, et in eodem loco gladio corruentibus reversi filii Israel percusserunt civitatem.* 25. *Erant autem, qui in eodem die conciderant a viro usque ad mulierem duodecim millia hominum omnes urbis Hai.* Dum Haienses ex oppido suo contra Israelitas eruptionem fecissent; dicuntur supra versu 17. idem quoque tum incolae urbis Bethel adversus

eosdem Israelitas fecisse, duarumque harum civitatum exercitum ad pugnandum contra Israelitas eodem tempore processisse. Nulla tamen postea de his Bethelitis, vel quod in praelio hoc essent caesi, vel, quod oppidum ipsorum esset occupatum, fit mentio in tota hac descriptione istius pugnae. Itaque hoc sic videtur factum ab illis esse, ut tantummodo etiam eruperint, cum vidissent hoc iam esse factnm ab Haiensibus, atque Israelitas ad eorum eruptionem conspicati essent in fugam versos, quo ad persequendum communem hostem tanto magis praevalerent, in societatemque huius victoriae venirent. Cum vero observassent illam Israelitarum manum, quae in insidiis posita erat, quod sic debuit accidere, cum inter Bethel, et Hai dispositae illae insidiae fuerint, eventumque belli facile subodorati fuissent ex tali Israelitici exercitus insidiosa dispositione; illos se se in oppidum suum retraxisse, atque a persequendis Israelitis abstinuisse. Postea tamen et ipsi internecione deleti sunt. Nam infra cap. 12. v. 16. rex Bethel recensetur ipse etiam inter Chananaeae reges, qui ab Israelitis interfecti sunt, et quorum regionem in suam potestatem redegerunt.

26. *Josue vero non contraxit manum, quam in sublime porrexerat tenens clypeum, donec interficerentur omnes habitatores Hai.* Quod cum incipere debebat praelium, et conflictus, Deus iusserit Josuam elevare clypeum contra urbem Hai, huncque deinde manu in altum erecta Josue sem-

per tenuerit, donec universi hostes essent interfecti, et peractus totus conflictus; perspicitur hic simile quiddam etiam accidisse, quod factum est, dum Israelitae pugnassent adversus Amalecitas Exod. 17. v. 11. quando ad manum Moysis cum baculo in altum protensam victoria illis contra hostem a Deo concessa est, adeo, ut si lassitudine deficeret manus Moysis, hostes illico superiores esse inciperent. Quae ergo typica istius rei ratio ibi fuit; illa hic quoque videtur fuisse. Neque enim minus Josue, quam Moyses, typum Christi gessit, quorum alter eduxit ex servitute Aegyptiaca Israeliticum populum, alter vero introduxit ad terram promissam. Et quis est Imperator noster, sub cuius signis Christiani militamus, ut hoste devicto ad caelestem patriam perveniamus? „Deo autem gratias, ait S. „Paulus 1. Cor. 15. v. 57. qui dedit nobis victoriam „per Dominum nostrum Jesum Christum.“ 27. *Jumenta autem, et praedam civitatis diviserunt sibi filii Israel, sicut praeceperat Dominus Josue.* 28. *Qui succendit urbem, et fecit eam tumulum sempiternum.* 29. *Regem quoque eius suspendit in patibulo usque ad vesperam, et solis occasum. Praecepitque Josue, et deposuerunt cadaver eius de cruce, proieceruntque in ipso introitu civitatis congesto super eum magno acervo lapidum, qui permanet usque in praesentem diem.*

30. *Tunc aedificavit Josue altare Domino Deo Israel in monte Hebal,* 31. *sicut praeceperat Moyses famulus Domini filiis Israel, et scriptum*

est in volumine legis Moysi (Deut. 27. v. 5.) *Altare vero de lapidibus impolitis, quos ferrum non tetigit, et obtulit super eo holocausta Domino, immolavitque pacificas victimas.* 32. *Et scripsit super lapides Deuteronomium legis Moysi, quod ille digesserat coram filiis Israel.* 33. *Omnis autem populus, et maiores natu, ducesque, ac iudices stabant ex utraque parte arcae in conspectu sacerdotum, qui portabant arcam foederis Domini, ut advena, ita et indigena. Media pars eorum iuxta montem Garizim, et media iuxta montem Hebal, sicut praeceperat Moyses famulus Domini.* Citati ex Deuteronomio capitis 27. versu 12. tribus ipsae designantur, quaenam in monte Garizim, et quae in monte Hebal stare debuerint. In monte Hebal altare erat erectum, lapidesque erant constituti, in quibus descripta erat lex Deuteronomii, ibique praeterea victimae immolatae sunt. Arca, ubi adcurate steterit, non dicitur clare, nisi quod totus populus ex utraque parte arcae dictus sit constitisse modo ab Josue, in conspectuque sacerdotum. Sacerdotes igitur erant cum arca. Cumque sacerdotum fuerit sacrificare, sacrificiaque fierent Deo, qui repraesentabatur per arcam; consequitur arcam quoque fuisse in monte Hebal constitutam: ubi, uti nunc sacrificaretur, erat imperatum. Levi autem tribus collocata fuit super montem Garizim, atque Levitae pronunciarunt tam benedictiones primum, quam maledictiones postea: respondente ad benedictiones ea parte multitudinis, quae

in Garizim erat, et altera, quae in monte Hebal, ad maledictiones ista voce: Amen. Isto vero tali adparatu et caerimonia, qua benedictiones hae, et maledictiones pronunciabantur, quin typice aliquid gestum sit, profecto dubium esse non potest. Quid ergo illud esse potuit? Quid per montem Hebal, ubi altare, et Deuteronomium lapideum, ubi arca et sacerdotes stabant, designabatur aliud, quam Synagoga Veteris Testamenti? Cumque ii, qui in hoc monte starent ad maledictiones responderint: Amen, quid hoc aliud denotabat, quam maledictum legis, ut illud S. Paulus adpellat ad Galatas 3. v. 13. sub quo erant in Veteri Testamento? At, qui in monte Garizim ab arca longius stabant, et separati ab altari, ab sacerdotibus, ab lege, quae in lapidibus erat descripta, atque erecta, et ab omni illo cultu Religionis, qui tum in altero monte fiebat; hi non tantum ad benedictiones, quae in eodem, ubi ipsi stabant, monte pronunciabantur, viciniores erant, sed illas etiam, respondendo: Amen, confirmabant, sibique eas adplicabant. Quod rursus profecto non aliud designabat, quam quod de iis, qui in novi Testamenti futuri essent Ecclesia scripsit Paulus ad Ephesios 2. v. 11. „Vos, inquit, gen„tes, eratis sine Christo, alienati a conversatione „Israel, et hospites testamentorum promissionis „spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo: „nunc autem in Christo Jesu vos, qui aliquando „eratis longe, facti estis prope in sangvine Chri„sti.“ Nimirum Vetus tum, et nova Ecclesia Chri-

sti illa ratione, admodum eleganter, adumbrabatur. *Et primum quidem benedixit populo Israel.* 34. *Post haec legit omnia verba benedictionis, et maledictionis, et cuncta, quae scripta erant in legis volumine.* 35. *Nihil ex his, quae Moyses iusserat, reliquit intactum, sed universa replicavit coram omni multitudine Israel, mulieribus, ac parvulis, et advenis, qui inter eos morabantur.*

CAPVT IX.

Gabaonitae astu pacem impetrant ab Israelitis.

1. *QVIBVS auditis*, praeliis videlicet ab Josue, postquam interposita est commemoratio de peractis benedictionibus, et maledictionibus, reditur ad coeptam de bellicis expeditionibus Josue narrationem, *cuncti reges trans Jordanem, qui versabantur in montanis, et campestribus, in maritimis, ac litore maris magni, hi quoque, qui habitabant iuxta Libanum: Hethaeus, et Amorrhaeus, Chananaeus, Pherezaeus, et Hevaeus, et Jebusaeus* 2. *congregati sunt pariter, ut pugnarent contra Josue, et Israel uno animo, eademque sententia.* In citeriore parte Jordanis erant iam tum Josue, et Israelitae, in eademque parte nationes istae erant, cum quibus modo bella gerebant. Jam alias demonstratum est vocem Hebraicam *Eber*, quae hic pro praepositione Latina posita in Hebraeo est, utrumque, et iam trans, iam citra significare.

3. *At hi, qui habitabant in Gabaon audientes cuncta, quae fecerat Josue Jericho, et Hai,* 4. *et callide cogitantes tulerunt sibi cibaria, saccos veteres asinis imponentes, et utres vinarios scissos, atque consutos,* 5. *calceamentaque perantiqua, quae ad indicium vetustatis pittaciis consuta erant:* pittacium proprie est frustum panni medicamento illitum, quodque, ut apud Celsum l. 3. c. 10. est, supra pectus, vel caput, cum dolet, levandi doloris causa poni solitum esset: Hoc igitur hic sumitur pro plicis, quibus simulandae vetustatis gratia Gabaonitae consutos habuerunt calceos: *induti veteribus vestimentis, panes quoque, quos portabant ob viaticum, duri erant, et in frusta comminuti.* Istud: in frusta comminuti, Hebraice est: *Nikküdim* (נִקֻּדִים) quod significat punctatum, et maculis adspersum. Quamobrem mucedinem in pane significat. 6. *Perveneruntque ad Josue, qui tunc morabatur in castris Galgalae, et dixerunt ei, atque simul omni Israeli: de terra longinqua venimus pacem vobiscum facere cupientes. Responderuntque viri Israel ad eos, atque dixerunt:* 7. *ne forte in terra, quae nobis sorte debetur, habitetis, et non possimus foedus inire vobiscum.* 8. *At illi ad Josue: servi, inquiunt, tui sumus. Quibus Josue ait: quinam estis vos, et unde venistis?* 9. *Responderunt: de terra longinqua valde venerunt servi tui in nomine Domini Dei tui* Hebraice *ad nomen* (לְשֵׁם) hoc est ad famam, et quae audivissent de Deo ipsorum, quantas nimirum res

ipsorum

ipsorum causa egerit. *Audivimus enim famam potentiae eius, cuncta, quae fecit in Aegypto,* 10. *et duobus regibus Amorrhaeorum, qui fuerunt trans Jordanem, Sehon regi Hesebon, et Og regi Basan, qui erant in Astaroth.* Civitas haec erat una ex ditione regis Og, ut est apud Eusebium de Locis Hebraicis.

11. *Dixeruntque nobis seniores, et omnes habitatores terrae nostrae: tollite in manibus cibaria ob longissimam viam, et occurrite eis, et dicite: servi vestri sumus, foedus inite nobiscum.* 12. *En panes, quando egressi sumus de domibus nostris, ut veniremus ad vos, calidos sumpsimus, nunc sicci facti sunt, et vetustate nimia comminuti.* 13. *Utres vini novos implevimus, nunc rupti sunt, et soluti; vestes, et calceamenta, quibus induimur, et quae habemus in pedibus, ob longitudinem longioris viae trita sunt, et paene consumpta.* 14. *Susceperunt igitur de cibariis eorum, et os Domini non interrogaverunt.* Susceperunt, hoc est *sumpserunt* (וַיִּקְחוּ) ex illorum cibis Israelitae, sive, ut inde indicium caperent, quam in dissita regione habitarent, sive etiam foederis sanciendi gratia. Erat enim antiquitus in more, ut foedera epulis, et cibi communione sancirentur in signum mutuae benevolentiae, ut Genesis cap. 26. v. 30. et cap. 31. v. 54. sunt istius rei exempla. 15. *Fecitque Josue cum eis pacem, et inito foedere pollicitus est, quod non occiderentur, principes quoque multitudinis iuraverunt eis.* 16. *Post dies*

autem tres initi foederis audierunt, quod in vicino habitarent, et inter eos futuri essent. 17. *Moveruntque castra filii Israel, et venerunt in civitates eorum die tertio, quarum haec vocabula sunt: Gabaon, et Caphira, et Beroth, et Cariathiarim.* 18. *Et non percusserunt eos, eo quod iurassent eis principes multitudinis in nomine Domini Dei Israel. Murmuravit itaque omne vulgus contra principes Israel.* 19. *Qui responderunt eis: iuravimus illis in nomine Domini Dei Israel, et idcirco non possumus eos contingere.* 20. *Sed hoc faciemus eis: reserventur quidem, ut vivant, ne contra nos ira Domini concitetur, si peieraverimus.* 21. *Sed sic vivant, ut in usus universae multitudinis, ligna caedant, aquasque comportent. Quibus haec loquentibus* 22. *vocavit Gabaonitas Josue, et dixit eis: cur nos decipere fraude voluistis, ut diceretis: procul valde habitamus a vobis, cum in medio nostri sitis?* 23. *Itaque sub maledictione eritis, et non deficiet de stirpe vestra ligna caedens, aquasque comportans in domum Dei mei.* Maledictio Josue haec eo spectabat, ut Gabaonitae perpetui essent servi. Quod cum Josue ipse per se illis explicuit; tum mos iste imprecandi, ut quibus imprecatio fieret, servituti addicerentur; intelligitur ex illa etiam maledictione, quam Noe pronunciavit adversus Chanaan. „Maledictus, inquit, Chanaan, servus servorum erit fratribus suis" Gen. 9. v. 25. ex contrariaque consvetudine benedicendi, ut et ibi, in modo citato loco, de Sem, et

Japhet est, atque, ut ipse Jacob quoque, cum ei Isaac pater benedixisset, fratrum, et populorum dominus constitutus est. Gen. 27. v. 29.

24. *Qui responderunt: nunciatum est nobis servis tuis, quod promisisset Dominus Deus tuus Moysi servo suo, ut traderet vobis omnem terram, et disperderet cunctos habitatores eius. Timuimus igitur valde, et providimus animabus nostris, vestro terrore compulsi, et hoc consilium inivimus.* 25. *Nunc autem in manu tua sumus, quod tibi bonum, et rectum videtur, fac nobis.* Quaedam in hoc Josue, et Israelitarum erga Gabaonitas facto ab Interpretibus disputantur: primo, validumne fuerit iuramentum, quod illi Gabaonitis praestiterunt, cum rationes ipsorum, quibus Israelitarum principes ad iurandum inducti sunt, falsae fuerint; deinde valerene potuerit foedus, quod Josue cum illis iniit, cum aperte hoc vetitum esset a Deo, ne foedus, et pacem cum ullis Chananaeis facerent Deut. cap. 7. v. 2. et cap. 20. v. 16. Quaestionem hanc utramque explicabo breviter, et cum Interpretes alii in hanc, alii in alteram partem concedant; ego mediam quamdam viam inibo, ut ostendam illud iuramentum, et foedus nec integre valuisse, nec penitus non valuisse, atque hanc talem ipsius etiam Josue agendi rationem quoad observantiam istius iuramenti, et foederis fuisse. Nam omnino Josue comperta Gabaonitarum falsitate partem illius foederis servavit, partem non servavit. Promisit illis, versu quinto, ne interficerentur, hocque

illis praestitum est. Vi foederis permitti illis debuissent civitates, iura, leges: siquidem Deus Deuter. 20. v. 10. Israelitis praeceptum dederat, ut civitates, si quae ab illis pacem peterent, et si essent extra Chananaeam sitae, intactas relinquerent, et tantummodo tributum ab illis exigerent. Quali conditione censendi sunt Israelitae consensisse ad foedus faciendum cum Gabaonitis, quos procul alicubi, et extra fines Chananaeae habitare putaverant, quod, nisi ita sibi persvasissent, ne foedus quidem ullum cum illis fecissent. At vero ipsos servituti subiecit Josue: deinde nec propriae illis civitates permissae sunt. Nam ex quatuor ipsorum civitatibus, quae supra versu 17. enumeratae sunt, Gabaon, praecipua ipsorum urbs, cessit Levitis in possessionem infra cap. 21. v. 17. et ad sortem tribus Benjamin una cum Caphira, et Beroth relata est infra capitis 18. v. 25. Cariathiarim vero tribui Juda collata est, infra cap. 15. v. 60. Cumque suas civitates amiserint; consequens est, ipsos, tanquam servitiis mancipatos habitationis causa, fuisse per alias civitates distributos, omniumque probabilissime per civitates Levitarum, quorum proprie essent servi, quibus ad ministerium templi, et sacrificiorum ligna, atque aquam deberent comportare. Quo ergo valuerit foedus hoc, atque iuramentum, istud fuit, ne scilicet, prout aliae Chananaeae gentes, ipsi quoque ab Israelitis exscinderentur, et delerentur. Ad hoc autem servandum illis vim, et obligationem foedus atque iuramentum illud, quod ipsis

dederunt, habuit. Nam, ne Chananaeas quidem gentes, nisi repugnavissent, debuisse occupatis illorum regionibus interfici, inde deducitur, quod infra cap. 11. v. 20. ita dicatur de illis: „Domini „enim sententia fuerat, ut indurarentur corda eo„rum, et pugnarent contra Israel, et caderent, et „non mererentur ullam clementiam, ac perirent.“ Ergo aliae etiam Chananaeae nationes, si Israelitis arma non opposuissent; sed se illorum voluntati permisissent; poterant a caede servari immunes. Quod cum, quoad hanc partem Gabaonitae sincere erga Israelitas fecerint, atque eorum gratiam, et benevolentiam quaesiverint; etiam iuramentum, quod Josue, et Israelitarum principes illis dederunt, valuit, Israelitasque obligavit quoad Gabaonitarum in vita conservationem: idque tanto magis, quod illud ratum ipse etiam habuerit Deus. Nam cum postea Saul praepostero studio suae nationis Gabaonitas, inter Israelitas habitantes, afflixisset, grassatusque per eorum caedes fuisset; immisit Deus Israelitis famem, quae duravit annos tres, nec prius cessavit, quam Gabaonitis a Davide sangvine, et supplicio posterorum Saulis fuisset satisfactum. 2. Reg. 21. v. 1. Qua ratione, credo, intelligitur, nec Josuam habuisse illud validum foedus, quod alterius partis mala fide, et conditionibus, de quibus sibi Israelitae aperte cavissent versu 7. *Ne forte, dicentes, in terra, quae nobis sorte debetur, habitetis, et non possumus foedus inire vobiscum;* et tamen ex ea parte valuisse, qua

etiamsi clare, et absque illis technis ipsorum benevolentiam quaesivissent, illam concedere Josue potuisset. Postquam autem illam interposito etiam iuramento concessit; iuramenti huius etiam religionem intervenisse, ut nocere iam illis in vita non posset. 26. *Fecit ergo Josue, ut dixerat, et liberavit eos de manu filiorum Israel, ut non occiderentur.* 27. *Decrevitque in illo die eos esse in ministerio cuncti populi, et altaris Domini caedentes ligna, et aquas comportantes usque in praesens tempus in loco, quem Dominus elegisset.* Quod servitium in caedendis lignis, comportandisque aquis ad sacrificia praestare debuerunt Gabaonitae; idem hoc ministerium vocatur cuncti populi: in cuius nimirum locum ipsi haec erga Dei tabernaculum, et templum munia subirent.

CAPVT X.

Cum rex Jerusalem cum aliis quatuor sibi confoederatis regibus Gabaonitas adortus fuisset, quod se Israelitis subdidissent, et Josue in auxilium illis venisset, lapidibus etiam e caelo decidentibus prosternuntur hostes, et sol, atque luna etiam consistunt ad imperium Josue, ne citius occumberent, quam perpetrata esset victoria.

1. *QVAE cum audisset Adonisedec rex Jerusalem, quod scilicet cepisset Josue Hai, et subvertisset eam, sicut enim fecerat Jericho, et regi*

eius, sic fecit Hai, et regi illius, et quod transfugissent Gabaonitae ad Israel, et essent foederati eorum, 2. timuit valde. Urbs enim magna erat Gabaon, et una civitatum regalium Hebraice: *sicut una civitas regni* (כְּאַחַת עָרֵי הַמַּמְלָכָה) Septvaginta verterunt metropolim: quamobrem intelligi debet, fuisse unam ex praecipuis totius Chananaeae civitatibus: *et maior oppido Hai, omnesque bellatores eius fortissimi. 3. Misit ergo Adonisedec rex Jerusalem ad Oham regem Hebron, et ad Pharam regem Jerimoth, ad Japhia quoque regem Lachis, et ad Dabir regem Eglon dicens: 4. ad me adscendite, et ferte praesidium, ut expugnemus Gabaon, quare transfugerit ad Josue, et ad filios Israel. 5. Congregati igitur adscenderunt quinque reges Amorrhaeorum: rex Jerusalem, rex Hebron, rex Jerimoth, rex Lachis, rex Eglon simul cum exercitibus suis, et castrametati sunt circa Gabaon, oppugnantes eam. 6. Habitatores autem Gabaon urbis obsessae miserunt ad Josue, qui tunc morabatur in castris apud Galgalam, et dixerunt ei: ne retrahas manus tuas ab auxilio servorum tuorum. Adscende cito, et libera nos, ferque praesidium. Convenerunt enim adversum nos omnes reges Amorrhaeorum, qui habitant in montanis.*

7. Adscenditque Josue de Galgalis, et omnis exercitus bellatorum cum eo, viri fortissimi. 8. Dixitque Dominus ad Josue: ne timeas eos. In manus enim tuas tradidi illos. Nullus ex eis tibi resistere poterit. 9. Irruit itaque Josue super eos

repente tota nocte adscendens de Galgalis. 10. *Et conturbavit eos Dominus a facie Israel, contrivitque plaga magna in Gabaon, ac persecutus est eos per viam adscensus Bethoron, et percussit usque Azeca, et Maceda.* Civitatum haec tria sunt nomina. Duae ex illis posteriores cesserunt postea tribui Juda. Bethoron duplex fuit: superior, et inferior, utraque in tribu Ephraim. Hic inferior Bethoron nominatur, quo reges illi devicti, ab urbe Gabaone occidentem versus fugerint; inde vero in eadem fuga deorsum se flexerint versus Azecam, et Macedam. 11. *Cumque fugerent filios Israel, et essent in descensu Bethoron; Dominus misit super eos lapides magnos de caelo usque ad Azeca. Et mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserant filii Israel.* Integra Dissertatione conatur Calmet efficere lapides istos non fuisse grandinem, et concretam pluviam, sed veros lapides, eoque vult vocabulum hoc, quod hic ponitur, grandinis valere, tanquam, quod pro lapidibus sit positum, quod hi instar grandinis e caelo etiam deciderint. At vero non tantum Ecclesiasticus cap. 46. v. 6. hanc Josue victoriam memorans, lapides istos, qui tum deciderunt in hostes, saxa grandinis vocat, „Invocavit, inquit, Altissi-„mum potentem in oppugnando inimicos undique, „et audivit illum magnus, et sanctus Deus in sa-„xis grandinis;“ verum etiam eam, quae usitata solet esse grando, hanc tam idem Ecclesiasticus cap. 43. v. 16. quam etiam Isaias 30. v. 30. isto

nomine lapidum grandinis adpellat. Quae ergo consimilibus Scripturae phrasibus, et enunciationibus conformior intelligentia istius loci est, ea est anteferenda. Ex adducto autem Ecclesiastici testimonio etiam illud intelligitur, illam grandinem ad preces Josue in hostes e caelo ruisse. Praeterea Josephus l. 5. Ant. cap. 1. tradit eamdem grandinem tonitribus quoque, atque fulminibus fuisse mixtam.

12. *Tunc locutus est Josue Domino in die, qua tradidit Amorrhaeum in conspectu filiorum Israel, dixitque coram eis: Sol contra Gabaon ne movearis, et Luna contra vallem Ajalon.* 13. *Steteruntque sol, et luna, donec ulcisceretur se gens de inimicis suis. Nonne scriptum est hoc in libro Justorum? Stetit itaque sol in medio caeli, et non festinavit occumbere spatio unius diei.* 14. *Non fuit antea, nec postea tam longa dies, obediente Domino voci hominis, et pugnante pro Israel.* Statio ista solis facta est in meridie, non tantum ideo, quod sol dicatur constitisse in medio caeli, verum etiam, quod Josue persequendo hostes, quos a moenibus urbis Gabaon profligaverat, et quorum fuga primum occidentem, deinde vero meridiem versus erat directa, uti hoc intelligitur ex locorum situ, versus quae fugerunt, quaeque loca superius memorata sunt, non potuerit iam videre solem occidentem contra Gabaon, siquidem ipse etiam in illa plaga occidentis ultra Gabaon esset, nec proinde hoc tunc apte ad solem pronunciasset, ne moveatur contra Gabaon: utpote quam civitatem suo

cursu iam tum pertransisset. In meridie igitur, aut potius iam ante meridiem Josue soli imperavit, ne se in suo cursu contra Gabaon ulterius moveret, tumque cursum illius stitit. Jam ergo tunc prospexerat Josue, non suffecturum illud spatium diei, etiamsi adhuc superesset media dies, ad consequendum in fuga hostem, illumque delendum.

Quid vero illi in mentem venit, lunae etiam simul cursum sistere, idque in meridie, cuius lumen nec lucente sole perciperetur in meridie, sed nec eo opus esset, dum sol esset praesto? Hoc probaret Josuam, etiamsi in occasu positum iam solem retinuisset, nihil debuisse de luna sollicitum esse, siquidem solis lumine praesente, luna minime opus haberet. Itaque elucet in Josue egregia hinc caelestium motuum peritia, qui stare iubens solem, lunae quoque una inhiberet cursum, quod non tantum iste penderet a sole, sed quod etiam cum eodem sole siderum omnium, et planetarum motus sic sint colligati, ut hoc stante illi etiam omnes deberent consistere, quod secus in orbibus illis caelestibus gravissima exstitisset perturbatio, nec in mundo pristina temporum mansisset ratio. Solem tamen, et lunam tantum, non vero reliqua etiam caelestia corpora nominatim adpellavit, quoniam solis, atque lunae motiones essent maxime notabiles, atque in illuminando mundo praecipuas partes, et auctoritatem tenerent.

Neque tamen etiam hinc, quod Josue solem iusserit stare, deduci aliquid sive in unam, sive in

alteram partem potest, solisne iste motus, qui oculis etiam cernitur, verus, an tantum apparens sit. Nec enim tum aliud Josue sibi habuit curae, et propositum, quam illum solis motum, qui conspicuus est, sistere. Praelii enim exitum, et eventum tum habebat in mente, non de solis motu philosophabatur. Nonne illi ipsi philosophi, atque astronomi, qui sibi Copernici systema de motu astrorum adoptarunt, quamvis non solem circa terram, sed hanc circa illum teneant moveri; tamen sic ipsi quoque, cum de sole loquuntur, iuxta adparentem illius motum orationem instituunt, ut hunc oriri, et occidere, et cursum describere ab una caeli plaga ad alteram, attingere meridianum, accedere ad aequatorem, vel ab eo declinare, similibusque aliis loquendi formis, quasi sol moveretur, in suo sermone utantur? Omnino Philosophia, quoniam ratione nititur, si illa recta sit, quod Deus illam homini dederit ad discernendum verum a falso; Scripturae, et Revelationi contraria esse non potest. Sed quoniam, quae ab hominum ingeniis excogitantur rationes, non semper verae sunt, saepissimeque specie tantum, et similitudine veri fallunt, atque decipiunt; si quid constet esse revelatum, debet se revelationi, quae Deum habet auctorem, quem certum est non posse falli, nec fallere, subiicere ratio, quod tametsi et ipsa sit a Deo, tamen certitudinem non habeat, ne fallatur; et quamvis verum nobis aliquid videatur, tamen illud falsum esse possit. Nec in tali casu veritas una, quae per rationem

sit cognita, putanda est cum veritate, quam Religio poponit, confligere. Sed ea, quam ratio svadet veritas; quantumcunque talis esse existimetur, non est veritas, sed veritatis tantum falsa persvasio. Si ergo in Scriptura, atque in hac praesenti quaestione, ita hoc de sole, moveri illum circa tellurem, proponeretur; ut certum esset non secundum adparentem illius motum institutam esse hanc orationem; iuxta Concilii Oecumenici Lateranensis V. decretum in Sessione 8. rationi nefas esset audientiam dare adversus Revelationem. Sed non semper in Scriptura, etiam a viris Theopneustis de rebus enunciationes fiunt, ut reapse, sed tantum, ut sunt aliqua ratione. Nam a Moyse luna vocatur luminare maius: quae tamen absque dubitatione minor est tam stellis fixis, quam planetis. Sed quia secundum nostram visionem luna, et sol magnitudine superant aliud quodcunque sidus; praeterea lumen etiam maius praebent, quam coniunctim etiam astra omnia alia; idcirco luminaria maiora adpellata a Moyse sunt. Cum ergo, quoad oculorum perceptionem, sol nobis, non terra moveatur; conformiter ad hunc adparentem in oculis solis motum, Josue etiam instituit orationem. Deinde, quamvis hoc de Josue, quod solem stiterit, prout historice narratur, fide sit Divina omnino tenendum; non tamen inde consequens etiam est, ut eo modo, mandatum enunciaret de solis statione, quo hoc fecit, inditum illi ex Dei revelatione esse. Nam, ne foedus quidem illud cum Gabaonitis iniit impulsu Di-

vinae revelationis, unde deceptus ab illis est, et ob quam rem ipse etiam notatus fuit, quod os Domini non interrogaverit, hoc est, quod inconsulto Deo, suo tantum iudicio, foedus illud fecerit. Et tamen, prout res haec historice proponitur; divina in narrando auctoritas est: prout autem illa gesta ab Josue est; mera illa humana, non Divina revelatione collustrata actio fuit. Tali ergo ratione, etsi Josue in enunciando illo mandato de solis statione non erraverit, praetermittendo aliquod suum officium erga Deum; tamen dare, et enunciare illud mandatum, citra Dei revelationem, ut aliquid de sole non recte diceret, potuit: quamvis deinde iam ipsa istius facti tota narratio Divinae auctoritatis sit.

Constitit autem sol spatio unius diei, sive ut de hoc eodem prodigio Ecclesiasticus loquitur: „Una „dies facta est quasi duo.“ cap. 46. v. 5. Quod miraculum tam inusitatum, tamque illustre, ac splendidum, ut eludat Hobbesius, dicit insolitam illam lucem esse ortam per radiorum refractionem ex illa grandine, quae illa die decidit, Josuaeque inscitiam tribuit, quod lumen illud provenire a sole putaverit. Peirerius, Systematis Praeadamitarum auctor, tantum fulgorem illum ait fuisse, qui post solis occasum diutius tum perstiterit. Certe isti consultius fecissent, si iam potius rem hanc totam negassent; quam ut se torquerent, quomodo insulsissime illam interpretarentur. An, cum dicitur sol stetisse in medio caeli, et non festinasse occumbere spatio unius diei; hocne significat, aliquam tan-

tum lucem fuisse ex grandine, vel a refractione? Etiam Grotius, Joannes Clericus, et Pseudo-Vatablus, nam quae Bibliorum versio illius nomen praesefert, non illius est, sed Zvinglianorum Tigurinorum, qui, ut talis viri nomine, erat Lutetiae Parisiorum Hebraeae lingvae professor, auctoritatem suae versioni conciliarent, fraudem commisserunt, suasque merces sub illius, tanquam notae eruditionis viri, nomine venum exposuerunt; isti inquam etiam, ne plures etiam alios commemorem, Christiani videlicet, qui se confiterentur Scripturae auctoritatem recognoscere, sic illud prodigium explicando extenuarunt; ut si ita esset, sicut illi voluerunt, iam prodigiosum nihil in eo esset.

Dicunt enim Josuam, quando soli praecepit, ne se ulterius moveret, nihil in mente habuisse amplius, quam, ut dies illa, quando illud praelium agebatur, sufficeret delendis hostibus, neve prius sol occumberet, quam totum esset confectum negotium de hostibus. Hoc igitur denotant ista Scripturae verba: *Stetit sol in medio caeli, et non festinavit occumbere spatio unius diei:* Hocne ergo significant illa verba: *Non fuit antea, nec postea tam longa dies, obediente Domino voci hominis?* Sed Grotius uti hoc sic explicaret, et extenuaret, et una prodigium annihilaret, fecit S. Pauli auctoritate permotus. Nam is, cum in Epistola ad Hebraeos cap. 11. alia plurima prodigia, atque res virtute fidei mirabiliter gestas enumerasset; hoc factum Josue praeteriit de statione solis. Omniane

recenset, et memorat Paulus? Nec de transitu per Jordanem ipsius Josue tanto prodigio, ut illius fluxus subito constiterit, facit ullam mentionem. Omittit etiam commemorare miracula, quae patrata sunt a Moyse, dum peregrinabantur per desertum. Quod si autem bene consideretur caput illud Epistolae ad Hebraeos; adparebit in meretrice Rahab laudanda Paulum abrupisse, versu 31. exemplorum, quae ibi commemorat, enumerationem: cumque haec res de statione solis postea tantum acciderit, intelligitur, cur memorata, et posita ibi non sit. Estne autem hoc hominis non dico alicuius Christiani, quia apud talem Scripturae Sacrae libri absolute valere deberet auctoritas, sed critici, negare, et falsa interpretatione detorquere clarum alicuius Scriptoris testimonium, si illius fides, et auctoritas sit ceteroquin certa, quia Scriptor alter, cuius propositum non fuit recensere omnia, rem illam, de qua prior scriptor egit, silentio praeterivit?

Isti deinde nasuti, qui hoc miraculum oppugnant, voluissent etiam consulere Deo, atque labore istius illum miraculi sublevare. Qui cum alia faciliore etiam ratione potuerit hanc victoriam Israelitis tribuere contra istos hostes; non fuerit ratio, cur hoc, tanta in ipsos siderum motus actione, dare effectum illis voluisset. Isti quidem consiliarii, si Deo praesto fuissent, pluribus illum prodigiis sublevavissent. An alia ratione Jordanem Israelitae transire non potuissent, quam cursu retento fluminis? Deinde non fuisset Israelitis alia etiam, et

commodior via ad intrandum in Chananaeam sine transitu etiam per flumen ex ea parte illius, quae spectat ad meridiem? Quid etiam opus fuit Deo aperire Israelitis viam per mare Rubrum? Jussisset ipsos tantum manus conserere cum Aegyptiis, qui eos persequebantur. Sine tali, et tanto prodigio tantum Deo metum hostibus incutiente, vires vero Israelitis, et animositatem tribuente, delevissent ad unum omnes. Neque vero etiam in Aegypto tantus prodigiorum adparatus necessarius Deo fuisset, ut inde Israelitas educeret. An Pharao, et Aegyptii praevalere potuissent, si Deus, etiam non exspectata illorum voluntate, exire Israelitas voluisset? Tales aranearum telas contexunt adversus evidentia Scripturae documenta. Pertinebant enim eo omnia haec Dei prodigia, quae patravit gratia sui populi, quo tanto clarius, atque illustrius declararet se solum esse Deum. Non sufficit denique ipsis sola Scriptoris istius libri, et Josue auctoritas. Vellent, ut profani etiam scriptores de tam raro, et miro eventu, qui videri, et observari debuerit in toto orbe, testimonium aliquod reliquissent: quod tamen nullum uspiam apud eos reperitur. Quia nimirum omnes, quotquot fuerunt profani scriptores, post bellum tantum Troianum vixerunt: de quo, qui primi scriberent, fuerunt poetae. Incidit vero tempus, quo terminatum fuit bellum Troianum in annum ante Christum natum 1184. sub Jair iudice Israelitarum, ut est apud Petavium de Ratione Temp. Part. 1. l. 1. cap. 11. adeoque ducentis,

uno,

uno, et quadraginta annis post hoc Josue, solis cursum sistentis, factum. Quid? Nonne ipse Josue Librum Justorum testem profert? Exotica ergo ipsis magis placuissent, quam domestica documenta?

Jam, ut adcuratius aliquid de isto Justorum libro dicam, is iam nunc non exstat: nec qualis liber iste fuerit, ullus qui illum vidisset, docet. Sola coniectura est, deducta ex illius nomine, et ex hac illius ab Josua citatione, descriptas fuisse in eo memoriae causa rariores res, quae acciderunt apud Israelitas, et qualis ista fuit de Josue, dum stitit solem. Exempla autem deinceps docebunt citari a Scriptoribus Sacris, subinde libros, quorum tantum ex illa citatione fama ad nos pervenerit. Nec dici potest, libros illos non eo nomine quidem, quo citantur, sed alio contineri inter Scripturae monumenta, ut cum liber aliquis maior, verbi gratia Regum liber ex minoribus lucubrationibus seorsim a diversis scriptoribus, nec eodem tempore editis, postea alterius alicuius labore in unum volumen concrevit. Quod etsi de aliquibus defendi posset, non potest tamen de omnibus. Nam 1. Paral. 29. v. 29. memorantur libri Samuelis, Nathan, et Gad prophetarum, in quibus non tantum gesta omnia Davidis, verum omnia etiam, quae sub illius imperio tam in Israelitico populo, quam in cunctis regnis orbis terrarum acciderint, contineantur. At vero ista sub Davide quae acciderint alibi in orbe, nec in libris Regum, nec in Paralipomenon reperiuntur. Rursus 2. Par. 33. v. 19. comme-

moratur liber sermonum Hozai, in quo oratio Manassis, quam pronunciavit, quando poenitentiam egit, descripta sit. Nec tamen ista oratio uspiam existit. Nam illa quae Manassis nomine inscripta oratio est ad calcem Bibliorum posita, apocrypha, et extra Scripturam est. Quo pacto autem ista interciderint, et quali iniuria hoc evenerit, certum non est. S. Chrysostomus Homil. 9. in S. Matth. negligentiam hac in re accusat Judaeorum, aut etiam malitiam et improbitatem, qui illa sponte vel lacerando, vel igni tradendo e medio sustulerint. At S. Hieronymus in cap. 6. Isaiae, et S. Augustinus l. 13. de civ. Dei cap. 13. negant crimen depravatae alicubi ab iis Scripturae per industriam esse in ipsos conferendum: Tanto igitur minus suspicio in illos cadere debet voluisse integros Scripturae Sacrae libros nefarie subducere, atque perdere. Et certe ut S. Hieronymus citato loco argumentatur, si hoc tale scelus corrumpendo Scripturas Judaei commisissent; Christus et Apostoli, numquam illud, qui nec alia in illis dissimularent, silentio praeteriissent, sed factum aliquando exprobrassent. Atque Philo Judaeus tradit tam Judaeos fuisse tenaces in servanda Scriptura, ut tormenta mallent subire, quam tradere illam, aut permittere, ut in ea aliqua fiat litura. Quare S. Augustinus l. 18. de Civ. Dei cap. 38. candide agnoscit, quomodo aliqui Scripturae libri perire potuerint, causam se ignorare. „Huius, „ inquit, rei, fateor, causa me latet.“ Illa tamen mihi omnium verisimillima videtur esse coniectura,

non fuisse exemplaria istorum librorum, qui modo desiderantur, satis frequentia. Hinc, quemadmodum et hoc in aliis libris fit, quorum exemplaria pauciora sunt, ut facilius adversis casibus pereant, sic in istis quoque idem accidisse. Nec tamen ideo adversus Dei providentiam licet movere aliquam querimoniam, cur intercidere illos permiserit. Nam sine illis etiam abunde suppetunt nobis documenta Religionis ex aliis, qui modo etiam existunt libris. Utilia fuissent, non necessaria. Sicut et in Novo Testamento, quam adhuc multa scribi potuissent de Christo, et de Apostolis: quibus locupletari multum adhuc potuisset scientia Christianae Religionis? Et dicemusne, etiam sine istis pluribus documentis, non satis Christum prospexisse Ecclesiae? Quemadmodum igitur scribi plura potuissent, neque tantum in novo, verum etiam in Veteri Testamento, quae tamen citra dispendium aliquod Religionis scripta non sunt; sic Dei permissu quaedam etiam iam scripta nobis exciderunt vigilante utrobique Divina providentia, ne necessariis, et quantum opus esset, scripti Verbi Divini subsidiis destitueremur ad tuendam Religionem.

Est in Praefatione huius libri demonstratum, adversarios ex eo etiam sibi petiisse argumentum, non esse hunc librum ipsius Josue, quod hoc testimonium ex libro isto Justorum allegaverit, sed scriptorem huius libri debere esse Josua posteriorem. Res haec ab Josua contra confoederatos quinque reges, quae modo narrata est, gesta est brevi

intervallo post, quam transivissent Jordanem, ut hoc series narrationis, nexusque rerum, quae se mutuo exceperunt, demonstrat in ipsa hac narratione, consentiuntque Chronologi factum hoc esse primo statim sui adventus in Chananaeam anno. Librum autem Josue, cum ultimas etiam suas actiones in eo descripserit, tantum in fine vitae suae edidit. Censentur autem eousque intercessisse, communi Chronologorum calculo, anni septemdecim. Ad id tempus ergo interea, et scribi Justorum ille liber potuit, et Josue ex illo citare Testimonium, quin necesse sit alium aliquem, Josua posteriorem, Josue libri quaerere scriptorem.

Etiam istud adhuc urgent, et opponunt: ab Josua non potuisse apte hoc scribi; non fuisse antea, nec postea tam longam diem, quod ista loquendi ratio spatium longius sapiat, quam fuisset, si librum hunc scripsisset Josue; deinde, quod ne verum quidem hoc sit. Nam, quando sub Ezechia in horologio Achaz (4. Reg. 20. v. 11.) sol retrocessit decem gradibus, diem illum tum sub Ezechia isto sub Josua fuisse longiorem. Cum Josue septemdecim annis tardius librum suum fecerit, quam sit solis statio facta, erat spatium, de quo posset scribere non fuisse postea, sed nec antea diem aliquando longiorem. Quod si vero hoc ita sumunt, ut illud vocabulnm *postea* non tantum constringatur ad tempus, quo Josue vixit, sed prorsus de omni tempore postea, sique negent Josuam etiam sic non potuisse hoc scribere, qui quid post

se futurum esset, aut fieri posset, ignoraverit; tum sequetur, ne alium quidem, quantumcunque Josua posterior fuisset, potuisse hoc scribere. Nam iuxta ipsorum ratiocinationem etiam in hunc illud quadrabit, quod dicunt, non potuisse de eo aliquid dici, et affirmari, cuius eventus a futuro adhuc tempore pependerit. Sicque sua argumentatione, ne illud quidem obtinent, quod contendunt, telumque, quod vibrarunt, in ipsos recidit. Secundum ipsos autem hoc ego dixi. Nam, qui hunc Divinitus inspiratum librum agnoscunt, quid est apud eos, quod difficile sit habere hoc ab Josua scriptum de tempore, etiam post illum, omni: non fuisse diem tam longam, sicut illa fuit, qua ipse stitit solem; cum quod naturaliter scire non potuit; hoc scire, et scribere potuerit inspiratione Divina, et prophetica? Jam ex illa ipsorum obiectione de horologio Achaz hoc rursum sequeretur, quod nec ipsi contendunt, librum hunc Josue, ne Sacrae Scripturae quidem esse librum, siquidem id posuerit, et adseruerit, quod falsum esset. Sed non erat illa dies, quando sol decem lineis rediit in horologio Achaz ista sub Josue longior. S. Justinus in Dial. cum Tryphone istam diem sub Josue tradit fuisse longam horas triginta sex. Sed quoniam eam tantum longitudinem habuit teste Ecclesiastico, quam habent dies duae, nec nocturnae horae proprie ad diem pertinent; fuit longa horas viginti quatuor. In horologio autem Achaz primo incertum est, quantae longitudinis gradus illi fuerint, quantoque spatio

temporis habuerit sol opus ad percurrendum ibi unum gradum, ut certum aliquod argumentum inde duci posset. Deinde, etiamsi gradus quilibet horam unam fuisset complexus, quia cum sol rediit, quo magis prodigium istud in oculos incurreret Ezechiae, cuius erat gratia per Isaiam prophetam patratum, ut certus fieret convaliturum se ex morbo, in quo iacebat tum, victurumque diutius, factum hoc credendum est sic, ut sol per illos decem gradus recesserit subito, deindeque per eosdem rursus ordinate (nec hoc certum quanta mora) adscenderit, ut adeo etiamsi per singulos gradus sol scandendo horam insumpsisset, dies illa tamen vulgari non sit facta longior, quam horis decem, quot erant lineae, nec proinde tam longa fuerit, quam illa, quando ad imperium Josue constitit sol. Pro verbo, quod Latinus Interpres posuit: obedio, ubi dixit Deum obedivisse voci Josue, est in Hebraeo *Schama* (שָׁמַע) quod tantum etiam audire, vel exaudire significat.

15. *Reversusque est Josue cum omni Israel in castra Galgalae.* Idem hoc repetitur deinde versu 43. in fine huius capitis, ubi tota istius belli, et conflictus cum quinque his regibus narratio concluditur: tumque reipsa Josue exercitum suum reduxit in castra Galgalae. Cur igitur nunc iam eum dixit rediisse? nimirum, modo adhuc summatim explicuerat eventum istius belli, quo peracto deinde redierit in castra. Cumque idem bellum deinde per adiuncta explicuisset latius, atque illa ad superio-

rem narrationem de eodem bello adiecisset; idem rursus repetiit deinde in fine, quod iam ante posuerat, reduxisse postea Josuam exercitum in castra Galgalae. Nihil igitur aliud est, quam eiusdem rei inter narrandum iterata memoratio, tantoque magis, ne quis putaret, ubi superiore loco posuerat Josuam cum Israelitis reversum esse in castra, haec, quae postea ad narrationem eiusdem belli adduntur; facta iam esse, postquam confectum esset bellum, cum illa tantum eiusmodi sint, quae partes illius ipsius adhuc essent belli.

16. *Fugerant enim* Hebraice: *Fugerunt autem* (וַיָּנֻסוּ) *quinque reges, et se absconderant in spelunca urbis Maceda.* 17. *Nunciatumque est Josue, quod inventi essent quinque reges latentes in spelunca urbis Maceda.* 18. *Qui praecepit sociis, et ait: volvite saxa ingentia ad os speluncae, et ponite viros industrios, qui clausos custodiant.* 19. *Vos autem nolite stare, sed persequimini hostes, et extremos quosque fugientium caedite, nec dimittatis eos urbium suarum intrare praesidia, quos tradidit Dominus Deus in manus vestras.* 20. *Caesis ergo adversariis plaga magna, et usque ad internecionem paene consumptis hi, qui Israel effugere potuerunt, ingressi sunt civitates munitas.* 21. *Reversusque est omnis exercitus ad Josue in Maceda, ubi tunc erant castra, sani, et integro numero, nullusque contra filios Israel mutire ausus est.* 22. *Praecepitque Josue dicens: aperite os speluncae, et producite ad me quinque*

reges, qui in ea latitant. 23. *Feceruntque ministri, ut sibi fuerat imperatum, et eduxerunt ad eum quinque reges de spelunca: regem Jerusalem, regem Hebron, regem Jerimoth, regem Lachis, regem Eglon.* 24. *Cumque educti essent ad eum, vocavit omnes viros Israel, et ait ad principes exercitus, qui secum erant: ite, et ponite pedes super colla regum istorum. Qui cum perrexissent, et subiectorum colla pedibus calcarent,* 25. *rursum ait ad eos: nolite timere, nec paveatis, confortamini, et este robusti. Sic enim faciet Dominus cunctis hostibus vestris, adversum quos dimicatis.* 26. *Percussitque Josue, et interfecit eos, atque suspendit super quinque stipites, fueruntque suspensi usque ad vesperum.* 27. *Cumque occumberet sol, praecepit sociis, ut deponerent eos de patibulis. Qui depositos proiecerunt in speluncam, in qua latuerant, et posuerunt super os eius saxa ingentia, quae permanent usque in praesens.*

28. *Eodem quoque die Macedam cepit Josue, et percussit eam in ore gladii, regemque illius interfecit, et omnes habitatores eius. Non dimisit in ea saltem parvas reliquias. Fecitque regi Maceda, sicut fecerat regi Jericho.* 29. *Transivit autem cum omni Israel de Maceda in Lebna, et pugnabat contra eam.* 30. *Quam tradidit Dominus cum rege suo in manus Israel, percusseruntque urbem in ore gladii, et omnes habitatores eius. Non dimiserunt in ea ullas reliquias. Feceruntque regi Lebna, sicut fecerant regi Jericho.* 31. *De*

Lebna transivit in Lachis cum omni Israel, et
exercitu per gyrum disposito oppugnabat eam. 32.
Tradiditque Dominus Lachis in manus Israel,
et cepit eam die altero, atque percussit in ore
gladii, omnemque animam, quae fuerat in ea,
sicut fecerat Lebna. 33. *Eo tempore adscendit*
Horam rex Gazer, ut auxiliaretur Lachis: quem
percussit Josue cum omni populo eius usque ad
internecionem. 34. *Transivitque de Lachis in*
Eglon, et circumdedit, 35. *atque expugnavit eam*
eadem die, percussitque in ore gladii omnes ani-
mas, quae erant in ea, iuxta omnia, quae fece-
rat Lachis. 36. *Adscendit quoque cum omni Israel*
de Eglon in Hebron, et pugnavit contra eam. 37.
Cepit eam, et percussit in ore gladii, regem quo-
que eius, et omnia oppida regionis illius, univer-
sasque animas, quae in ea fuerant commoratae.
Non reliquit in ea ullas reliquias. Sicut fecerat
Eglon, sic fecit et Hebron cuncta, quae in ea
reperit consumens gladio. Huius civitatis Hebron rex erat etiam unus ex quinque confoederatis, qui ad Gabaonem, ad quam oppugnandam venerunt, a Josue sunt superati. Cumque in fuga ad speluncam se abdidissent, inde confecto praelio educti, et supplicio affecti sunt. Cum igitur rursus modo, quando civitas capta etiam, et expugnata est, memoretur rex Hebron esse peremptus una cum iis, qui erant in civitate; consequens est illi priori iam interea alium regem hic successisse, qui modo interfectus etiam est.

38. *Inde reversus in Dabir* 39. *cepit eam, atque vastavit, regem quoque eius, atque omnia per circuitum oppida percussit in ore gladii. Non dimisit in ea ullas reliquias: sicut fecerat Hebron, et Lebna, et regibus earum, sic fecit Dabir, et regi illius.* 40. *Percussit itaque Josue omnem terram montanam, et meridianam, atque campestrem, et Asedoth* cum regibus suis. Pro nomine proprio Latinus Interpres, quod idem Septvaginta fecerunt, istud vocabulum sumpsit. Est vero adpellativum, significatque declivitatem: prout Deuter. 3. v. 17. et cap. 4. v. 49. ipse Latinus Interpres hoc idem etiam vocabulum ita vertit, et pro eo Latine posuit: radices montis. Etiam Chaldaeus hic in Josue pro Asedoth *defusionem ex altitudine* vertit: *Non dimisit in ea ullas reliquias, sed omne, quod spirare poterat, interfecit, sicut praeceperat ei Dominus Deus Israel:* 41. *a Cadesbarne usque Gazam, omnem terram Gosen, usque Gabaon,* 42. *universosque reges, et regiones eorum uno impetu cepit, atque vastavit.* Cadesbarne est locus in extremis finibus Chananaeae ex parte Australi, idemque ille locus deserti Sin, unde a Moyse exploratores sunt missi Num. cap. 13. v. 3. Gaza fuit una ex Philisthaeorum civitatibus iuxta mare Mediterraneum. Gosen est civitatis nomen, quae deinde obtigit tribui Juda, ut est infra cap. 15. v. 51. Hinc ergo terra Gosen adpellatur illa regio in huius urbis vicinia. Gabaon est iam nota urbs, unde legati superiore capite ad Josuam venerunt.

Dominus enim Deus Israel pugnavit pro eo. 43. *Reversusque est cum omni Israel ad locum castrorum in Galgala.* Interea dum ista agebantur, etiam ad urbem Maceda dicitur Josue supra versu 21. habuisse castra. Nimirum, haec tantum fuit statio militum, quos secum modo habuit in expeditione hac bellica; in Galgalis autem totius multitudinis populi constituta erant castra.

CAPVT XI.

Jabin rex Asor cum pluribus etiam regibus se confoederat contra Israelitas: qui omnes ab Josua vincuntur.

1. *QVAE cum audisset Jabin rex Asor, misit ad Jobab regem Madon, ad regem Semeron, atque ad regem Achsaph,* 2. *ad reges quoque Aquilonis, qui habitabant in montanis, et in planitie contra meridiem Ceneroth, in campestribus quoque, et in regionibus Dor iuxta mare,* 3. *Chanaaeum quoque ab Oriente, et Occidente, et Amorrhaeum, atque Hethaeum, ac Pherezaeum, et Jebusaeum in montanis, Hevaeum quoque, qui habitabat ad radices Hermon in terra Maspha.* Civitas Asor, cuius rex Jabin istos tot alios reges secum adversus Israelitas confoederaverat, iuxta Jordanem fuit sita, quaeque postea ad tribum Nephthali, quando regio Israelitis divisa est, venit. Infra cap. 19. v. 36. Hanc tamen urbem, modo ab

Israelitis occupatam, postea rursus recuperarunt Chananaei: adeo, ut Jabin rex Asor viginti etiam annorum servitute presserit postea Israelitas. Jud. 4. v. 1. Idem ergo nomen uterque habebat. Sed non fuit una utriusque persona. Intercesserunt enim anni circiter centum, et triginta: praeterea iste Jabin, cum quo nunc Josue bellum gessit, est interfectus ut est infra huius capitis versu 10. Madon, et Semeron, quarum civitatum reges Jabin ad societatem belli sibi adiunxerat, erant civitates non longe ab Asor. Achsaph non iam alibi uspiam memoratur, quam sequenti capite, ubi reges enumerantur, quos in Chananaea devicit Josue. Quamobrem ubi civitas haec sita fuerit, non satis intelligi potest. Septvaginta Eedippam verterunt. Quae infra Tyrum iuxta mare Mediterraneum civitas sita fuit. Cenereth est idem ille lacus, qui saepe alias Genesareth adpellatur, vel etiam mare Tiberiadis, quem lacum Jordanes efficit fluvius. Regio Dor est ad mare Mediterraneum e regione tribus Issachar. Hermon est mons mirae magnitudinis supra Jordanem ad dextrum latus Libani, vergitque ad Orientem: ad cuius radices erat Maschpha, ut hoc de situ illius clare ab ipsa Scriptura dictum est.

4. *Egressi sunt omnes cum turmis suis, populus multus nimis sicut arena, quae est in litore maris, equi quoque, et currus immensae multitudinis.* 5. *Conveneruntque omnes reges isti in unum ad aquas Merom, ut pugnarent contra Israel.* Aquas Merom sitas fuisse ad torrentem Cisson,

qui infra montem Thabor praeterfluens, ad Ptolemaidam decurrit in Mediterraneum mare, intelligitur ex Judicum libro. Ubi, quae pugna dicitur cum Chananaeis commissa ab Israelitis Judic. 4. v. 13. ad torrentem Cisson, eadem postea sequentis capitis versu 18. ponitur esse peracta in regione Merome. 6. *Dixitque Dominus ad Josue: ne timeas eos. Cras enim hac eadem hora ego tradam omnes istos vulnerandos in conspectu Israel. Equos eorum subnervabis, et currus igne combures.* Pro vulnerare est in Hebraeo verbum positum *confodere.* (חֲלָלִים) Subnervatio equorum fit incisione nervi in pede, ut sic ad cursum inutiles fiant. Quod sic et equos Deus vitiari iusserit, et hostium currus, quibus in praeliis utebantur, comburi; causa illa videtur fuisse, nam illam Scriptura non exponit, ne illis Israelitae uterentur, atque in istorum viribus, et cursu magis, quam in Deo fiduciam suam ponerent.

7. *Venitque Josue, et omnis exercitus cum eo adversus illos ad aquas Merom subito, et irruerunt super eos, 8. Tradiditque illos Dominus in manus Israel. Qui percusserunt eos, et persecuti sunt usque ad Sidonem magnam, et aquas Maserephot, campumque Masphe, qui est ad Orientalem illius partem. Ita percussit omnes, ut nullas dimitteret ex eis reliquias. 9. Fecitque, sicut praeceperat ei Dominus: equos eorum subnervavit, currusque combussit igni.* Sidon fuit nobilis urbs in Phoenicia, et maritima, non longe a

finibus Palaestinae ad Septemtrionem. Aquae Maserephot, sive ut Hebraice est, *Miserephot Maim* (מִשְׂרְפוֹת מַיִם) quod radix huius vocis deducta sit a *Saraph* (שָׂרַף) quod urere, et incendere significat; alii istas aquas thermales censent fuisse, et ita Arabs vertit ponendo: *aquas calidas*, alii salinas, ubi aquae marinae coctione in salem verterentur, atque hoc ita Chaldaeus sumpsit, qui in sua Paraphrasi posuit: *Salinas aquarum*. Calmet censet urbem hanc fuisse, quae Sarephta vocatur, vel Sarephta Sidoniorum. 3. Reg. 17. v. 9. et Lucae 4. v. 26. Sed aliis literis ista Sarephta in Hebraeo, aliis vocabulum, quibus istae aquae cognominantur, scripta est. Illud denique certum est fuisse has aliquas aquas, qualescunque demum fuerint.

10. *Reversusque statim cepit Asor, et regem eius percussit gladio. Asor enim antiquitus inter omnia regna haec principatum tenebat.* Regna haec proprie tantum civitates erant cum aliquot vel oppidis vel vicis. Quod declarant omnia istorum regum exempla, quos adhuc devicit Josue, et quorum unus, et triginta sequenti capite recensentur, qui in Chananaea regnarunt, antequam eam occupassent Israelitae. Qua longitudo maxima erat Palaestinae a Dan usque Bersabee docet S. Hieronymus in epistola ad Dardanum non fuisse longiorem ultra millia passuum centum et sexaginta. Latitudo autem illius aequabat mediam longitudinem. Ex quo coniici potest regnorum istorum exilitas, quae tot in isto spatio fuerunt. 11. *Percussitque omnes*

animas, quae ibidem morabantur: non dimisit in ea ullas reliquias, sed usque ad internecionem universa vastavit, ipsamque urbem peremit incendio. 12. *Et omnes per circuitum civitates, regesque earum cepit, percussit, atque delevit, sicut praeceperat ei Moyses famulus Domini.* 13. *Absque urbibus, quae erant in collibus, et in tumulis sitae, ceteras succendit Israel: unam tantum Asor munitissimam flamma consumpsit.* Secundum Hebraeum iste est adcuratior sensus: nullam urbem ex his, quae in editis locis erant sitae, esse ab Josua, et Israelitis incendio vastatam, praeter unam Asor munitissimam. Quem sensum etiam Septvaginta expresserunt: 'Αλλὰ πάσας τὰς πόλεις τὰς κεχωματισμένας ὀυκ ἐνέπρησεν 'Ισραὴλ πλὴν 'Ασὼρ μόνην ἐνέπρησεν 'Ισραὴλ. 14. *Omnemque praedam istarum urbium, ac iumenta diviserunt sibi filii Israel cunctis hominibus interfectis.* 15. *Sicut praeceperat Dominus Moysi servo suo, ita praecepit Moyses Josue, et ille universa complevit. Non praeteriit de universis mandatis nec unum quidem verbum, quod iusserat Dominus Moysi.* 16. *Cepit itaque Josue omnem terram montanam, et Meridianam, terramque Gosen, et planitiem, et Occidentalem plagam, montemque Israel, et campestria loca.* Terra Gosen eadem est, de qua superioris capitis iam etiam facta est mentio versu 41. Alia terra Gosen, vel Gesen erat in Aegypto: ubi Israelitae, dum ibi essent, habitarunt. Nec verisimile est quamvis hoc putet Calmet, istam in Ae-

gypto regionem esse modo subactam ab Josua: cum vel videre Aegyptum Israelitis fuerit a Deo interdictum. Deut. 28. v. 68. Mons Israel positus est generaliter pro montana regione, quam occuparunt Israelitae, cuiusque alteram partem adpellat *campestria eius.* Sicque Josue regionem iam nomine Israel adpellavit, utpote, qui librum scriberet, postquam mons ille, et regio iam in illorum potestate fuisset. 17. *Et partem montis, quae adscendit Seir usque Baalgad per planitiem Libani subter montem Hermon: omnes reges eorum cepit, percussit, et occidit.* Initium istius versus est in Hebraeo sic: *Ex monte calvo adscendente Seir, et usque Baalgad* (מִן־הָהָר הֶחָלָק הָעֹלֶה שֵׂעִיר וְעַד־בַּעַל גָּד) Describuntur autem termini, quousque occupatio regionis ab ipsis facta sit. Montes Seir ii erant, in quibus Idumaei habitarunt, erantque finitimi Israeliticae regioni, partim ad Meridiem, partim ad Occidentem: et inter quas duas regiones intercederet mons calvus, ut ipsum hic Josue vocat, tanquam terminus utriusque Idumaeorum, et Israelitarum regionis ex parte Meridionali: ad Septemtrionem vero Baalgad ponit, quae civitas erat ad montem Hermon.

18. *Multo tempore pugnavit Josue contra reges istos.* Sex circiter annos insumpsit Josue in subiuganda Chananaea: quod deinceps magis declarabitur, cum ad illa loca venietur, unde se aliqua indicia ad cognoscendum hoc tempus offerent, et praesertim ad capitis 14. versum 10. *Non fuit civitas*

vitas 19. *quae se traderet filiis Israel praeter Hevaeum, qui habitabat in Gabaon. Omnes enim bellando cepit.* 20. *Domini enim sententia fuerat, ut indurarentur corda eorum, et pugnarent contra Israel, et caderent, et non mererentur ullam clementiam, ac perirent, sicut praeceperat Dominus Moysi.* Cum induratio sic tantum a Deo sit, quod illam, quamvis possit, non tollat, et si sinat eum, qui per se durus est, durum esse, ut hoc iam ad Exodi 4. v. 21. cum de indurato Pharaone ageretur, demonstratum est; intelligitur hoc Dei iudicium, istamque Dei sententiam de istis populis fuisse; ut illos in sua duritie permitteret, ut etiam, cum manifeste agnoscere possent, Deum esse, qui regionem illam decreverit dare Israelitis ad habitandum; non tamen desisterent Israelitis sese opponere. Nam, si fama etiam eorum, quae contra Pharaonem, et Aegyptios a Deo pro Israelitis erant gesta, et stupendus ille transitus per mare Rubrum ad eos non pervenisset, quam tamen pervenisse Rahab etiam meretrix confessa est, supra cap. 2. v. 10. tamen Jordanes fluvius, cum per hunc etiam siccis vestigiis transivissent, corruentesque muri sua sponte ad illum solummodo clamorem, et tubarum sonitum, et inprimis sol, in cursu suo consistens, ad imperium Josue, documenta ipsis evidentissima esse debebant, Deum esse, qui Israelitas duceret, et cui se non deberent opponere, sed potius quaerere Israelitarum benevolentiam, quemadmodum Gabaonitae fecerunt, ut conservarentur.

21. *In illo tempore venit Josue, et interfecit Enacim de montanis Hebron, et Dabir, et Anab, et de omni monte Juda, et Israel, urbesque eorum delevit.* Hebron, Dabir, et Anab civitatum sunt nomina: quarum duae priores in tribu deinde erant Juda, et prima Cariatharbe,* altera Cariathsepher etiam altero nomine adpellabatur, infra cap. 14. v. 15. et cap. 15. v. 15. tertia vero Anab, in tribu erat Ephraim, quam S. Hieronymus in libro de locis Hebraicis quatuor millia passuum a Diospoli, vel alio nomine Lydda, Orientem versus abfuisse docet. Enacim erant homines giganteae staturae, de quibus iam etiam ad Num. 13. v. 23. dictum est. Infra autem capitis 14. versu 12. Caleb montem Hebron sibi petiit ab Josue dari ea conditione; uti Enacim, ibi habitantes, ipse deleret. Quod ergo, tam hic, quam superioris capitis versu 34. Josue dicitur Hebronem, atque omnia oppida illius regionis in Hebron cepisse; id sic sumendum est, quatenus hoc fecit per Calebum, cui hoc negotium ab eo erat commissum. Neque enim ea tantum, quae in bello per se, verum etiam quae suorum manibus gerunt, ducibus tribuuntur. 22. *Non reliquit ullum de stirpe Enacim in terra filiorum Israel absque civitatibus Gaza, et Geth, et Azoto, in quibus solis relicti sunt.* Philisthaeorum hae tres erant civitates. Quorum regio in Chananaeae inferiore parte prope mare Mediterraneum sita erat.

23. *Cepit ergo Josue omnem terram, sicut locutus est Dominus per Moysen, et tradidit eam*

in possessionem filiis Israel secundum partes, et tribus suas, quievitque terra a praeliis. Praeter Philisthaeorum istas civitates, quae modo, superiore versu, memoratae sunt; fuisse plures alias reliquias Chananaeorum relictas; tam isto, quam sequentibus libris Judicum, et Regum offerent se exempla: quin hoc etiam Judicum 2. v. 2. ab angelo Israelitis exprobratum fuit. Quid igitur? nempe tenet hic quoque illa regula, quam S. Hieronymus ep. 146. proponit ad Damasum, et quam iam alias etiam meminimus. ,, Secundum eum canonem, in- ,, quit, quem saepe exposuimus Scripturarum, omnia ,, non ad totum referenda sunt, sed ad partem ma- ,, ximam.‟ Si ergo Israelitae, adversus Dei mandatum, Chananaeos aliquos reliquerunt, neque illos funditus deleverunt; quomodo istius rei culpa non in Josuam recidit, cuius, cum dux populi esset, primae istius negotii debebant esse partes? cui tamen, quoad exsecutionem huius ipsius negotii, istud elogium tribuitur: ,, Sicut praeceperat Dominus ,, Moysi servo suo, ita praecepit Moyses Josue, ,, et ille universa complevit: non praeteriit de uni- ,, versis mandatis, nec unum quidem verbum.‟ Erat officium Josue regionem, quam Israelitis ad incolendum daret, occupare, hostesque in ea debellare. Id ille fecit ita, ut pacate, et sine metu possent habitare, neque ullus hostium resistere illis auderet, ut est infra capitis 21. v. 42. Istos, qui ex Chananaeis residui erant, ipsi debuissent, quique in sua tribu, et regionis parte, quam inco-

lendam acceperant, exstirpare, utpote qui iam resistere ipsis non auderent. At illi maluerunt ipsos sibi facere tributarios, ut est infra cap. 17. v. 13. Eaque re peccarunt. Nam interficere illos debuissent. Cumque hac ipsa conditione possessiones ab Josua accepissent, ut in iis reliquias hostium ipsi per se e medio sufferrent, id, quod intelligitur ex capitis 17. v. 18. ubi tribui Ephraim, et Manasse istud de Chananaeis, qui in illorum montibus adhuc reliqui essent, subvertendis mandatum a Josue datum esse cernitur; illorum hoc omne, qui, quod ab Josua sibi etiam demandatum habuerunt, neglexerint facere, peccatum, non ipsius Josue haec aliqua culpa fuit.

CAPVT XII.

Recensentur reges, quorum ditiones in Chananaea occuparunt Israelitae.

1. *HI sunt reges, quos percusserunt filii Israel, et possederunt terram eorum trans Jordanem ad solis ortum a torrente Arnon usque ad montem Hermon, et omnem orientalem plagam, quae respicit solitudinem.* Arnon fluvius a Meridie terminabat eam, quae trans Jordanem sita fuit, Israelitarum regionem; mons Hermon ad Septemtrionem. Solitudo, quae hic memoratur, adiacebat huic eidem regioni, ex latere illius orientali, eratque pars Arabiae desertae. 2. *Sehon rex Amorrhaeorum,*

qui habitavit in Hesebon, dominatus est ab Aroer, quae sita est super ripam torrentis Arnon, et mediae partis in valle, Hebraice: *et in medio vallis* (וְתוֹךְ הַנַּחַל) *dimidiaeque Galaad, usque ad torrentem Jaboc, qui est terminus filiorum Ammon:* Galaad nomen regionis est in ea parte, quae trans Jordanem est, sicque dicta est a montibus Galaad ibi sitis: 3. *et a solitudine usque ad mare Ceneroth, contra Orientem*, Hebraice: *ab Oriente*, (מִזְרָחָה) *et usque ad mare deserti, quod est mare salsissimum ad Orientalem plagam per viam, quae ducit Bethsimoth, et ab Australi parte, quae subiacet Asedoth usque Phasga.* Mare Ceneroth, idem est, qui lacus Genesareth, ut iam hoc non multo ante dictum est. Mare salsissimum, est iterum idem ille, qui lacus Asphaltidis, vel qui etiam mare mortuum adpellatur. Phasga est nomen proprium montis. Asedoth iterum Interpres pro nomine proprio sumpsit, quod ad cap. 10. v. 40. iam demonstratum est, esse adpellativum, significari eo declivitatem, quae solet esse ad pedes montium. Hoc: *quae subiacet Asedoth usque Phasga*, est sic in Hebraeo: *infra radices Phasga.* (תַּחַת אַשְׁדּוֹת הַפִּסְגָּה) Bethsimoth fuit urbs trans Jordanem in deserto Moab. Num. 33. v. 49. Isti erant termini, quibus regio regis Sehon circumscribebatur, quamque Israelitae in illa ulteriore parte Jordanis occupaverunt. Altera ibi regio occupata est ab Og rege Basan, cuius modo descriptio sequitur.

4. *Terminus Og regis Basan de reliquiis Raphaim, qui habitavit in Astaroth, et in Edrai, et dominatus est in monte Hermon, et in Salecha, atque in universa Basan usque ad terminos* 5. *Gessuri, et Machati, et dimidiae partis Galaad terminos Sehon regis Hesebon.* Raphaim stirps una gigantum fuit, de quibus iam Genesis 14. v. 5. mentio facta est. Astaroth, Edrai, et Salecha civitatum sunt nomina ex ditione regis Og. Gessuri, et Machati sunt etiam locorum nomina infra montem Hermon, quibus terminabatur ad Septemtrionem regis Og ditio in confiniis regni Sehon. 6. *Moyses famulus Domini, et filii Israel percusserunt eos, tradiditque terram eorum Moyses in possessionem Rubenitis, et Gaditis, et dimidiae tribui Manasse.* 7. *Hi sunt reges terrae, quos percussit Josue, et filii Israel trans Jordanem:* Citerior haec pars, respectu Palaestinae, erat Jordanis. Hebraicam praepositionem *Eber* (עֵבֶר) utrumque: cis, vel trans significare, iam aliquoties demonstratum est: *ad Occidentalem plagam a Baalgad in campo Libani usque ad montem, cuius pars adscendit in Seir, tradiditque eam Josue in possessionem tribubus Israel singulis partes suas* 8. *tam in montanis, quam in planis, atque campestribus, in Asedoth*, hoc est, in locis declivibus, ut iam ad versum 3. etiam huius capitis demonstratum est, *et in solitudine, ac in Meridie: Hethaeus fuit, et Amorrhaeus, Chananaeus, et Pherezaeus, Hevaeus, et Jebusaeus.* Ista pars huius versus: He-

thaeus fuit Amorrhaeus, et ceteri, qui hic enumerantur, referuntur ad initium versus antecedentis septimi: *Hi sunt reges terrae, quos percussit Josue, et filii Israel.* Non habet hic Versio Latina adcuratam interpunctionem. Primumque gentilia nomina ponuntur regum, tum vero, ut sequetur, civitatum: in quibus regnaverint, et quot numero fuerint.

9. *Rex Jericho unus, rex Hai, quae est ex latere Bethel, unus.* 10. *Rex Jerusalem unus, rex Hebron unus.* 11. *Rex Jerimoth unus, rex Lachis unus.* 12. *Rex Eglon unus.* Isti quinque ordine extremi illi sunt, quos Josue illo praelio vicit, quando solem iussit stare capitis 10. v. 3. *Rex Gazer unus.* Iste, cum Lachis civitas ab Josua oppugnaretur, subsidioque ei voluisset venire, victus una est capitis 10. v. 33. *Rex Dabir* 13. *unus, rex Gader unus.* 14. *Rex Herma unus, rex Hered unus.* Rex iste nomine congruit cum rege illo Arad, quem Numer. cap. 21. Israelitae vicerunt. Nam in Hebraeo utrobique hoc nomen eodem modo est scriptum עֲרָד *Arad.* Itaque ipse ille tum victus huc ad censum devictorum ab Israelitis regum videtur positus esse. Potuit autem etiam altera eodem nomine esse civitas: quemadmodum tale exemplum etiam de Cades brevi sequetur. 15. *Rex Lebna unus, rex Odullam unus.* 16. *Rex Maceda unus, rex Bethel unus.* 17. *Rex Taphna unus, rex Opher unus.* 18. *Rex Aphec unus, rex Saron unus.* 19. *Rex Madon unus, rex Asor unus.* 20. *Rex Semeron unus,*

rex Achsaph unus. 21. *Rex Thenac unus, rex Mageddo unus.* 22. *Rex Cades unus, rex Jachanan Carmeli unus.* Carmelus nomen proprium est montis in superiore parte Palaestinae prope mare Mediterraneum, sed etiam alter isto nomine mons fuit in inferiore eius parte in tribu Juda. Cades vero non illud est in deserto, unde exploratores missi sunt Num. 13. v. 27. Sed fuit hoc in tribu Nephthali. Infra cap. 19. v. 37. *Rex Dor, et provinciae Dor unus.* Erat nimirum et urbis, et ei coniunctae regionis nomen unum. Fuit sita ad mare Mediterraneum non longe a Carmelo. *Rex gentium Galgal unus.* Nimirum hoc: *Gentiumgalgal* compositum fuit istius civitatis nomen, cuius iste rex erat. 24. *Rex Thersa unus.* Hic postea in hac urbe Thersa sedes fuit regum Israel, cum se hoc regnum scidisset ab regno Juda, antequam condita fuisset Samaria 3. Reg. 14. v. 17. *Omnes reges triginta unus.* Ex clade, quam Chananaeis gentibus attulerat Josue, aliquos fuga sese subduxisse, alioque habitandi causa demigrasse, in Scriptura nuspiam dicitur. De Maurisiis hoc tamen docet Evagrius Hist. Eccl. l. 4. c. 18. ex Procopio, istos ex Chananaea tum se recepisse in Lybiam: visasque ibi fuisse duas columnas, quibus istud ipsum Phoeniciis literis in haec verba inscriptum fuerit: „Nos „sumus, qui a facie Josue latronis filii Nave fu„gimus.“

CAPVT XIII.

Josue senex terram iubetur distribuere Israelitis. Termini, quibus regio tribus Ruben, Gad, et dimidiae Manassis trans Jordanem circumscribebatur, exponuntur.

1. *JOSVE senex, provectaeque aetatis erat, et dixit Dominus ad eum: senuisti, et longaevus es, terraque latissima derelicta est, quae necdum sorte divisa est.* Loco huius *necdum sorte divisa est*, in Hebraeo est *ad possidendum eam.* (לְרִשְׁתָּהּ) Est vero sermo de terra, quam adhuc tenerent adversarii, et quam Israelitae necdum in suam potestatem redegissent. Quod confirmatur ista enumeratione terrarum, et civitatum, quae subsequitur, et in qua manifeste tales ponuntur, quae tum ab adversariis adhuc tenebantur. Quare de illis sic pronunciat etiam ibi Deus: „Ego sum, inquit, qui „delebo eos a facie filiorum Israel" infra versu 6: *omnis videlicet Galilaea* 2. *Philisthiim, et universa Gessuri* 3. *a fluvio turbido, qui irrigat Aegyptum usque ad terminos Accaron contra Aquilonem.* Non est hic illa Galilaea, quae postea circa mare Tiberiadis peculiarem provinciam constituerat. Nam ibi ab Josua iam nunc expeditiones bellicae erant factae, quando Jabin regem Asor debellavit. Fuit enim deinde Asor ad tribum Nephthali relata, quae postea tribus fuit in Galilaea. Loco huius:

Omnis Galilaea Philisthiim, est in Hebraeo: *Omnes termini Philisthiim*. (כָּל־גְּלִילוֹת הַפְּלִשְׁתִּים) Quod Septvaginta etiam sic verterunt: Ὅρια Φυλιϛιείμ *termini Philisthiim*. Itaque Philisthaeorum regio hic intelligitur, quae rondum erat subiugata, itemque Gessuri. Quae Gessuri distincta est ab ea, de qua superioris capitis v. 5. fuit facta mentio, quaeque ad Septemtrionem ab Chananaea spectabat. At ista ad Meridiem vergebat, et erat finitima Philisthaeorum regioni. Quod intelligitur ex 1. Reg. 27. v. 8. ubi Gessuri collocatur a Philisthaeorum regione Meridiem versus, et qua iter erat in Aegyptum, et unde David, tanquam ex aliena civitate, praedas, dum apud Philisthaeorum regem Achis propter metum Saulis erat, agebat. Adcuratius autem adhuc Philisthaeorum, et Gessuri regio determinatur: *a fluvio turbido, qui irrigat Aegyptum usque ad terminos Accaron contra Aquilonem*. His enim illa finibus continebatur. Accaron erat civitas in Philisthaeorum regione, posita altissime versus Septemtrionem. Infra autem ex Meridionali plaga rivus fluit quidam, qui ex opposita parte Arabiae ad Rhinocoruram civitatem in mare fertur Mediterraneum. Nam iste rivus, tametsi et nunc dicatur irrigare Aegyptum, et alias saepius fluvius adpelletur Aegypti, non fuisse eumdem, qui Nilus, ut aliqui autumant, sed omnino istum ad Rhinocoruram intelligitur hinc, quod, qui terminus Israelitarum regioni ex Meridionali parte adsignatur ad Bersabeam, idem iste rursus definiatur fluvio Aegypti. Inter Bersabeam

autem et Aegyptum tota adhuc interiacet Arabia: nec proinde Nilus, sed alter ibi ad Rhinocoruram fluens fluvius terminator Israeliticae regionis esse potuit. Sic enim est 3. Reg. 4. v. 25. „Habitavit„que Juda, et Israel absque timore ullo unusquis„que sub vite sua, et sub ficu sua a Dan usque „Bersabee cunctis diebus Salomonis.“ et rursus: „Fecit ergo Salomon in tempore illo festivitatem „celebrem, et omnis Israel cum eo, multitudo ma„gna ab introitu Emath usque ad rivum Aegypti“ 3. Reg. 8. v. 65. Cum Bersabea igitur rivus iste Aegypti congruere debet, cum utrumque positum sit pro eodem Meridionali Palaestinae termino. Quare S. Augustinus Quaest. 21. in Josue „Flu„men, inquit Aegypti, qui finis est disterminans „regnum Israel ab Aegypto, non est Nilus; sed „alius, et non magnus fluvius, qui fluit per Rhi„nocoruram civitatem.“ In Hebraeo loco huius, qui irrigat Aegyptum, est sic: *qui est super* (vel *contra:* nam utrovis modo Hebraica praepositio verti potest) *faciem Aegypti.* (אֲשֶׁר עַל פְּנֵי מִצְרַיִם) Quod sic sumendum est, ut qua versus Aegyptus esset, ex ea parte intelligeretur fluere, non in Aegypto esse. Cur igitur rivus Aegypti adpellatur, si in Aegypto non fuit? Videtur haec illius adpellatio inde originem duxisse, quod hunc rivum putaverint venire ex Nilo, eumque illius spectarent veluti ramum. Quare illum etiam S. Hieronymus de Locis Hebraicis vocat rivum Nili. Venit autem tantum ex Arabiae parte Orientali, neque aliquid coniunctionis

habet cum Nilo, ut iam supra dictum est. Haec autem Philisthaeorum ita adhuc magis describitur regio: *Terra Chanaan, quae in quinque regulos Philisthiim dividitur: Gazaeos, et Azotios, Ascalonitas, Gethaeos, et Accaronitas.* Non tota haec ergo erat Chanaan, sed illa tantummodo pars, quam tenebant Philisthaei. 4. *Ad Meridiem vero sunt Hevaei*, intellige, qui etiam nondum ab Israelitis sint subacti, *omnis terra Chanaan, et Maara Sidoniorum usque Apheca, et terminos Amorrhaei,* 5. *eiusque confinia.* Omnis terra Chanaan, videlicet illa rursus tantum, quae in ea regionis Chanaan parte esset, quae hic modo determinatur: nimirum Maara Sidoniorum. Est Maara vocabulum Hebraicum, quod ab radice derivatum *Arah* (עָרָה) denudationem significat, et translate etiam usurpatur pro fovea, tamquam quae aperiendo terram, fiat. Itaque positum hoc vocabulum est pro spatio illius regionis, quod se explicaret circa Sidonem. Haec civitas, ut iam alias demonstratum est, sita fuit in litore maris Mediterranei ad Septemtrionem Chananaeae in confiniis Syriae. Aphec fuit civitas ad radices montis Libani. Atque ibi defiguntur termini Amorrhaeorum regionis: qui iterum ponuntur generatim pro Chananaeae populis. Pro hoc: *Eiusque confinia* est in Hebraeo: *Et terra Gibli.* (וְהָאָרֶץ הַגִּבְלִי) Quod etiam a Chaldaeo sumptum est pro nomine proprio. Urbs Syriae Gabala, vel vero Biblos, alio etiam nomine Gibeleth dicta, videtur esse intelligenda. *Libani quoque regio contra Orientem*, rur-

sus hic etiam illud intellige: haec nondum etiam ab Israelitis subacta regio est, *a Baalgad sub monte Hermon, donec ingrediaris Emath:* 6. *omnium, qui habitant in monte a Libano usque ad aquas Maserephot, universique Sidonii.* Baalgad est nomen civitatis. Aquae Maserephot, quales, et ubi fuerint, iam est dictum ad cap. 11. v. 8.

Ego sum, qui delebo eos a facie filiorum Israel. Veniat ergo in partem haereditatis Israel, sicut praecepi tibi. 7. *Et nunc divide terram in possessionem novem tribubus, et dimidiae parti Manasse.* 8. *Cum qua,* altera videlicet parte dimidia tribus Manasse, *Ruben, et Gad possederunt terram, quam tradidit eis Moyses famulus Domini trans fluenta Jordanis ad Orientalem plagam:* 9. *Ab Aroer, quae sita est in ripa torrentis Arnon, et in vallis medio, universaque campestria Medaba usque Dibon,* 10. *et cunctas civitates Sehon regis Amorrhaei, qui regnavit in Hesebon usque ad terminos filiorum Ammon,* 11. *et Galaad, ac terminum Gessuri, et Machati, et omnem montem Hermon, et universam Basan usque ad Salecha:* 12. *Omne regnum Og in Basan, qui regnavit in Astaroth, et Edrai; ipse fuit de reliquiis Raphaim. Percussitque eos Moyses, atque delevit.* 13. *Nolueruntque disperdere filii Israel Gessuri, et Machati, et habitaverunt in medio Israel usque in praesentem diem.* 14. *Tribui autem Levi non dedit possessionem, sed sacrificia, et victimae Domini Dei ipsa est eius haereditas,*

sicut locutus est illi. 15. *Dedit ergo Moyses possessionem tribui filiorum Ruben iuxta cognationes suas.* 16. *Fuitque terminus eorum ab Aroer, quae sita est in ripa torrentis Arnon, et in valle eiusdem torrentis media: universam planitiem, quae ducit Medaba,* subintellige ex praecedente versiculo, tribui Ruben Moyses dedit, 17. *et Hesebon, cunctosque viculos earum, qui sunt in campestribus, Dibon quoque, et Bamothbaal, et oppidum Baalmaon,* 18. *et Jassa, et Cedimoth, et Mephaath,* 19. *et Cariathaim, et Sabama, et Sarathasar in monte convallis,* 20. *Bethphogor, et Asedoth, Phasga, et Bethiesimoth,* 21. *et omnes urbes campestres, universaque regna Sehon regis Amorrhaei, qui regnavit in Hesebon, quem percussit Moyses cum principibus Madian: Hevaeum, et Recem, et Sur, et Hur, et Rebe duces Sehon habitatores terrae,* 22. *et Balaam filium Beor ariolum occiderunt filii Israel gladio cum ceteris interfectis.* Quinque isti principes: Hevi, Recem, Sur, Hur, Rebe, et principes Madian, et duces regis Sehon nominantur. Sunt principes isti interfecti in bello cum Madianitis gesto, quod Madianitae per feminas suas seduxissent Israelitas ad luxuriem, et idololatriam Num. 31. v. 8. Cum Sehone vero iam prius bellum fuit gestum Num. 21. v. 24. in quo ille victus, et omni sua ditione ab Israelitis spoliatus est. Quod igitur hi Madianitae principes, etiam duces Sehonis vocentur; illa ratio est, quod ei fuerint subiecti, et obnoxii. Nam

Sehonem latius etiam ultra regni sui fines in exteros populos auctoritatem exercuisse, inde perspicuum est, quod, ubi ille ab Israelitis devictus fuisset, de eo, Amorrhaeisque, quorum rex erat, alii inducantur irridendo, et insultando dixisse: „Jugum „ipsorum disperiit ab Hesebon.“ Num. 21. v. 30.

23. *Factusque est terminus filiorum Ruben Jordanis fluvius. Haec est possessio Rubenitarum, per cognationes suas urbium, et viculorum.* 24. *Deditque Moyses tribui Gàd, et filiis eius per cognationes suas possessionem, cuius haec divisio est.* 25. *Terminus Jaser, et omnes civitates Galaad, et dimidiam partem terrae filiorum Ammon usque ad Aroer, quae est contra Rabba.* Aliquid occupare, quod esset Ammonitarum, fuit a Deo vetitum Israelitis. Deut. 2. v. 19. Sed rex Sehon, antea pugnans cum Moabitis, et Ammonitis utrisque partem ex ditione ademit. Cumque haec iam possideretur ab Sehone; illam, tanquam rem iam huius, cum omnibus illius ditionibus occuparunt. Id, quod intelligitur sic factum esse, quoad Moabitas Num. 21. v. 26. quoad Ammonitas autem Jud. 11. v. 13. ets. est. 26. *Et ab Hesebon usque Ramoth, Masphe, et Betonim, et a Manaim usque ad terminos Dabir.* Haec trans Jordanem civitas Dabir diversa est ab illa, quae in monte Hebron fuit sita eodem nomine Dabir civitas, supra cap. 11. v. 21. *In valle quoque* 27. *Betharam, et Bethnemra, et Socoth, et Saphon reliquam partem regni Sehon regis Hesebon. Huius quoque finis Jorda-*

nis est usque ad extremam partem maris Cenereth trans Jordanem ad Orientalem plagam. 28. *Haec est possessio filiorum Gad per familias suas, civitates, et villae earum.*

29. *Dedit et dimidiae tribui Manasse, filiisque eius iuxta cognationes suas possessionem.* 30. *Cuius hoc principium est: a Manaim universam Basan, et cuncta regna Og regis Basan, omnesque vicos Jair, qui sunt in Basan, sexaginta oppida,* 31. *et dimidiam partem Galaad, et Astaroth, et Edrai urbes regni Og in Basan filiis Machir filii Manasse, dimidiae parti filiorum Machir iuxta cognationes suas.* 32. *Hanc possessionem divisit Moyses in campestribus Moab trans Jordanem contra Jericho ad Orientalem plagam.* Hic vero speciem alicuius contradictionis illud videtur habere, quod tribui Gad versu 27. pars regni Sehon dicatur esse data, praecesserit autem iam versu 21. quod Moyses dederit tribui Ruben: *omnes urbes campestres, universaque regna Sehon regis Amorrhaei.* Nam, si huic tribui totum datum est, nihil ergo remansit, quod ex eodem Sehonis regno dari potuisset tribui Gad. Illud: *universaque regna Sehon regis Amorrhaei*, non pertinet ad verbum: *dedit*, sed ad loca, et urbes, quae antea sunt enumeratae, de istisque declarationis causa est deinde positum, fuisse haec omnia regnum Sehonis. Quamvis ergo haec omnia, quae Ruben tribus in possessionem accepit, de regno Sehon fuerint; non tamen inde consequens est, non superfuisse praeterea

ea alia etiam illius, quae tribus Gad accipere, et habere posset. Etiam inter tribum Gad, et dimidiam Manasse aliquid simile de illarum possessionibus se obiicit. Nam versu 25. dicuntur tribui Gad esse datae omnes civitates Galaad, et tamen deinde versu 31. tribus dimidia Manasse dicitur accepisse dimidiam partem Galaad. Quod sic inter se conciliandum est. Erat nimirum antea provincia Galaad divisa inter Sehon, et Og reges duos, ut est superioris capitis versu 2. et 5. Totam Basan, et quidquid erat regis Og; hoc accepit tribus Manasse, atque adeo illam etiam dimidiam partem Galaad, quae antea regis Og fuerat, ut est versu 31. Alteram autem partem de Galaad, quae regis Sehon fuerat; obtinuit tribus Gad. Quod ergo dictum est tribum Gad omnes civitates Galaad accepisse; id intelligi debet tantum de omnibus civitatibus Galaad, quae erant regis Sehon, non autem simpliciter de omnibus, quae essent etiam extra illius ditionem. 33. *Tribui autem Levi non dedit possessionem, quoniam Dominus Deus Israel ipse est possessio eius, ut locutus est illi.* Numerorum 18. v. 8. hoc Deus pronunciaverat. Sicque Deus Levitarum erat haereditas, ut iam alias demonstratum est, quod cum ceterae tribus fundorum possessiones acciperent, unde viverent; Levitis, et sacerdotibus Deus ea, quae sibi offerrentur, ad victum cederet, ut est versu huius capitis decimo quarto.

CAPVT XIV.

Caleb sibi montem Hebron ab Josue postulat, eumque impetrat.

1. *HOC est, quod possederunt filii Israel in terra Chanaan, quam dederunt eis Eleazar sacerdos, et Josue filius Nun, et principes familiarum per tribus Israel,* 2. *sorte omnia dividentes, sicut praeceperat Dominus in manu Moysi novem tribubus, et dimidiae tribui.* Numerorum 34. v. 13. hoc est mandatum per Moysem propositum, ipsique nominatim tribuum principes designati sunt, cum quibus hoc negotium perageretur. 3. *Duabus enim tribubus, et dimidiae dederat Moyses trans Jordanem possessionem absque Levitis, qui nihil terrae acceperunt inter fratres suos:* 4. *sed in eorum successerunt locum filii Joseph in duas divisi tribus Manasse, et Ephraim: nec acceperunt Levitae aliam in terra partem, nisi urbes ad habitandum, et suburbana earum ad alenda iumenta, et pecora sua.* 5. *Sicut praeceperat Dominus Moysi, ita fecerunt filii Israel, et diviserunt terram.* 6. *Accesserunt itaque* Hebraice: *Et accesserunt* (וַיִּגְּשׁוּ) *filii Juda ad Josue in Galgala:* non omnes filii Juda, sed tantum quidam: Caleb nimirum, et qui ex illius erant familia, ut sequitur: *locutusque est ad eum Caleb filius Jephone Cenezaeus,* unde

cognomen hoc traxerit, ad Numer. 32. v. 12. iam explicatum est: *nosti, quid locutus sit Dominus ad Moysem hominem Dei de me, et te in Cadesbarne.* 7. *Quadraginta annorum eram, quando misit me Moyses, famulus Domini de Cadesbarne, ut considerarem terram, nunciavique ei, quod mihi verum videbatur:* Hebraice: *Sicut fuit cum corde meo* (כַּאֲשֶׁר עִם־לְבָבִי) hoc est sincere. 8. *Fratres autem mei, qui adscenderant mecum*, omnes socii, qui cum eo missi erant ad explorandum, ex aliis erant tribubus. Num. 13. v. 5. Itaque fratris nomen hic latius sumitur pro iis, qui ex eadem secum fuissent Israelitica gente: eoque magis, quod Israelitica gens tota eundem haberet parentem, *dissolverunt cor populi, et nihilominus ego secutus sum Dominum Deum meum:* cuius videlicet dictis, atque promissionibus adhaeserit: cum e contrario alii desperassent posse se obtinere Chananaeam, propter hominum magnitudinem et proceritatem, quos ibi viderant, quamvis Deus illam ipsis promisisset.

9. *Juravitque Moyses in die illo dicens: terra, quam calcavit pes tuus, erit possessio tua, et filiorum tuorum in aeternum, quia secutus es Dominum Deum meum.* 10. *Concessit ergo Dominus vitam mihi sicut pollicitus est, usque in praesentem diem. Quadraginta, et quinque anni sunt, ex quo locutus est Dominus verbum istud ad Moysen, quando ambulabat Israel per solitudinem. Hodie octoginta quinque annorum sum,*

11. *sic valens, ut eo valebam tempore, quando ad explorandum missus sum: illius in me temporis fortitudo usque hodie perseverat tam ad bellandum, quam ad gradiendum.* Caleb in exploratione totam Chananaeae regionem circuiverat Num. 13. v. 26. Si ergo terra, quam tum calcaverat ipsius pes; illius futura erat, non solum montem Hebronem accipere debuisset vi iuramenti, quod ei praestitit Moyses. At vero hunc tantum accepit, ut subsequetur. Non fuit a Moyse Calebo dictum totam terram, quam calcasset, et regionem, quam ambulando circuivisset, futuram illius. Nam, si hoc ita fuisset, cum ille totam Chananaeae regionem circumiverit, haec tota illi uni cedi debuisset. Quid ergo aliis mansisset? Promissum igitur illi fuit, quod terra illa futura sit illius haereditas, hoc est, quod ipse, atque eius posteri haereditatem, et partem quam possiderent, habituri ex ea essent; non autem, quod illa solius tantum ipsius futura esset haereditas. Quare nec ipse Caleb aliud, quam montem Hebron sibi dari petiit, huncque nec aliud quidquam sibi esse promissum a Deo dixit, ut sequitur versu sequenti.

12. *Da ergo mihi montem istum, quem pollicitus est Dominus te quoque audiente, in quo Enacim sunt, et urbes magnae, atque munitae: si forte sit Dominus mecum, et potuero delere eos, sicut promisit mihi.* Jam superius capitis 10. v. 37. iterumque cap. 11. v. 21, 22. est Hebronem, omniaque oppida regionis illius esse ab Jo-

sua capta, omnesque in iis ita deletos, ut nullas in iis omiserit reliquias, atque ipsos Enacim gigantes ad unum omnes esse ab eo interfectos. Quomodo ergo Caleb montem, regionemque illius montis Hebron sibi nunc ab Josua dari postulat, eo proposito; ut Enacim ipse deleat? Quod nunc de Calebo narratur, non est positum in proprio narrationis loco; sed pertinet ad illud iam anterius tempus, quando Hebron, aliaeque in eo monte civitates dicuntur superius captae, atque expugnatae ab Josua. Quod hic interiicitur, ubi iam de divisione terrae inter tribus, et familias narratio fit, istudque de Calebo interponitur ad docendum, quomodo mons Hebron ad illum pervenerit, esseque id Dei oraculum, quod de eo pronunciatum est, minime frustratum. Sic igitur res illa gesta existimari debet. Fuit rex Hebron unus ex illis quinque, qui ad Gabaonem oppugnandam iverunt, quod haec civitas se se Israelitis sponte subiecisset, illorumque fidei commisisset. Cum victi omnes hi quinque reges fuissent in praelio, atque eorum exercitus fusus; tum Josue exercitum suum duxit ad civitates illorum devictorum regum, et quasdam etiam alias, quod erant munitae, atque se fuga quidam ex praelio ad eas recepissent, oppugnandas. Tunc igitur hoc est a Calebo factum, ut ipse sibi montem Hebron dari petierit, ubi erant urbes munitae, et Enacim, quas urbes procul dubio adiutus auxilio suae tribus expugnaret, Enacaeosque, a quibus tenebantur, deleret. Idque factum ibi narratur, tanquam a Josua,

siquidem imperatoribus in bello illa etiam tribuuntur; quae ipsorum auspiciis ab eorum legatis, et ducibus geruntur. Cumque Caleb octoginta quinque annorum fuerit, quando Hebronem ab Josua obtinuit, quadraginta autem annos natus fuerit, quando missus a Moyse ad explorationem est; illa autem exploratio facta sit anno secundo postquam egressi ex Aegypto sunt, siquidem ex statione Sinai moverint anni secundi mense secundo Num. 10. v. 11. et cum maturescere uvae inciperent, atque adeo adpropinquante autumno exploratio instituta sit, Num. 13. v. 21. et vergente ad finem altero egressionis anno, inde vero peregrinatio per desertum triginta, et octo annos adhuc duraverit, istique, si additi fuerint ad quadraginta aetatis Calebi annos, quos tum habuit, quando in exploratione fuit, numerum efficiant annorum Septvaginta octo, quos Caleb habuit, quando Israelitae venerunt in Chananaeam, sequitur reliquos septem annos, qui intercesserunt ad aetatis ipsius octogesimum quintum annum, quo tempore, cum vergentibus iam ad finem expeditionibus bellicis de adeundis possessionibus agitaretur, insumptos esse ab Josua, et Israelitis in hostibus in Chananaea debellandis fere ad id tempus, quo divisio inter tribus, et familias peracta esset regionis.

13. *Benedixitque ei Josue, et tradidit ei Hebron in possessionem.* 14. *Atque ex eo fuit Hebron Caleb filio Jephone Cenezaeo usque in praesentem diem, quia secutus est Dominum Deum*

Israel. 15. *Nomen Hebron ante vocabatur Cariatharbe. Adam maximus ibi inter Enacim situs est. Et terra cessavit a praeliis.* Hebraei hoc intelligunt de sepulchro Adami primi hominis, quasi ibi in Hebron is fuisset sepultus. Origenes Tractat. 35. in Matth. S. Epiphanius haer. 46. S. Ambrosius in Lucae cap. 10. tradunt Adamum in monte Calvariae esse sepultum. Quod S. Hieronymus in Matth. cap. 27. favorabilem opinionem adpellat, mulcentem aurem populi, nec tamen veram. Ipsius sunt verba. In praesenti quidem loco nihil de Adamo, illiusque sepultura est. Iste autem sensus est. *Nomen Hebron ante vocabatur Cariath Arbe.* Arbe est nomen proprium viri, qui pater fuit Enac, ut est subsequentis capitis versu 13. Ab hoc igitur Enac vocati sunt Enacim in familia ista gigantum. Cariath Arbe itaque idem significat, quod civitas Arbe. Nam Cariath civitatem significat. Sequitur deinde: *Adam maximus ibi inter Enacim situs est.* Quod Hebraice sic est: *Homo magnus inter Enacim ipse.* (הָאָדָם הַגָּדוֹל בָּעֲנָקִים הוּא) Ipse nimirum Arbe, de quo fuit dictum, ipsius nomine fuisse vocatam Hebron, Civitatem Arbe, dicitur fuisse magnus inter Enacim. Versionis haec obscuritas inde enata est, quod Latinus Interpres vocabulum Adam Hebraicum retinuerit, veluti si esset proprium, cum tamen sit accipiendum adpellative, quodque cum proprium primo homini fuit, tum etiam Hebraeis hominem quemcunque adpellative significat. Terra vero quievit a praeliis ab illis videlicet expeditioni-

bus bellicis, quae ductu Josue fierent, totiusque exercitus vi. Nam postea populi tribus pro se gessisse adhuc aliquos conflictus in fundis suarum possessionum cum Chananaeorum reliquiis; sed quas per ignaviam non deleverint, magisque tributarias sibi tantum facere voluerint; infra ex cap. 17. v. 13. manifestum est. Qua de re iam etiam ad finem capitis 11. supra a me dictum est.

CAPVT XV.

Tribui Juda adsignatur regio ad habitandum, eiusque termini definiuntur.

1. *IGITVR sors filiorum Judae per cognationes suas ista fuit: a termino Edom desersum Sin contra Meridiem, et usque ad extremam partem Australis plagae:* subintellige: terminus illius fuit: nimirum omnium profundissime sita haec tribus fuit, qua Chananaea spectat Australem plagam. 2. *Initium eius a summitate maris Salsissimi, et a lingva eius, quae respicit Meridiem.* Summitas pro vertice, et ubi altissime situm est hoc mare, posita est, quod mare, lacum esse Asphaltidis iam saepius demonstratum est. Cuius pars, quae ad Meridiem tenditur, quoniam angustior est, in continentemque se insinuat, lingva dicitur: quem nos in mari sinum Latine solemus dicere. 3. *Egrediturque contra Adscensun scorpionis, et pertransit in*

Sina, adscenditque in Cadesbarne, et pervenit in Esron adscendens ad Adar, et circuiens Carcaa. Isti termini istius tribus sunt ad Meridiem, ducto limitum initio ab extremitate, et lingva lacus Asphaltici Occidentem versus. Adscensus Scorpionis est nomen parvae regionis, quae Hebraice *Acrabim* vocatur, quodque nomen hic proprium loci Interpres iuxta id, quod in Hebraea lingva significat, Latine vertit. Nomen creditur accepisse vel a scorpionum ibi frequentia, vel quod sita esset in loco tortuoso. Sina est desertum, unde exploratores a Moyse missi sunt. *Sin* recte vocatur, cui sonus literae a additus in Hebraeo, officium tantum peragit monstrandi esse nomen hoc sic positum, ut significet terminum. Esron, Adar, Carcaa civitatum sunt nomina in iisdem illis finibus. 4. *Atque inde pertransiens in Asemona, et perveniens ad torrentem Aegypti*, idem iste torrens est, de quo dictum est supra capitis 13. v. 3. *eruntque termini eius mare magnum. Hic erit finis Meridianae plagae.*

5. *Ab Oriente vero erit initium mare Salsissimum usque ad extrema Jordanis:* ubi is videlicet influeret ad mare hoc, et ad hunc lacum: *et ea, quae respiciunt ad Aquilonem a lingva maris usque ad eumdem Jordanis fluvium.* 6. *Adscenditque terminus in Bethhagla, et transit ab Aquilone in Betharaba adscendens ad Lapidem Boen filii Ruben.* Lapis Boen est nomen proprium loci, filii, seu potius ut S. Hieronymus in Libro de locis Hebraicis posuit, filiorum Ruben, quod nimirum iste

terminus tribus Juda eo exiret, ubi e regione, trans autem fluvium Jordanem, iste locus in tribu Ruben esset. 7. *Et tendens usque ad terminos Debeta de valle Achor contra Aquilonem respiciens Galgala, quae est ex adverso Adscensionis Adommim ab Australi parte torrentis* generali nomine torrentis, in Hebraeo autem est vocabulum *Nachal*, quod fluvium significat, Jordanes, tanquam praecipuus totius Chananaeae fluvius, per antonomasiam intelligitur: *transitque aquas, quae vocantur Fons solis, et erunt exitus eius ad fontem Rogel.* 8. *Adscenditque per convallem filii Ennon ex latere Jebusaei ad Meridiem, haec est Jerusalem, et inde se erigens ad verticem montis, qui est contra Geennom ad Occidentem in summitate vallis Raphaim contra Aquilonem,* 9. *pertransitque a vertice montis usque ad fontem aquae Nephtoa; et pervenit usque ad vicos montis Ephron, inclinaturque in Baala, quae est Cariathiarim, id est urbs silvarum.* 10. *Et circuit de Baala contra Occidentem usque ad montem Seir*, Isto nomine Seir illi etiam montes adpellabantur, in quibus sita fuit Idumaea: sed quoniam hi montes infra ad Meridiem sunt, iste vero mons Seir ibi collocatur, qua fines istius tribus ducebantur Aquilonem versus; sequitur hunc alterum aliquem debere esse montem, qui etsi nomine congruat, re et situ tamen differat. Seir vi sua significat pilosum, hirsutum, asperum. Ab asperitate igitur nomen hoc mons ille gessit: *transitque iuxta latus montis Jarim ad Aquilonem in*

Cheslon, et descendit in Bethsames, transitque in Thamna, 11. *et pervenit contra Aquilonem partis Accaron ex latere, inclinaturque Sechrona, et transit montem Bala, pervenitque in Jebneel, et magni maris contra Occidentem fine concluditur.* Tribus Juda fines suos non extendit ad mare usque, sed ibi regionem suam tenuerunt Philisthaei. Quid ergo? nimirum fines illos illa sibi habuit datos, sed negligens fuit in debellandis, atque delendis, quos intra fines suae regionis habuit, hostibus, aut certe Deus aliunde ab ipsis offensus auxilium suum subtraxit, quemadmodum de ipsis est ultimo versu huius capitis, quod Jebusaeum habitatorem Jerusalem non potuerint delere. Promisit Deus futurum, ut nullus eis posset resistere Deut. 7. v. 24. Cum ergo hoc factum non sit, sed e contrario hostes illis non tantum restiterint, verum saepe etiam atque hi ipsi quoque Philisthaei sub iugum illos miserint; causa erat quod Deus, offensus ab illis, non tantum vires contra hostes non tribuerit, verum etiam vinci ipsos ab illis siverit.

12. *Hi sunt termini filiorum Juda per circuitum in cognationibus suis.* 13. *Caleb vero filio Jephone dedit partem in medio filiorum Juda, sicut praeceperat ei Dominus, Cariath Arbe patris Enac: ipsa est Hebron.* Repetitio est rei, quae iam prius etiam narrata est superioris capitis versu 13. *Delevitque ex ea* 14. *Caleb tres filios Enac: Sesai, et Ahimam, et Tholmai de stirpe Enac.* 15. *Atque inde conscendens venit ad habitatores Dabir, quae*

prius vocabatur Cariath Sepher, id est civitas literarum. 16. *Dixitque Caleb: qui percusserit Cariathsepher, et ceperit eam; dabo ei Axam filiam meam uxorem.* 17. *Cepitque eam Othoniel filius Cenez, frater Caleb iunior, deditque ei Axam filiam suam uxorem.* Quaestio est hic, fueritne Othoniel Calebi germanus frater. Nam fratris vocabulum latiore significatione pro alio etiam propinquo usurpari in Scriptura insvetum non est. Est autem illud hic, quod se obiicit, quod Levitici 18. v. 14. lex lata sit: „Turpitudinem patrui tui non revela„bis." Cumque Axae Othoniel, si Calebi frater germanus fuisset, exstitisset patruus; nec Caleb, qui ab observantia erga Deum laudatus est, hoc tulisset; consequitur, Othonielem germanum fratrem Calebi minime fuisse. Sed Hebraeum sic etiam potest sumi, ut Othoniel non fuerit frater Calebi, sed tantum fratris Calebi filius; atque adeo ipse, et Axa solummodo erant consobrini. Sic enim est in Hebraeo: וַיִּלְכְּדָהּ עָתְנִיאֵל בֶּן־קְנַז אֲחִי כָלֵב Quod et sic verti potest, ut habet nostra Vulgata, et etiam ita: *Et cepit eam Othoniel filius Cenez fratris Caleb:* ad quem hunc alterum modum etiam verterunt Septvaginta: *καί ἔλαβεν ἀυτὴν Γοθονιήλ ὑιὸς κενὲζ ἀδελφοῦ χάλεβ.* Nec vocabulum illud: *iunior*, quod in Latina versione est, existit in Hebraeo. Deinde, si germanus Calebi frater fuisset, etiam patris illorum nomen conveniret. Non convenit autem. Nam Caleb filius Jephone fuit, Othoniel filius Cenez. Dicitur quidem etiam Caleb Cenezaeus,

superioris cipitis versu 6. sed ut ibi dictum est iste quidam alter ex familiae ipsius progenitoribus esse debuit, unde ipse cognomen hoc traxit. Sic ergo Othoniel non Calebi frater, sed ex fratre tantum filius fuit, cui Axam filiam suam dedit uxorem. Nec consobrinorum connubia erant in veteri lege vetita.

18. *Quae, cum pergerent simul, svasa est a viro, ut peteret a patre suo agrum, suspiravitque, ut sedebat in asino. Cui Caleb: quid habes, inquit?*
19. *At illa respondit: da mihi benedictionem: terram Australem, et arentem dedisti mihi, iunge et irriguam. Dedit itaque ei Caleb irriguum superius, et inferius.* Irriguum superius, et inferius est eiusmodi locus, et ager, qui foecundatur tam aquis e caelo labentibus, et pluviis; quam cuius solum est humidum, ita ut humore etiam ab imo adscendente vegetentur ea, quae in eo sata sunt. Qualis inter alias etiam benedictio fuit, quam Jacob Josepho dedit: „Omnipotens benedicet tibi be„nedictionibus caeli desuper, benedictionibus abys„si iacentis deorsum.“ Gen. 49. v. 25.

20. *Haec est possessio tribus filiorum Juda per cognationes suas.* 21. *Erantque civitates ab extremis partibus filiorum Juda iuxta terminos Edom a Meridie: Cabseel, et Eder, et Jagur,*
22. *et Cyna, et Dimona, et Adada,* 23. *et Cades, et Asor, et Jethnam,* 24. *Ziph, et Telem, et Baloth,* 25. *Asor nova, et Carioth, Hesron, haec est Asor,* 26. *Amam, Sama, et Molada,* 27. *et Asergadda, et Hassemon, et Bethphelet,* 28. *et*

Hasersual, et Bersabee, et Baziothia, 29. *et Baala, et Jim, et Esem,* 30. *et Eltholad, et Cesil, et Harma,* 31. *et Siceleg, et Medemena, et Sensenna,* 32. *Lebaoth, et Selim, et Aen, et Remon. Omnes civitates viginti novem, et villae earum.* Numerus istorum locorum, quae exposita sunt, si ineatur, reperientur loca septem et triginta. Nimirum praeter nomina viginti novem civitatum, posita sunt etiam nomina villarum octo. Inde summa civitatum discrepat a locis, prout illa nominatim ponuntur. Villae autem hae sunt, quas nos pagos, aut vicos dicimus. Quare Septvaginta illas Graece κώμας verterunt, quod Latine pagos significat. 33. *In campestribus vero: Estaol, et Sarea, et Asena,* 34. *et Zanoe, et Engannim, et Taphua, et Enaim,* 35. *et Jerimoth, et Adullam, Socho, et Azeca,* 36. *et Saraim, et Adithaim, et Gedera, et Gederothaim: urbes quatuordecim, et villae earum.* Idem hic quoque tenet, ut ad quatuordecim civitates una ex villis sit addita ubi nominatim eae modo positae sunt. Si enim computentur, prodeunt quindecim. 37. *Sanan, et Hadassa, et Magdalgad,* 38. *Delean, et Masepha, et Jecthel,* 39. *Lachis, et Bascath, et Eglon,* 40. *Chebdon, et Leheman, et Cethlis,* 41. *et Gideroth, et Bethdagon, et Naama, et Maceda: civitates sedecim, et villae earum.* 42. *Labana, et Ether, et Asan,* 43. *Jephtha, et Esna, et Nesib,* 44. *et Ceila, et Achzib, et Maresa: civitates novem et villae earum.* 45. *Accaron cum vicis, et villulis suis.*

46. *Ab Accaron usque ad mare: omnia quae vergunt ad Azotum, et viculos eius.* 47. *Azotus cum vicis, et villulis suis. Gaza cum vicis, et villulis suis usque ad torrentem Aegypti, et mare magnum terminus eius.* 48. *Et in monte: Samir, et Jether, et Socoth,* 49. *et Danna, et Cariathsenna, haec est Dabir,* 50. *et Anab, et Istemo, et Anim,* 51. *Gosem, et Olon, et Gilo: civitates undecim, et villae earum.* 52. *Arab, et Ruma, et Esaan,* 53. *et Janum, et Beththaphua, et Apheca,* 54. *Athmatha, et Cariatharbe, haec est Hebron, et Sior: civitates novem, et villae earum.* 55. *Maon, et Carmel, et Ziph, et Jota,* 56. *Iezrael, et Jucadam, et Zanoe,* 57. *Accain, Gabaa, et Thamna: civitates decem, et villae earum.* 58. *Halhul, et Bessur, et Gedor,* 59. *Mareth, et Bethanoth, et Eltecon: civitates sex, et villae earum.* 60. *Cariathbaal, haec est Cariathiarim, urbs silvarum, et Arebba: civitates duae, et villae earum.* 61. *In deserto: Betharaba, Meddin, et Sachacha,* 62. *et Nebsan, et civitas salis, et Engaddi: civitates sex, et villae earum.* 63. *Jebusaeum autem habitatorem Jerusalem non potuerunt filii Juda delere, habitavitque Jebusaeus cum filiis Juda in Jerusalem usque in praesentem diem.* Suis viribus delere illum non potuerunt. Promiserat vero ipse Deus se deleturum residuas omnes alienas nationes, quaecunque adhuc modo, quando divisio fiebat terrae, essent in Chananaea, supra capitis 13. v. 6. Cur ergo Deus postea aliquos non deleverit, aut saltem

delere distulerit, cum hoc sub conditione promiserit, si legem observarent, Deut. 11. v. 22. sequitur hoc ideo Deum non fecisse, quod in observantia erga illum non perstiterint. Quod vero non illo belli impetu, quo per Josuam occupata fuit Chananaea; Deus e medio sustulerit omnes illas nationes, quas sublaturus tamen fuisset postea, si, ut dictum est, Israelitae tenuissent observantiam erga Deum, causam ipse Deus docuit: „Non eiiciam „eos, inquit, a facie tua uno anno, ne terra in so„litudinem redigatur, et crescant contra te bestiae" Exodi 23. v. 29. Altera vero etiam causa istius rei ostenditur Judicum 3. v. 1. „Hae sunt, dicitur „ibi, gentes, quas Dominus dereliquit, ut erudiret „in eis Israelem, ut postea discerent filii eorum „certare cum hostibus." Denique illa etiam reperitur Judicum eiusdem capitis 3. v. 4. causa, ubi est dimissas esse illas gentes „Ut in ipsis experiretur „Israelem, utrum audiret mandata Domini." David postea Jebusaeum de Jerusalem penitus exegit capta arce Sion, quae natura loci erat munitissima, cuiusque illi praesidio erant freti adeo; ut cum David institueret illam oppugnare, irridendo iactarent solis caecis atque claudis se eam adversus illius conatus servaturos, et defensuros. 2. Reg. 5. v. 6.

CAPVT

CAPVT XVI.

Sors, et termini tribus Ephraim.

1. *Cecidit quoque sors filiorum Joseph ab Jordane contra Jericho, et aquas eius: ab Oriente solitudo, quae adscendit de Jericho ad montem Bethel.* Aquae Jericho istae videntur fuisse, quas antea amaras Eliseus propheta dulces fecit iniecto sale, et potabiles. 4. Reg. 2. v. 21. *Et egreditur* 2. *de Bethel Luza* Hebraice *Luzam* (לוּזָה) Bethel etiam antiquitus adpellabatur Luza, ut est Gen. 28. v. 19. quare, ut etiam S. Hieronymus tradit in Libro de locis Hebraicis haec quae hic memoratur, et quo terminus nunc ducitur tribus Ephraim, altera civitas fuit ab antiqua illa Luza: *transitque terminum Archi, et Atharoth,* 3. *et descendit ad Occidentem iuxta terminum Jephleti usque ad terminos Bethoron inferioris, et Gazer, finiunturque regiones eius mari magno.* 4. *Possederuntque filii Joseph Manasses, et Ephraim,* regionem videlicet intra istos terminos, qui modo sunt expositi, cumque ante coniunctim de utraque hac tribu verba fecisset, modo id facit singillatim versu subsequenti: 5. *Et factus est terminus filiorum Ephraim per cognationes suas, et possessio eorum contra Orientem Atarothaddar usque Bethoron superiorem.* 6. *Egrediunturque confinia in mare: Machmethath vero Aquilonem respicit, et circuit terminos*

contra Orientem in Thamathselo, et pertransit ab Oriente Janoe. 7. Descenditque de Janoe in Ataroth, et Naarath, et pervenit in Jericho, egrediturque ad Jordanem. 8. De Taphua pertransit contra mare in Vallem arundineti, suntque egressus eius in mare salsissimum. In Hebraeo deest hoc epithetum: salsissimum: quo nomine adpellari solet in Scriptura lacus Asphaltidis. Nec ulla sui parte tribus Ephraim, de qua modo est sermo, attigerat illum lacum. Igitur maris nomine, absque illo epitheto, mare intelligitur Mediterraneum. *Haec est possessio tribus filiorum Ephraim per familias suas. 9. Urbesque separatae sunt filiis Ephraim in medio possessionis filiorum Manasse, et villae earum.* Nimirum aliquas civitates habuit tribus Ephraim sitas in ea regione, quae propria erat tribus Manasse, ut hoc apertius dicitur capitis subsequentis versu 9.

10. *Et non interfecerunt filii Ephraim Chananaeum, qui habitabat in Gazer, habitavitque Chananaeus in medio Ephraim usque in diem hanc tributarius.* Hoc est unum ex argumentis quinto loco a me memoratum in Praefatione ad hunc librum, quo contendunt adversarii, Josuam non esse Scriptorem istius libri, siquidem, ut illis placet, istud, quod modo positum est, ab Ephraimitis non esse interfectos Chananaeos Gazerenos, illosque habitasse usque in praesentem diem tantummodo tributarios in medio istius tribus, memoret deinde et proponat Auctor libri Judicum cap. 1. v. 29.

quod proinde tunc tantum sit actum, quando iam mortuus fuit Josue: qui ergo rem hanc quasi sub se gestam scribere minime potuerit. Hoc quidem argumentum valeret, si illi demonstrarent, Ephraimitas tantum, postquam Josue fuit mortuus, hac erga Gazarenos indulgentia esse usos, secumque esse passos, et non vivente adhuc Josua. Certe cum etiam post Josuam in tribu Ephraim Gazareni habitaverint, consequens est, illos nec sub Josua fuisse deletos, atque expulsos. Tanto enim magis sub Josua intelliguntur ibi perdurasse, qui postea etiam superfuerint. Quid igitur? nempe Ephraimitae neque sub Josua, neque Judicum aetate Gazarenos ex sua regione expulerunt. Ergo nulla aliqua est contradictio, quin et Josue, et Libri Judicum Auctor eadem de re convenienter potuerit scribere, quae acta est sub utroque.

CAPVT XVII.

Sors tribus dimidiae Manasse. In ea filiabus Salphaad quoque possessio conceditur. Ephraimitae, cum pro se latiores fundos ab Josua peterent, iubentur illos ipsi sibi comparare expellendo Chananaeum e suis locis, silvasque exstirpando.

1. *Cecidit autem sors tribui Manasse, ipse enim est primogenitus Joseph, Machir primogenito Manasse patri Galaad, qui fuit vir pugnator, habuitque possessionem Galaad, et Basan,* 2. *et reliquis filiorum Manasse iuxta familias suas:*

filiis Abiezer, et filiis Helec, et filiis Esriel, et filiis Sechem, et filiis Hepher, et filiis Semida: isti sunt filii Manasse filii Joseph mares per cognationes suas. Erant Manassis hi proprie tantum nepotes, imo pronepotes, siquidem filii fuerint Galaad. Num. 26. v. 30. Qui filius erat Machir, cuius pater erat Manasse. 3. *Salphaad vero filio Hepher filii Galaad, filii Machir, filii Manasse non erant filii, sed solae filiae, quarum ista sunt nomina: Maala, et Noa, et Hegla, et Melcha, et Thersa.* 4. *Veneruntque in conspectu Eleazari sacerdotis, et Josue filii Nun, et principum dicentes: Dominus praecepit per manum Moysi, ut daretur nobis possessio in medio fratrum nostrorum. Deditque eis iuxta imperium Domini possessionem in medio fratrum patris earum.* 5. *Et ceciderunt funiculi Manasse decem absque terra Galaad, et Basan trans Jordanem.* Decem funiculi significant decem portiones haereditatis, posito instrumento, quo dimensiones peraguntur, dum partitiones fundorum fiunt, pro ipsis fundis, quorum mensio, partitioque facta est. Erant enim mares sex, inter quorum posteros facienda erat divisio. E quibus cum sextus non haberet mares posteros, sed feminas, istaeque numero essent quinque, sexta portio subdivisa rursus in partes quinque est: unde enati sunt funiculi illi decem. Nam sic factam esse divisionem, ut istis quinque feminis, filiabus Salphaad, sexta tantum pars totius haereditatis data sit, intelligitur ex eo, quod ipsae nonnisi ad il-

lam partem, quae patri ipsarum debebat obtingere, si vixisset, ius habuerint; hancque tantum ipsis Deus per Moysem attribuerit. Num. 27. v. 6. *Filiae enim Manasse*, 6. *possederunt haereditatem in medio filiorum eius. Terra autem Galaad cecidit in sortem filiorum Manasse, qui reliqui erant.* 7. *Fuitque terminus Manasse ab Aser*, civitatis hoc nomen est, non tribus, ut docet S. Hieronymus de Locis Hebraicis, *Machmethath quae respicit Sichem, et egreditur ad dexteram iuxta habitatores fontis Taphuae.* 8. *Etenim in sorte Manasse ceciderat terra Taphuae, quae est iuxta terminos Manasse filiorum Ephraim:* hoc est, quae Taphua est filiorum Ephraim iuxta terminos Manasse. Istud: iuxta significare hic eam partem, quae intra ipsos illius terminos ceciderit, non extra intelligitur ex eo, quod dicatur haec terra Taphuae cecidisse in sorte Manasse. Est ergo sensus hanc terram fuisse intra terminos sortis Manasse, spectavisse tamen ad filios Ephraim. Qualia exempla etiam isto adhuc capite sese offerent, ut altera in alterius tribus sorte possessionem aliquam habuerit. Quod fortasse inde potuit accidere, quod cum illa tribus intra cuius fines residuae adhuc civitates essent, quae ab Chananaeis tenerentur, remissius erga has agerent, atque illas tolerarent; illa deinde tribus illas adgressa sit, cumque superavisset, sui postea iuris illas fecerit. Idque cum factum esset vivente adhuc Josua; is ita illos tribuum terminos, prouti possidebantur, ad hunc suum librum descripserit.

9. *Descenditque terminus Vallis arundineti in meridiem torrentis civitatum Ephraim, quae in medio sunt urbium Manasse:* Hebraei eodem vocabulo *Nachal* iam vallem, iam torrentem et fluvium significant: Quare etiam hic utrobique tam pro valle, quam pro torrente idem *Nachal* in Hebraeo vocabulum est. Qua animadversione sensus iste est: descendisse terminum Vallis arundineti Meridiem versus, fuisseque protensam usque ad vallem civitatum Ephraim: ubi nimirum in medio istius tribus Ephraimitae civitates ipsi aliquas possidebant: *Terminus Manasse ab Aquilone torrentis* id est Vallis, de qua modo fuit dictum, *et exitus eius pergit ad mare;* 10. *ita ut possessio Ephraim sit ab Austro, et ab Aquilone Manasse, et utramque claudat mare, et coniungatur sibi in tribu Aser ab Aquilone, et in tribu Issachar ab Oriente.* Inter tribum Aser, quae in supremitate sita fuit totius Israeliticae regionis, et inter tribum Manasse interpositae erant duae tribus Issachar, et Zabulon tensae per totum latitudinis spatium ab Jordane usque ad mare Mediterraneum, ita, ut a tribu Manasse, multoque minus ab Ephraim tribus Aser attingi non potuerit. In Hebraeo loco verbi *coniungantur*, est *Jiphgun* (יִפְגְּעוּן) quod significat etiam obtingere, obvenire; ut proinde sensus iste existat: Et in Aser obvenerunt ei ab Aquilone, et in Issachar ab Oriente. Quid vero ei obvenerit, explicatur protinus versu subsequente: 11. *Fuitque haereditas Manasse in Issachar, et in Aser; Bethsan, et*

viculi eius, et Jeblaam cum viculis suis, et habitatores Dor cum oppidis suis, habitatores quoque Endor cum viculis suis, similiterque habitatores Thenac cum viculis suis, et habitatores Mageddo cum viculis suis, et tertia pars urbis Nopheth. Haec igitur loca obvenerunt tribui Manasse in duabus aliis tribubus Aser, et Issachar. Bethsan civitas, quae modo memorata est, postea Scythopolis fuit adpellata a Cuthaeis, quos Assyriorum rex misit novos colonos in Samariam, abductis Israelitis in captivitatem, ex Cutha Assyriae provincia 4. Reg. 17. v. 24. Nam, quos Hebraei Cuthaeos, hos Graeci Scythas adpellarunt, indeque ex Bethsan ab istis novis incolis Graeco nomine facta est Scythopolis, quando sub Graecorum imperio postea Graeca lingva etiam per Palaestinam propagata est. Cumque etiam reliqui per Samariam fuerint Cuthaei, hi tamen postea Samaritanorum nomine potius compellati sunt, quod Judaicos ritus, et caerimonias adsumpserint: illi vero in Bethsan hoc idem non videantur fecisse, quod Christi aetate, et postea sub Romanis imperatoribus a paganis, etiam tum, maximam partem inhabitata sit.

12. *Nec potuerunt filii Manasse has civitates subvertere, sed coepit Chananaeus habitare in terra sua.* Chaldaeus: *Et mansit Chananaeus ad habitandum in terra hac.* 13. *Postquam autem convaluerunt filii Israel, subiecerunt Chananaeos, et fecerunt sibi tributarios, nec interfecerunt eos.* Versu 11. fuit Manasseos istis in civitatibus cepis-

se haereditatem, quomodo igitur hoc, si Chananaei etiam manserunt in iisdem civitatibus? Nimirum habitaverunt coniunctim, quod tribus Juda quoque fecit erga Jebusaeos in Jerusalem, ut est cap. 15. v. 63. *Locutique sunt* 14. *filii Joseph ad Josue, et dixerunt: quare dedisti mihi possessionem sortis, et funiculi unius, cum sim tantae multitudinis, et benedixerit mihi Dominus?* Filii Joseph erant duae tribus Ephraim, et Manasse, distinctamque sortem acceperunt: quin tribus Manasse duplici in regione cis, et trans Jordanem eam acceperat. Non igitur hoc illi aliter quam per extenuationem dixerunt, ut quod utrique ipsorum tribui datum est, id non plus sit, quam quod sufficeret uni. Nec prae aliis tribubus angustiores illis termini adsignati sunt: sed minus se tamen poterant extendere propter residuos ibi Chananaeos. Quamobrem, ut istos delerent, responsum ipsis ab Josue datum est.

15. *Ad quos Josue ait: si populus multus es, adscende in silvam, et succide tibi spatia in terra Pherezaei, et Raphdim, quia angusta est tibi possessio montis Ephraim.* 16. *Cui responderunt filii Joseph: non poterimus ad montana conscendere, cum ferreis curribus utantur Chananaei, qui habitant in terra campestri, in qua sitae sunt Bethsan cum viculis suis, et Jezrael mediam possidens vallem.* Inconnexa haec illorum videtur esse responsio, ideo se ad montana non posse adscendere, quod in campestri terra habitantes Chananaei cur-

ribus utantur ferreis, hoc est falcatis, qualis antiquitus consvetudo erat utendi in praeliis talibus curribus. In Hebraeo loco huius: non poterimus ad montana adscendere, est: *Non invenietur nobis mons.* (לֹא־יִמָּצֵא לָנוּ הָהָר) Verbum autem hoc: invenio ponitur etiam pro sufficere: cuius generis est exemplum etiam Numeror. 11. v. 22. Ubi, quod Latinus Interpres sic vertit: „Numquid ovium, et „boum multitudo caedetur, ut possit sufficere" istud in Hebraeo per idem hoc verbum *invenio* effertur. Hoc igitur significabant, montem, et montanam regionem sibi non sufficere, in campestribus autem et humilioribus locis esse Chananaeos, a quibus sibi metuant propter falcatos illorum currus. 17. *Dixitque Josue ad domum Joseph: Ephraim, et Manasse: populus multus es, et magnae fortitudinis, non habebis sortem unam:* hoc est, ut supra declaratum est non erit illa tibi tam angusta, ut non utrique sufficiat. 18. *Sed transibis ad montem, et succides tibi, atque purgabis ad habitandum spatia, et poteris ultra procedere; cum subverteris Chananaeum, quem dicis ferreos habere currus, et esse fortissimum.* Responsio eo pertinet, primo, ut in montibus etiam sibi dilatare possint spatium succidendo, et exstirpando silvas; deinde, quod ultra possint procedere subvertendo Chananaeum; hocque ipsum, quod illi pro petitionis suae argumento posuerunt, multos se esse, in illos vertit; cum multi, et propterea magnae etiam fortitudinis sint, facere hoc eos utrumque posse.

CAPVT XVIII.

Fit descriptio reliquae Chananaeae, quae dividenda adhuc erat inter reliquas tribus. Sors tribus Benjamin.

1. *CONGREGATIQVE sunt omnes filii Israel in Silo, ibique fixerunt tabernaculum testimonii, et fuit eis terra subiecta:* nimirum, quoad maximam illius partem, nam residuas fuisse Chananaeorum reliquias pluribus in locis, etiam superiore capite declarabatur; deinde, quod se hostes contra Israelitas non auderent movere, bellumque illis inferre, atque ipsi priores lacessere Israelitas: Infra cap. 21. v. 42. quamvis lacessiti repugnarent, ut istud quoque ex superioris capitis versu 13. intelligitur. 2. *Remanserant autem filiorum Israel septem tribus, quae necdum acceperant possessiones suas.* 3. *Ad quos Josue ait: usquequo marcetis ignavia, et non intratis ad possidendam terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum dedit vobis?* 4. *Eligite de singulis tribubus ternos viros, ut mittam eos, et pergant, atque circumeant terram, et describant eam iuxta numerum uniuscuiusque multitudinis, referantque ad me, quod descripserint.* 5. *Dividite vobis terram in septem partes. Judas sit in terminis suis ab Australi plaga, et domus Joseph ab Aquilone.* 6. *Mediam inter hos terram in septem partes describite, et huc venietis ad me, ut coram Domino Deo vestro mittam vobis hic*

sortem. Domus Joseph, id est, duae tribus Manasse citerior, et Ephraim non erant in finibus collocatae Chananaeae, sed fere in medio illius. Sed est hoc dictum ab Josua relate ad Silo, unde istos, qui describerent regionem, miserat, uti nimirum Judas, qui iam ab Silo Austrum versus acceperat possessionem, sic maneret, uti iam esset; neve limites illius tribus turbarentur; itidemque ab Silo procedendo sursum Aquilonem versus quoad tribum etiam Ephraim, et Manasse idem observaretur. Syrus istud sic vertit clarius: *Terramque dividant in septem partes Juda manente in limite suo ab Austro, et domo Josephi manente in limite suo ab Aquilone.* Neque etiam inter tribus domus Joseph, et Judam regio ista erat sita, quae restabat dividenda, quin maior illius pars supra tribus Joseph. Non est in Hebraeo istud: *Mediam inter hos* sed simpliciter: *describetis terram in septem partes* 7. *Quia non est inter vos pars Levitarum, sed sacerdotium Domini est eorum haereditas:* hoc eo pertinet, cur in septem partes dividi deberet residua regio, quamvis superessent tribus octo, si computata esset tribus Levi: istam vero non esse computandam, utpote, quae tantum fructus, et reditus sacerdotii sibi haereditatis loco traditos a Deo haberet, ex quibus viveret. *Gad autem, et Ruben, et dimidia tribus Manasse iam acceperant possessiones suas trans Jordanem ad Orientalem plagam, quas dedit eis Moyses famulus Domini.*

8. *Cumque surrexissent viri, ut pergerent ad describendam terram, praecepit eis Josue dicens: circuite terram, et describite eam, ac revertimini ad me, ut hic coram Domino in Silo mittam vobis sortem.* 9. *Itaque perrexerunt, et lustrantes eam in septem partes diviserunt scribentes in volumine. Reversique sunt ad Josue in castra Silo.* 10. *Qui misit sortes coram Domino in Silo, divisitque terram filiis Israel in septem partes.* 11. *Et adscendit sors prima filiorum Benjamin per familias suas, ut possiderent terram inter filios Juda, et filios Joseph.* Benjamino nimirum sorte obtigit regio, posita quae esset in medio inter tribum Juda, et tribus filiorum Joseph.

12. *Fuitque terminus eorum contra Aquilonem a Jordane pergens iuxta latus Jericho Septemtrionalis plagae, et inde contra Occidentem ad montana conscendens, et perveniens ad solitudinem Bethaven,* 13. *atque pertransiens iuxta Luzam ad Meridiem, ipsa est Bethel, decenditque in Atarothaddar, in montem, qui est ad Meridiem Bethoron inferioris,* 14. *et inclinatur circuiens contra mare ad Meridiem montis, qui respicit Bethoron contra Africum, suntque exitus eius in Cariathbaal, quae vocatur et Cariathiarim, urbem filiorum Juda: haec est plaga contra mare ad Occidentem.* 15. *A Meridie autem ex parte Cariathiarim egreditur terminus contra Mare, et pervenit usque ad fontem aquarum Nephtoa.* 16. *Descenditque in partem montis, qui respicit vallem filio-*

rum Ennom, et est contra Septemtrionalem plagam in extrema parte vallis Raphaim, descenditque in Geennom, id est, vallem Ennom, iuxta latus Jebusaei ad Austrum, et pervenit ad fontem Rogel, 17. *transiens ad Aquilonem, et egrediens ad Ensemes, id est fontem solis,* 18. *et pertransit usque ad tumulos, qui sunt e regione adscensus Adommim, descenditque ad Abenboen, id est lapidem Boen filii Ruben, et pertransit ex latere Aquilonis ad campestria, descenditque in planitiem,* 19. *et praetergreditur contra Aquilonem Bethhagla, suntque exitus eius contra lingvam maris salsissimi ab Aquilone in fine Jordanis ad Australem plagam.* 20. *Qui est terminus illius ab Oriente: haec est possessio filiorum Benjamin per terminos suos in circuitu, et familias suas.* 21. *Fueruntque civitates eius Jericho, et Bethhagla, et Vallis Casis,* 22. *Beth Araba, et Samaraim, et Bethel,* 23. *et Avim, et Aphra, et Ophera,* 24. *Villa Emona, et Ephni, et Gabee, civitates duodecim, et villae earum.* 25. *Gabaon, et Rama, et Beroth,* 26. *et Mesphe, et Caphara, et Amosa,* 27. *et Recem, Jarephel, et Tharela,* 28. *et Sela, Eleph, et Jebus, quae est Jerusalem, Gabaath, et Cariath: civitates quatuordecim, et villae earum. Haec est possessio filiorum Benjamin iuxta familias suas.* Hic Jerusalem inter civitates est posita tribus Benjamin. Est vero etiam eadem civitas posita inter eas, quae spectabant ad tribum Juda. Nam de hac tribu Juda dicitur cap. 15.

v. 63. quod filii Juda Jebusaeum ex illa non potuerint delere, quodque ille una cum filiis Juda in eadem urbe habitaverit. Si ergo filii Juda ibi habitarunt, haec ad illos etiam spectans fuit civitas. Fuit igitur haec civitas sic in finibus utriusque tribus Juda, et Benjamin sita, ut termini per mediam urbem transirent; parsque altera ad hanc, altera ad illam tribum pertineret.

CAPVT XIX.

Sortes tribuum Simeon, Zabulon, Issachar, Aser, Nephthali, et Dan, atque ipsius Josue.

1. *ET egressa est sors secunda filiorum Simeon*
per cognationes suas, fuitque haereditas eorum 2.
in medio possessionis filiorum Juda: Bersabee,
et Sabee, et Molada, 3. *et Hasersual, Bala, et*
Asem, 4. *et Eltholad, Bethul, et Harma,* 5. *et*
Siceleg, et Bethmarchaboth, et Hasersusa, 6. *et*
Bethlebaoth, et Sarohen: civitates tredecim, et villae earum. 7. *Ain, et Remmon, et Athar, et Asan:*
civitates quatuor, et villae earum. 8. *Omnium viculi*
per circuitum urbium istarum usque ad Baalath
Beer Ramath contra Australem plagam. Haec est
haereditas filiorum Simeon iuxta cognationes suas
9. *in possessione, et funiculo filiorum Juda, quia*
maior erat, et idcirco filii Simeon possederunt in
medio haereditatis eorum. Non casu, sed omnino

Divino consilio censendum est accidisse; ut tribus Juda, cum omnium prima sortem suam accepisset; tantum regionis spatium consequeretur; ut collatione deinde instituta cum reliqua regione, quae adhuc supererat ad distribuendum, ceterarumque tribuum sortibus, ipsa adhuc tribum Simeon posset intra fines suos recipere, atque cedere aliquid de possessionibus sibi ante attributis. Impleri enim debebat Dei oraculum, a Jacobo pronunciatum, de Simeone, et Levi: „Dividam eos in Jacob, et „dispergam eos in Israel.“ Gen. 49. v. 7. Tribum Levi constat accepisse postea civitates ad habitandum sparsas per regionem omnium aliarum tribuum. Simeon quoque in tribu Juda, tanquam in aliena domo, fuit collocata, neque seorsim, ut tribus ceterae, sed intra terminos alterius tribus, et beneficio cessionis, sed neque etiam sic, fundos, qui ei sufficerent, acceperit: quam ob rem postea sub Ezechia rege 1. Par. 4. v. 39. alibi pascua pro gregibus sibi debuit quaerere. Quoniam autem res sic, ut modo dictum est, accidit, causa intelligitur, cur eaedem istae civitates, quae tribui Simeon concessae nunc sunt, iam ante in sorte etiam tribus Juda sint positae, et enumeratae supra capite 15. Nec id, quod Josue caverat, ne quid in limitibus tribus Juda mutaretur, est violatum, siquidem terminorum, et finium, quoad alias tribus in tribu Juda eadem mansit ratio, quae tribum Simeon tantum intra se receperit. Aut certe illud ab Josua sic fuerat cautum, ne quid ab illis tribubus, quae iam ha-

berent sibi adsignatas possessiones, adimeretur contra ipsarum voluntatem; non, si sponte aliquid vellent cedere. In numero vero civitatum, ut illae nominatim exponuntur, et in earum summa est quaedam differentia. Nam versu 2. et sequentibus civitates quatuordecim recensentur: in summa autem postea earum versu 6. tantum tredecim ponuntur. Id vero factum est, eam civitatem, quae duplici nomine adpellabatur Bersabee, et Sabee ponendo sub utroque nomine: atque hoc confirmatur 1. Paral. 4. v. 28. ubi cum etiam Simeon tribus civitates enumerarentur, praetermissa ex hoc numero est Sabee, ut omnino is tredecim civitatum, qui in summa est positus, numerus tantum fuerit.

10. *Ceciditque sors tertia filiorum Zabulon per cognationes suas, et factus est terminus possessionis eorum usque Sarid:* 11. *adscenditque de mari, et Merala, et pervenit in Debbaseth usque ad torrentem, qui est contra Jeconam:* 12. *Et revertitur de Sared contra Orientem in fines Ceseleththabor, et egreditur ad Dabereth, adscenditque contra Japhie,* 13. *et inde pertransit usque ad Orientalem plagam Gethhepher, et Thacasin, et egreditur in Remmon, Amthar, et Noa,* 14. *et circuit ad Aquilonem Honathon, suntque egressus eius vallis Jephtahel,* 15. *et Cathet, et Naalol, et Semeron, et Jedala, et Bethlehem: civitates duodecim, et villae earum.* Ponuntur autem, ut modo antecessit in earum recensione civitates novemdecim. At illae non omnes sunt propriae istius tribus,

tribus, sed tantum, qua tribus huius fines transeunt, atque terminantur, confines proinde quidem civitates erant, sed ad alias tamen finitimas tribus pertinentes. Inter civitates tribus Zabulon est posita etiam Bethlehem. Haec vero etsi nomine congruat, re tamen distincta est ab alia Bethlehem, quae sita est in tribu Juda, ubi natus est Christus: ut plures in Palaestina cognomines civitates, et loca fuerunt. 16. *Haec est haereditas tribus filiorum Zabulon per cognationes suas, urbes, et viculi earum.*

17. *Issachar egressa est sors quarta per cognationes suas.* 18. *Fuitqne eius haereditas Iezrael, et Casaloth, et Sunem,* 19. *et Hapharaim, et Seon, et Anaharath,* 20. *et Rabboth, et Cesion, Abes,* 21. *et Rameth, et Engannim, et Enhadda, et Bethpheses.* 22. *Et pervenit terminus eius usque Thabor, et Senesima, et Bethsames, eruntque exitus eius Jordanis: civitates sedecim, et villae earum.* 23. *Haec est possessio filiorum Issachar per cognationes suas, urbes, et viculi earum.* Supra versu 12. in tribu Zabulon fuit posita civitas Ceselaththabor: quae vox Latine significat Latus Thabor: ubi nimirum exstructus esset iste locus, quem sua adhuc aetate S. Hieronymus docet in Libro de Locis Hebraicis fuisse Chasalum adpellatum. Quamobrem civitas Thabor tribus Issachar distincta fuit ab illa altera tribus Zabulon civitate Ceseleththabor, nonnihilque removenda est ab altera et Thabor civitate, et eiusdem nominis monte: quem S. Hieronymus in confiniis tribuum Zabulon, et

Nephthali collocat. Iste erat mons, in quo Christus transfiguratus est.

24. *Ceciditque sors quinta tribui filiorum Aser per cognationes suas.* 25. *Fuitque terminus eorum Halcath, et Chali, et Beten, et Axaph,* 26. *et Elmelech, et Ammad, et Messal, et pervenit usque ad Carmelum maris, et Sihor, et Labanath,* 27. *ac revertitur contra Orientem Bethdagon, et pertransit usque Zabulon, et vallem Jephthael contra Aquilonem in Bethemac, et Nehjel, egrediturque ad laevam Cabul,* 28. *et Abran, et Rohob, et Hamon, et Cana usque ad Sidonem magnam:* 29. *Revertiturque in Horma usque ad civitatem munitissimam Tyrum, et usque Hosa, eruntque exitus eius in mare de funiculo Achziba,* 30. *et Amma, et Aphec, et Rohob: civitates viginti duae, et villae earum.* 31. *Haec est possessio filiorum Aser per cognationes suas, urbesque, et viculi earum.* Inter loca, per quae termini ducuntur tribus Aser, ponitur etiam Cabul. Quo ex nomine, tanquam recentius esset multo, quam vixerit Josue, et quod nomen Hiram rex Tyri sub Salomone primum indiderit illi loco, argumentum obmoveri ab iis, quibus non placet Josuam esse Scriptorem istius Libri, dictum est in Praefatione. At Josephus duo fuisse Cabul luculenter tradit: quorum alterum Terram Cabul (γῆν χαβαλών) adpellat Ant. l. 8. alterum vicum Chabul (χαβωλών κώμην) in libro de vita sua. Itaque terra Chabul eadem illa viginti fuerunt oppida, quae sic Hiram rex Tyri

cognominavit; 3. Reg. 9. v. 18. locus vero eodem isto nomine compellatus, fuit idem ille, qui nunc ab Josue memoratur. Quo pacto nihil habet virium illa obiectio. Laeva autem hic modo posita est pro parte Septemtrionali, non tantum quod prospiciendo in Orientem, plaga illa cadat ad eam partem; verum etiam, quod Cabul. ad eamdem partem hic inter loca collocetur, ad quam urbs Sidon: de qua certum est fuisse sitam comparate non tantum ad hanc tribum Aser, verum etiam ad totam Palaestinam, Septemtrionem versus. Cana etiam memoratur inter loca istius tribus. Canam autem hanc S. Hieronymus de locis Hebraicis eamdem esse tradit, quae Joannis 2. v. 1. vocatur Cana Galilaeae, ubi Christus in nuptiis aquam convertit in vinum. Vocatur tamen res haec in dubium, quod dum civitates hic istius tribus recenset, ab inferioribus civitatibus ad superiores, atque a Meridie Septemtrionem versus procedendo, illam non longe Sidone videatur collocare. Galilaea autem sita fuerit in tribu Zabulon circa locum Genesareth. At S. Hieronymus tradit duplicem fuisse Galilaeam: alteram ad Lacum Genesareth, alteram, quae tribum etiam Aser, et Nephtali comprehenderat, quaeque adpellata fuerit Galilaea gentium. Etiam Josephus l. 3. de Bello cap. 2. Galilaeae terminos Septemtrionem versus producit ad Tyriorum usque regionem. Viginti vero, et duae civitates in summa ponuntur versu 30. quibus tamen reperiuntur plures, numerando eas, prout nominatim ponuntur. Quare hoc

etiam hic tenet, quod supra cap. 15. v. 32. ut civitatum alia etiam hic sint nomina, per quas tantum termini istius tribus ducuntur, non quae ad sortem spectaverint ipsius, quamobrem nec ad summam venire potuerint.

32. *Filiorum Nephthali sexta sors cecidit per familias suas,* 33. *et coepit terminus de Heleph, et Elon in Saananim, et Adami, quae est Neceb, et Jebnael usque Lecum, et egressus eorum usque ad Jordanem:* 34. *revertiturque terminus contra Occidentem in Azanotthabor, atque inde egreditur in Hucuca, et pertransit in Zabulon contra Meridiem, et in Aser contra Occidentem, et in Juda ad Jordanem contra Ortum solis:* 35. *Civitates munitissimae Assedim, Ser, et Emath, et Reccath, et Genereth,* 36. *et Edema, et Arama, Asor,* 37. *et Cedes, et Edrai, Enhasor,* 38. *et Jeron, et Magdalel, Horem, et Bethanath, et Bethsames: civitates decem, et novem, et villae earum.* 39. *Haec est possessio tribus filiorum Nephthali per cognationes suas urbes, et viculi earum.* Versu 34. sicut Zabulon, et Aser ex aliis plagis, ita tribus Juda versus Orientem ponitur, quasi esset in tribus huius Nephthali confiniis. Fuit autem valde remota, nec se ullatenus istae tribus contingebant. Deest isto loco in Versione Septvaginta Interpretum, vocabulum, et mentio de Juda: sed est sic: καὶ ὁ Ἰορδάνης ἀπὸ ἀνατολῶν ἡλίου: *et Jordanes ab ortu solis,* est videlicet terminus, quod nomen eodem versu 34. antecessit. Ex quo

probabilis coniectura est illud: *in Juda* irrepsisse etiam in textum Hebraeum, indeque transfluxisse in versionem Latinam, quae adhuc aetate Septvaginta Interpretum in Hebraeo textu non exstiterit. Versu autem 38. in summa ponuntur civitates decem et novem huius tribus: sunt vero earum nomina, dum recenserentur tria, et viginti. De qua diversitate illud iterum etiam hic tenendum est, quod superius de civitatibus tribus Aser, quomodo hoc accipi debeat, dictum est.

40. *Tribui filiorum Dan per familias suas egressa est sors septima.* 41. *Et fuit terminus possessionis eius Sara, et Esthaol, et Hirsemes, id est civitas solis,* 42. *Selebin, et Ajalon, et Jethela,* 43. *Elon, et Themna, et Acron,* 44. *Elthece, Gebbethon, et Balaath,* 45. *et Jud, et Bane, et Barach, et Gethremmon,* 46. *et Mejurcon, et Arecon cum termino, qui respicit Joppen,* 47. *et ipso fine concluditur.* Hebraice: *et exivit terminus filiorum Dan ab eis.* (וַיֵּצֵא גְבוּל בְּנֵי־דָן מֵהֶם) Nimirum ab illis terminis ante designatis ulterius adhuc processit ista ipsorum possessio: quodque, quemadmodum sit factum, continuo deinde, subiicitur, atque quomodo fines suos tribus haec Dan protulerit, exponitur.

Adscenderuntque filii Dan, et pugnaverunt contra Lesem, ceperuntque eam, et percusserunt eam in ore gladii, et possederunt, et habitaverunt in ea vocantes nomen eius Lesem Dan ex nomine Dan patris sui. Iterum hinc contra Josuam strui-

tur argumentum, non esse hunc ab eo librum scriptum, quod Judicum cap. 18. tribus haec Dan narretur expeditionem fecisse adversus Lais, eamque a se Dan postea, novo nomine, adpellaverint. Omnino istud Danielem Huetium Demonstrationis Evang. Prop. 4. Calmetum, pluresque permovit, ut, quamvis et ipsi Josuam haberent istius libri scriptorem; tamen eo confugerint, ut, quoniam hoc, quod modo de Lesem hic narratur accidisse, non scriptum hoc omnino ab Josua, sed ad illius librum insertum postea ab Esdra habuerunt, et putaverunt, ut sic evitarent illius argumenti ictum. At vero res, quae modo ab Josua narratur, non eadem est cum illa, quae deinde in Libro Judicum proponitur. Nam Lesem, et Lais civitates Eusebius et S. Hieronymus de Locis Hebraicis aperte distingvunt, atque veluti diversas civitates illas recensent, ne ad eundem quidem locum, dum de illis verba facerent, eas componentes. Atque de Lesem sic pronunciat S. Hieronymus: „Lesem, inquit, hanc filii Dan vi captam cognominaverunt Dan" de Laisa autem „Hanc, inquit, filii Dan captam manu possederunt, cum esset procul a Sidone, et „vocaverunt eam Dan. - - - Sita est autem iuxta „Paneadem, de qua Jordanis fluvius erumpit." Nec Lesem, et Lais inter se conveniunt: praeterea civitati Lesem non penitus vetus suum nomen Danitae, postquam illam in suam potestatem redegissent, abrogarunt, sed ei ad vetus nomen tantum de se cognomen insuper addiderunt, et Lesem Dan

vocaverunt; Laisae vero nomen prorsus mutarunt, atque novum ei ex integro imposuerunt. Ubi Lesem sita fuerit, nescitur: nisi fortasse eadem est cum illa quae Genesis 10. v. 19. Lasa adpellatur, et in limite Chananaeae Meridiem versus collocatur. 48. *Haec est possessio tribus filiorum Dan per cognationes suas, urbes, et viculi earum.* 49. *Cumque complesset sorte dividere terram singulis per tribus suas, dederunt filii Israel possessionem Josue filio Nun in medio sui* 50. *iuxta praeceptum Domini urbem, quam postulavit Thamnath Saraa in monte Ephraim, et aedificavit civitatem, habitavitque in ea.* 51. *Hae sunt possessiones, quas sorte diviserunt Eleazar sacerdos, et Josue filius Nun, et principes familiarum, ac tribuum filiorum Israel in Silo, coram Domino ad ostium tabernaculi testimonii, partitique sunt terram.*

CAPVT XX.

Designantur sex civitates ad perfugium.

1. *ET locutus est Dominus ad Josue dicens: loquere filiis Israel, et dic eis:* 2. *separate urbes fugitivorum, de quibus locutus sum ad vos per manum Moysi:* Numerorum 35. v. 10. et Deuter. 19. v. 2. de his civitatibus Deus praeceptum per Moysem dedit: 3. *ut confugiat ad eas, quicunque animam percusserit nescius, et possit evadere iram*

proximi, qui ultor est sangvinis. 4. *Cum ad unam harum confugerit civitatem; stabit ante portam civitatis, et loquetur senioribus urbis ea, quae se comprobent innocentem, sicque suscipient eum, et dabunt ei locum ad habitandum.* Seniores pro magistratu solere poni, et in civitatum portis iudicia consvevisse celebrari, saepius iam declaratum est.

5. *Cumque ultor sangvinis eum fuerit persecutus; non tradent in manu eius, quia ignorans percussit proximum eius, nec ante biduum, triduumve eius probatur inimicus.* 6. *Et habitabit in civitate illa, donec stet ante iudicium, causam reddens facti sui, et moriatur sacerdos magnus, qui fuerit in illo tempore: tunc revertetur homicida, et ingredietur civitatem, et domum suam, de qua fugerat.* 7. *Decreveruntque Cedes in Galilaea montis Nephthali, et Sichem in monte Ephraim, et Cariatharbe, ipsa est Hebron in monte Juda.* 8. *Et trans Jordanem contra Orientalem plagam Jericho statuerunt Bosor, quae sita est in campestri solitudine, de tribu Ruben; et Ramoth in Galaad de tribu Gad, et Gaulon in Basan de tribu Manasse.* 9. *Hae civitates constitutae sunt cunctis filiis Israel, et advenis, qui habitabant inter eos, ut fugeret ad eas, qui animam nescius percussisset, et non moreretur in manu proximi effusum sangvinem vindicare cupientis, donec staret ante populum expositurus causam suam.*

CAPVT XXI.

Levitis quadraginta, et octo civitates cum suburbanis fundis ad habitandum dantur.

1. *ACCESSERVNTQVE principes familiarum Levi ad Eleazarum sacerdotem, et Josue filium Nun, et ad duces cognationum per singulas tribus filiorum Israel, 2. locutique sunt ad eos in Silo terrae Chanaan, atque dixerunt: Dominus praecepit per manum Moysi, ut darentur nobis urbes ad habitandum, et suburbana earum ad alenda iumenta. 3. Dederuntque filii Israel de possessionibus suis iuxta imperium Domini civitates, et suburbana earum. 4. Egressaque est sors in familiam Caæth filiorum Aaron sacerdotis de tribubus Juda, et Simeon, et Benjamin civitates tredecim.* Ab Caath originem duxit ipse Aaron, et proinde familia tota sacerdotum. Erat enim avus Aaronis Exod. 6. v. 18, 20. Unam igitur familiam Caath constituerunt soli sacerdotes, neque hi alii quam Aaronis filii, et posteri, quibus solis sacerdotium fuit commissum. Quae ergo alia praeterea fuit familia a Caath Originem ducens, pure erat Levitica. Num. 3. v. 17. Atque haec est ratio, quod nunc altera haec familia Aaron sacerdotis, altera Levitarum sequente versiculo vocetur, tametsi utraque descenderet a Caath. 5. *Et reliquis filiorum Caath, id est Levitis, qui superfuerant,*

de tribubus Ephraim, et Dan, et dimidia tribu Manasse civitates decem. 6. Porro filiis Gerson egressa est sors, ut acciperent de tribubus Issachar, et Aser, et Nephthali, dimidiaque tribu Manasse in Basan civitates numero tredecim. 7. Et filiis Merari per cognationes suas de tribubus Ruben, et Gad, et Zabulon urbes duodecim. Tres hi: Caath, Gerson, et Merari erant filii Levi. Exodi 6. v. 16.

8. *Dederuntque filii Israel Levitis civitates, et suburbana earum, sicut praeçepit Dominus per manum Moysi singulis sorte tribuentes. 9. De tribubus filiorum Juda, et Simeon dedit Josue civitates, quarum ista sunt nomina. 10. Filiis Aaron per familias Caath Levitici generis, prima enim sors illis egressa est: 11. Cariatharbe patris Enac:* hoc est, qui Arbe pater fuit Enac, ab illo enim Arbe civitas fuit denominata: nam Cariatharbe idem est, quod civitas Arbe: *quae vocatur Hebron in monte Juda, et suburbana eius per circuitum: 12. Agros vero, et villas eius dederat Caleb filio Jephone ad possidendum.* Quando igitur montem Hebron Josue Calebo tradidit possidendum supra cap. 14. v. 13. non hoc alia conditione fecit, quam erga alios, ut quae civitates deinde opportunae viderentur, eae a quibuscunque cederentur sacerdotibus et Levitis retenta sola agrorum, quae ad illas civitates pertinuissent, possessione. Neque vero etiam civitates, quae Levitis tradebantur, sic erant istorum propriae, ut non aliis etiam licitum esset in il-

lis habitare. Nam Saul habitavit in Gabaa, illiusque etiam posteri 1. Reg. 22. v. 6. et 2. Reg. 21. v. 6. David in Hebron sedem etiam regni sui sibi collocaverat septem annis, quibus primum regnavit 2. Reg. 5. v. 5.

13. *Dedit ergo filiis Aaron sacerdotis Hebron confugii civitatem, ac suburbana eius, et Lobnam cum suburbanis suis,* 14. *et Jether, et Esthemo,* 15. *et Holon, et Dabir,* 16. *et Ain, et Jeta, et Bethsames cum suburbanis suis: civitates novem de tribubus, ut dictum est, duabus.* 17. *De tribu autem filiorum Benjamin Gabaon, et Gabae,* 18. *et Anathoth, et Almon cum suburbanis suis civitates quatuor.* 19. *Omnes simul civitates filiorum Aaron sacerdotis tredecim cum suburbanis suis.* 20. *Reliquis vero per familias filiorum Caath Levitici generis haec est data possessio.* 21. *De tribu Ephraim urbes confugii Sichem cum suburbanis suis in monte Ephraim, et Gazer,* 22. *et Cibsaim, et Bethhoron cum suburbanis suis civitates quatuor.* Non omnes hae quatuor civitates erant perfugii, sed sola ex his prima Sichem, ut est capitis superioris versu 7. In Hebraeo non est positum: *urbes confugii* sed numero singulari: *urbs confugii.* (עִיר מִקְלָט) Qualiter adhuc saepius in huius eiusdem rei versione Latinus Interpres alludit ab Hebraeo. 23. *De tribu quoque Dan: Eltheco, et Gabathon,* 24. *et Ajalon, et Gethremmon cum suburbanis suis civitates quatuor.* 25. *Porro de dimidia tribu Manasse: Thanack, et Gethrem-*

mon cum suburbanis suis civitates duae. 26. *Omnes civitates decem, et suburbana earum datae sunt filiis Caath inferioris gradus.* 27. *Filiis quoque Gerson Levitici generis dedit de dimidia tribu Manasse confugii civitates, Gaulon in Basan, et Bosram cum suburbanis suis civitates duas.* 28. *Porro de tribu Issachar: Cesion, et Dabereth,* 29. *et Jaramoth, et Engannim cum suburbanis suis civitates quatuor.* 30. *De tribu autem Aser: Masal, et Abdon,* 31. *et Helcath, et Rohob cum suburbanis suis civitates quatuor.* 32. *De tribu quoque Nephthali civitates confugii Cades in Galilaea, et Hammothdor, et Carthan cum suburbanis suis civitates tres.* 33. *Omnes urbes familiarum Gerson tredecim cum suburbanis suis.*

34. *Filiis autem Merari Levitis inferioris gradus per familias suas data est de tribu Zabulon: Jecnam, et Cartha,* 35. *et Damna, et Naalol civitates quatuor cum suburbanis suis.* 36. *De tribu Ruben ultra Jordanem contra Jericho civitates refugii Bosor in solitudine, Misor, et Jaser, et Jethson, et Mephaath civitates quatuor cum suburbanis suis.* Quoad hunc versum maxima est lectionis varietas. Nam primo totum hunc versiculum vetusta exemplaria Latina, et insuper Hebraica complura praetermittunt penitus: alia autem habent illum quidem, sed cum omissione istorum verborum: *ultra Jordanem contra Jericho.* Septvaginta Interpretes conveniunt cum moderna lectione nostrae Vulgatae: sed nec illorum etiam omnia exem-

plaria adcurate, in civitatumque nominibus discrepant. Similiter Editiones Hebraicae praeter omissionem illam verborum, de qua paulo ante dictum est, in nominibus etiam civitatum disconveniunt. In lib. 1. Paralip. 6. v. 78. cum ibi istud idem de his civitatibus, quae Levitis datae sint ad habitandum, repeteretur; res quidem congruit cum isto Josue loco, sed tantum in nominibus iterum civitatum disconvenientia est. Difficile est coniectura adsequi, quomodo haec tanta diversitas accidere potuerit. In Vulgata autem nostra etiam illud praeterea est, quod quinque nomina, tanquam diversarum civitatum, sint posita, nec tamen summa earum maior dicitur fuisse, quam quatuor. Sed nec esse debet, siquidem cum civitates ex aliis tribubus acceptae, Levitisque datae numerum efficiant quadraginta quatuor, quod deprehendetur computatione earum facta, omnes vero simul Leviticae civitates fuerint numero quadraginta et octo, ut est etiam huius capitis versu 39. nequeunt ex tribu Ruben plures fuisse, quam quatuor. An in Hebraeo versiculus iste antiquitus exstiterit, cum exemplaria alia illum habeant, alia eo careant, dubium est, et anceps. Est nihilominus magis probabile, exstitisse, hac de causa: quod, cum civitates, quae Levitis datae sunt, ex aliis tribubus omnes nominatim exponantur, ex hac sola Ruben fuissent praetermissae, verisimilius autem est neque hic esse praetermissas, cum ubique alibi expositae sint. Jam illud: *ultra Jordanem contra Jericho* a Sept-

vaginta Interpretibus videtur tantum esse additum, explicationis alicuius gratia, quodque transsumptum ab illis sit ex citato Paralipomenon loco. Ex Septvaginta autem Graeca versione transfluxit etiam in nostram Latinam: neque istud per S. Hieronymum, qui Vulgatam ex Hebraeo vertit, sed per aliquem nescio alium. Neque enim Versio Scripturae Latina, ut exstat inter Opera S. Hieronymi, habet istud additamentum; nisi in quibusdam editionibus, idque etiam solummodo in margine, extra ipsum textum. Etiam ista huius versus particula: *civitates refugii*, quae ne in illo quidem etiam Paralipomenon loco, qui isti respondet, existit, nec in Hebraeo uspiam; ab iisdem Septvaginta videtur esse profectum, credibileque est illos hoc fecisse, ut, quoniam, si in superioribus versibus civitas aliqua memorata est, quae una esset perfugii, id ab Josua expositum fuisset, idem hic quoque fieret. Illi tamen in singulari posuerunt: πόλιν *civitatem*, non civitates perfugii. Una enim tantum ex his in tribu Ruben Bosor fuit, ceterae tales non erant. Qua de re iam superius ad versum 21. dictum est. Jam nunc eo venio, quomodo illa, quae hic unius civitatis redundantia est, tollenda sit. Est de hac Bosor civitate Deuteronomii 4. v. 43. *Bosor in solitudine, quae sita est in terra campestri.* Istius vero loco: *quae sita est in terra campestri*, in Hebraeo est: *In terra Mischor.* (בְּאֶרֶץ הַמִּישֹׁר) Quod etiam similiter, ut Latinus Interpres, Septvaginta Graece verterunt ἐν τῇ γῇ τῇ πεδινῇ *in ter-*

ra campestri. Quare etiam hic apud Josuam in praesenti loco *Bosor in solitudine Misor*, nomen hoc Misor solitudinis, in qua sita Bosor civitas fuit, non vero civitatis est: nec inter vocem: *solitudine*, et *Misor* aliqua esse interpunctio debet. Taliter civitates hae ad quaternarium numerum, secundum etiam sua nomina redeunt, atque cum summa conveniunt. Restat, ut quae in reliquis civitatum nominibus supersunt discrepantiae, concilientur. Sunt vero praeter *Bosor*, civitatum adhuc in hoc versu ex tribu Ruben nomina tria haec: *Jaser*, *Jethson*, *et Mephaath.* Ex his tribus primum, et ultimum recte tam cum Hebraeo, quam cum Graeco Versionis Septvaginta, et cum Latino etiam Paralipomenon citati superius loci convenit: in soloque nomine *Jethson* disconvenientia est. Pro illo tam in Hebraeo in isto Josue loco, quam etiam in Latino illius iam citati Paralipomenon loci est *Cedemoth:* hancque fuisse tribus Ruben civitatem reperitur supra capitis 13. v. 18. nec uspiam Jethson inter civitates Ruben memoratur. Solent vero Septvaginta nomina propria subinde mutare, dum illa ex Hebraeo vertunt in Graecum, prout hic quoque fecerunt, et pro *Cedemoth*, vel ut Hebraei brevius illud pronunciant *Cedmoth*, illi *Dekmon* (Δεκμὼν) posuerunt, primas duas consonantes permutando inter se, et terminationem magis ad Graecam Euphoniam accedentem mutando. Atque cum iidem Septvaginta rursus in illo citato Paralipomenon loco sic nomen istius civitatis posuissent: *kedson* (non

tamen exemplaria conveniunt, et plura Graeca habent ibi in Paralipomenis *kadmoth*) ex isto Graeco *kedson* rursus aliquis Latine scribendo *Jethson* fecit: sicque nomen istud huc posuit. Neque enim versiculus iste est ex versione S. Hieronymi, qui, ut exstat versio S. Scripturae inter illius Opera, illum praetermisit, procul dubio, quod illum in suo, unde versionem Latinam fecit, non habuerit exemplari Hebraeo. 37. *De tribu Gad civitates confugii, Ramoth in Galaad, et Manaim, et Hesebon, et Jazer civitates quatuor cum suburbanis suis.* 38. *Omnes urbes filiorum Merari per familias, et cognationes suas duodecim.* 39. *Itaque civitates universae Levitarum in medio possessionis filiorum Israel fuerunt quadraginta octo* 40. *cum suburbanis suis singulae per familias distributae.* 41. *Deditque Dominus Deus Israeli omnem terram, quam traditurum se patribus eorum iuraverat, et possederunt illam, atque habitaverunt in ea.* 42. *Dataque est ab eo pax in omnes per circuitum nationes, nullusque eis hostium resistere ausus est.* Hoc de illo tempore intelligendum est, „Cum simul, ut ait S. Augustinus Quaest. 22. in Josua, „sub unius ducis imperio bellum gererent, antequam singulis tribubus sua defendenda dividerentur loca" *sed cuncti in eorum ditionem redacti sunt.* „Hos intelligi voluit inimicos, ait rursus S. Augustinus Quaest. 21. in Josue, qui obviam ire in „bellum ausi sunt." Nam superfuisse etiam postea, qui debellati nondum modo sint, et ad cap. 15. v.

63.

63. et iam alias saepius demonstratum est. 43. *Ne unum quidem verbum, quod illis praestiturum se esse promiserat, irritum fuit, sed rebus expleta sunt omnia.*

CAPVT XXII.

Tribus Ruben, Gad, et dimidia Manasse ab Josua domum remittuntur: quae causa monumenti ingens altare terreum ad Jordanem sibi exstruunt.

1. *Eodem tempore vocavit Josue Rubenitas, et Gaditas, et dimidiam tribum Manasse,* 2. *dixitque ad eos: fecistis omnia, quae praecepit vobis Moyses famulus Domini, mihi quoque in omnibus obedistis,* 3. *nec reliquistis fratres vestros longo tempore:* quamdiu videlicet illorum causa in armis fuerunt, donec ad suas possessiones pervenirent: Septennium fere fuisse, donec in potestatem redacta fuisset ab Israelitis Chananaea, demonstratum est supra ad cap. 14. v. 12. tamdiu igitur suos fratres non reliquerunt, sed illorum causa in castris perstiterunt: *usque in praesentem diem custodientes imperium Domini Dei vestri.* 4. *Quia igitur dedit Dominus Deus vester fratribus vestris quietem, et pacem, sicut pollicitus est, revertimini, et ite in tabernacula vestra, et in terram possessionis, quam tradidit vobis Moyses famulus Domini trans Jordanem;* 5. *ita dumtaxat, ut custo-*

diatis attente, et opere compleatis mandatum, et legem, quam praecepit vobis Moyses famulus Domini, ut diligatis Dominum Deum vestrum, et ambuletis in omnibus viis eius, et observetis mandata illius, adhaereatisque ei, ac serviatis in omni corde, et in omni anima vestra. 6. *Benedixitque eis Josue, et dimisit eos. Qui reversi sunt in tabernacula sua.* 7. *Dimidiae autem tribui Manasse possessionem Moyses dederat in Basan, et idcirco mediae, quae superfuit, dedit Josue sortem inter ceteros fratres suos trans Jordanem ad Occidentalem plagam. Cumque dimitteret eos in tabernacula sua, et benedixisset eis,* 8. *dixit ad eos: in multa substantia, atque divitiis revertimini ad sedes vestras cum argento, et auro, aere, ac ferro, et veste multiplici: dividite praedam hostium cum fratribus vestris.*

9. *Reversique sunt, et abierunt filii Ruben, et filii Gad, et dimidia tribus Manasse a filiis Israel de Silo, quae sita est in Chanaan, ut intrarent Galaad terram possessionis suae, quam obtinuerant iuxta imperium Domini in manu Moysi.* 10. *Cumque venissent ad tumulos Jordanis in terram Chanaan* Hebraice: *ad confinia Jordanis, quae sunt in terra Chanaan* (אֶל־גְלִילוֹת הַיַּרְדֵּן אֲשֶׁר בְּאֶרֶץ כְּנָעַן) *aedificarunt iuxta Jordanem altare infinitae magnitudinis*, Hebraice: *magnum ad adspectum.* (גָּדוֹל לְמַרְאֶה) In ulteriore parte Jordanis altare hoc, atque terreum hunc tumulum fuisse ab illis exstructum, tradit Josephus Ant. l. 5. c. 1.

Quod cum audissent 11. *filii Israel, et ad eos cer-
ti nuncii detulissent aedificasse filios Ruben, et
Gad, et dimidiae tribus Manasse altare in ter-
ra Chanaan super Jordanis tumulos contra filios
Israel;* 12. *convenerunt omnes in Silo; ut adscen-
derent, et dimicarent contra eos.* Erat vetitum in
alio loco, quam quem Deus designasset, et alibi,
quam coram Dei tabernaculo sacrificare. Deut. 12.
v. 13. Cum igitur sacrificandi causa putassent ex-
structum hoc ab illis esse altare, peccatumque esse
contra legem; contra eos consurrexerunt.

13. *Et interim miserunt ad illos in terram
Galaad Phinees filium Eleazari sacerdotis,* 14. *et
decem principes cum eo singulos de singulis tribu-
bus.* 15. *Qui venerunt ad filios Ruben, et Gad,
et dimidiae tribus Manasse in terram Galaad, di-
xeruntque ad eos:* 16. *haec mandat omnis populus
Domini: quae est ista transgressio? cur reliqui-
stis Dominum Deum Israel aedificantes altare sa-
crilegum, et a cultu illius recendentes:* Deest in
Hebraeo epithetum: *sacrilegum*, sed hoc: *a cultu
illius recedentes* est expressum sonantius: *ad rebel-
landum nunc contra Deum* (לִמְרָדְכֶם הַיּוֹם בַּיהוָה)
17. *An parum vobis est, quod peccastis in Beel-
phegor?* (Num. 25. v. 3.) *et usque in praesentem
diem macula huius sceleris in vobis permanet, mul-
tique de populo corruerunt.* 18. *Et vos hodie reli-
quistis Dominum, et cras in universum Israel ira
eius desaeviet.* 19. *Quod si putatis immundam es-
se terram possessionis vestrae, transite ad ter-*

ram, in qua tabernaculum Domini est, et habitate inter nos, tantum ut a Domino, et a nostro consortio non recedatis, aedificato altari praeter altare Domini Dei nostri. 20. *Nonne Achan filius Zare praeteriit mandatum Domini, et super omnem populum Israel ira eius incubuit?* (supra cap. 7. v. 1.) *Et ille erat unus homo, atque utinam solus periisset in scelere suo.* 21. *Responderuntque filii Ruben, et Gad, et dimidia tribus Manasse principibus legationis Israel:* 22. *Fortissimus Deus Dominus ipse novit, et Israel simul intelliget: si praevaricationis animo hoc altare construximus; non custodiat nos, sed puniat nos in praesenti,* 23. *et si ea mente fecimus, ut holocausta, et sacrificium, et pacificas victimas super eo imponeremus, ipse quaerat, et iudicet:* 24. *et non ea magis cogitatione, atque tractatu, ut diceremus: cras dicent filii vestri filiis nostris, quid vobis, et Domino Deo Israel?* Hoc est, nihil est vobis commune cum Deo Israel: infra versu 27. hoc idem aliis verbis sic exprimitur: „Non est vobis pars in „Domino.“ 25. *Terminum posuit Dominus inter nos, et vos, o filii Ruben, et filii Gad Jordanem fluvium, et idcirco partem non habetis in Domino. Et per hanc occasionem avertent filii vestri filios nostros a timore Domini. Putavimus itaque melius,* 26. *et diximus: exstruamus nobis altare non in holocausta, neque ad victimas offerendas,* 27. *sed in testimonium inter nos, et vos, et sobolem nostram, vestramque progeniem, ut serviamus*

Domino, et iuris nostri sit, offerre et holocausta, et victimas, et pacificas hostias, et nequaquam dicant cras filii vestri filiis nostris: non est vobis pars in Domino. 28. *Quod si voluerint dicere, respondebunt eis: ecce altare Domini, quod fecerunt patres nostri non in holocausta, neque in sacrificium, sed in testimonium nostrum, ac vestrum.* 29. *Absit a nobis hoc scelus, ut recedamus a Domino, et eius vestigia relinquamus exstructo altari ad holocausta, et sacrificia, et victimas offerendas praeter altare Domini Dei nostri, quod exstructum est ante tabernaculum eius.* 30. *Quibus auditis Phinees sacerdos, et principes legationis Israel, qui erant cum eo, placati sunt, et verba filiorum Ruben, et Gad, et dimidiae tribus Manasse libentissime susceperunt.* 31. *Dixitque Phinees filius Eleazari sacerdos ad eos: nunc scimus, quod nobiscum sit Dominus, quoniam alieni estis a praevaricatione hac:* nam si praevaricati fuissent, Deus ab ipsis omnibus fuisset aversus: respexerat videlicet ad factum Achan: propter quem unum peccantem Dei aversio erga totum populum exstitit: supra versu 20. *et liberastis filios Israel de manu Domini:* ne scilicet illos puniret. Sic enim praecesserat versu 18. „Vos hodie reliquistis Do-„minum, et cras in universum Israel ira eius de-„saeviet."

32. *Reversusque est cum principibus a filiis Ruben, et Gad, de terra Galaad finium Chanaan ad filios Israel, et retulit eis,* 33. *Placuitque ser-*

mo cunctis audientibus. Et laudaverunt Deum filii Israel, et nequaquam ultra dixerunt, ut adscenderent contra eos, atque pugnarent, et delerent terram possessionis eorum. Etiam insignes lapides, et tituli fuerunt Israelitis vetiti Levitici 26. v. 1. His autem altare illud, et terreus ille tumulus similis fuisse videtur. Quomodo igitur adprobare illud potuerunt? Certe et insignes lapides, et tituli, et quidquid eiusmodi esset monumentorum, prohibitum fuit, atque interdictum, si superstitionis alicuius gratia erigerentur; non autem ad rei alicuius solam memoriam. Qua de re iam dictum est ad Exodi 20. v. 5. ubi hoc ipsum factum de altari hoc terreo demonstrationis causa etiam commemoratum est.

In Praefatione autem demonstratum est, hinc etiam eos, qui oppugnant hunc librum, quasi non esset scriptus ab Josua, petere argumentum: quod in toto hoc negotio, quod tale, tantumque esset, ut in motu essent omnes, nulla aliqua mentio fiat Josue, qui tamen cum dux, princepsque fuerit totius populi primas partes debuerit in eo tenere. Volunt ergo hoc non sub Josue, sed serius esse factum. At vero praecessit huius capitis versu 1. ab Josua confectis bellis esse Rubenitas, Gaditas, et dimidiam tribum Manasse vocatos, et postquam eos collaudasset, domum dimissos. In hoc vero suo reditu, cum ad Jordanem ventum ab illis fuisset, erexerunt hoc altare, propter quod reliquae omnes tribus parabant consurgere, statim, ut nuncium ac-

ceperunt, adversus illos. Ergo Josue, qui illos ad iter misit, redeundique facultatem concessit, adhuc tum vixit. Nulla fit illius mentio, quando iam in motu propter illud altare totus fuit populus. Res erat illa gesta una, et communi voluntate totius populi. Quod ab omnibus est factum, hoc Josue sic explicuit, ut erat factum: nec dubitabat, quin per se intelligi posset, suam etiam intervenisse auctoritatem, quod gestum diceretur a toto populo. Cur ergo de se nominatim etiam debuisset mentionem facere? 34. *Vocaveruntque filii Ruben, et filii Gad altare, quod exstruxerant: Testimonium nostrum, quod Dominus ipse sit Deus.* Quod nimirum erexissent testificandi de se gratia sibi eumdem cum reliquis Israelitis, etiamsi Jordane ab iis essent disiuncti, esse Deum.

CAPVT XXIII.

Josue moriturus exhortatur populum ad observandam Dei legem.

1. *Evolvto autem multo tempore, postquam pacem dederat Dominus Israeli subiectis in gyro nationibus universis, et Josue iam longaevo, et persenilis aetatis:* Ex quo in Chananaeam ventum est, anni fluxerunt, ut in Praefatione dictum est, septemdecim ad obitum usque Josue: Ex quo numero septem fere consum-

pti sunt, donec subiugassent Chananaeam, ut ad capitis 14. v. 12. supra demonstratum est: reliquum ergo decem annorum tempus est, quod modo interea dicitur evolutum esse: 2. *vocavit Josue omnem Israelem, maioresque natu, et principes, ac duces, et magistros, dixitque ad eos: ego senui, et progressioris aetatis sum.* 3. *Vosque cernitis omnia, quae fecerit Dominus Deus vester cunctis per circuitum nationibus, quomodo pro vobis ipse pugnaverit;* 4. *et nunc, quia vobis sorte divisit omnem terram ab Orientali parte Jordanis usque ad mare magnum, multaeque adhuc supersunt nationes,* 5. *Dominus Deus vester disperdet eas, et auferet a facie vestra, et possidebitis terram, sicut vobis pollicitus est.* 6. *Tantum confortamini, et estote solliciti, ut custodiatis cuncta, quae scripta sunt in volumine legis Moysi, et non declinetis ab eis neque ad dexteram, neque ad sinistram.* 7. *Ne postquam intraveritis ad gentes, quae inter vos futurae sunt, iuretis in nomine deorum earum, et serviatis eis, et adoretis illos.* Non est in Hebraeo particula illa vocis: *postquam*, sed est praecipiendo dictum, ut omnino non intrarent ad gentes, quae futurae inter illos essent, hoc est, ne se cum illis commiscerent, foedera, et connubia cum illis ineundo. Itaque Syrus hoc sic clarius expressit: *Et ne immisceamini gentibus istis, quae supersunt inter vos.* 8. *Sed adhaereatis Domino Deo vestro, quod fecistis usque in diem hanc:* nempe, quamdiu Josue illis praefuit.

Sic enim est infra capitis subsequentis versu 31. „Servivitque Israel Domino cunctis diebus Josue:“ nam antea, et dum vitulum aureum adoravissent, atque se idolo Beelphegor initiandos curavissent, in adhaerendo Deo constantes non fuerunt. 9. *Et tunc auferet Dominus Deus in conspectu vestro gentes magnas, ac robustissimas, et nullus vobis resistere poterit.* 10. *Unus e vobis persequetur hostium mille viros, quia Dominus Deus vester pro vobis ipse pugnabit, sicut pollicitus est.* 11. *Hoc tantum diligentissime praecavete, ut diligatis Dominum Deum vestrum.*

12. *Quod si volueritis gentium harum, quae inter eos habitant, erroribus adhaerere, et cum eis miscere connubia, atque amicitias copulare;* 13. *iam nunc scitote, quod Dominus Deus vester non eas deleat ante faciem vestram, sed sint vobis in foveam, ac laqueum, et offendiculum ex latere vestro, et sudes in oculis vestris, donec vos auferat, atque disperdat de terra hac optima, quam tradidit vobis.* Pedibus solemus offendere inter eundum. Hoc ergo ex latere sic intelligendum est, quod utrinque in via, qua incederent, habituri essent offendicula. Sudes sunt pali, et ligna in cuspidem parte una acuminata, quo apta sint ad defigendum in terra. 14. *En ego hodie ingredior viam universae terrae, et toto animo cognoscetis, quod de omnibus verbis, quae se Dominus praestiturum vobis esse pollicitus est, unum non praeterierit incassum,* 15. *Sicut ergo implevit opere, quod pro-*

misit, et prospera cuncta venerunt; sic adducet super vos, quidquid malorum comminatus est, donec vos auferat, atque disperdat de terra hac optima, quam tradidit vobis, 16. eo, quod praeterieritis pactum Domini Dei vestri, quod pepigit vobiscum, et servieritis diis alienis, et adoraveritis eos: cito, atque velociter consurget in vos furor Domini, et auferemini ab hac terra optima, quam tradidit vobis.

CAPVT XXIV.

Josue renovat Dei foedus cum populo, et moritur.

1. C*ONGREGAVITQVE Josue omnes tribus Israel in Sichem, et vocavit maiores natu, ac principes, et iudices, et magistros, steteruntque in conspectu Domini.* Septvaginta, deinde Arabs hic loco Sichem legunt Silo, quasi nunc eo Josue convenire iusserit populum: eamdemque lectionem etiam S. Augustinus exhibet Quaest. 30. in Josue. At Hebraea, Chaldaica, et Syriaca consentiunt cum Vulgata. Illam autem alteram lectionem illud praeterea iuvat, quod isti, qui erant nunc convocati, stetisse dicantur in conspectu Domini: quod denotat fuisse hoc gestum in loco, coram Dei tabernaculo, et arca, eoque magis, quod, cum Dei foedus modo Josue renovavisset cum populo, in istius renovationis monumentum grandem lapidem erexerit

in sanctuario infra versu 26. atque adeo clare perspicitur rem hanc esse gestam coram Dei tabernaculo. Jam vero Dei tabernaculum non in Sichem, sed in Silo est defixum supra cap. 18. v. 1. et ibi postea etiam mansit ad Heli usque, et Samuelis aetatem. 1. Reg. 4. v. 3. Nihilominus potior est habenda Vulgatae nostrae lectio, quod pro se habeat Hebraei fontis auctoritatem, sed premit illa difficultas, quomodo ea, quae de Sichem narrantur, gesta sint in praesentia tabernaculi? Quidam, ut se hinc expediant, dicunt tribus, quae erant convocatae, convenisse quidem in Sichem, sed hinc deductas esse in Silo ad Dei tabernaculum. Est pure arbitrarium hoc assertum, nec probabile. Nam, cur ipsa convocatio non statim eo facta est? Aliis placet propterea hoc, quod in Silo coram Dei tabernaculo est gestum, sic esse positum, quasi gestum esset in Sichem, quod ille campus, ubi collectus est populus, prope Sichem fuerit. At S. Hieronymus in Libro de Locis Hebraicis duodecim millibus passuum docet Silo remotum fuisse a Sichem. Et quare, etiamsi campi illius talis vicinitas ad Sichem fuisset, Sichem potius iterum posuit, quam Silo: cum res haec proprie in Silo esset gesta, isteque locus prae illo propter Dei tabernaculum in eo notior etiam, et multo celebrior esset? Res haec, quae satis intricata videtur, facile tamen explicari potest. Quid enim obstat, ne arca, et Dei tabernaculum modo etiam ad istum conventum totius populi in Sichem ex Silo sit deportatum? Nam,

si postea sub Heli in castra deportari potuit, cur non etiam modo ad hunc conventum? Atque hoc illud confirmat, quod, ut iam commemoratum est, cum Josue Dei foedus cum populo renovavisset, idque foederis istius monumentum praegrandem lapidem erexisset, istum dicatur, infra versu 26. posuisse infra quercum in sanctuario. Atqui illicitum erat prope altare habere lucum, vel arborem, Deut. 16. v. 21. Quod ergo nihilominus hic in sanctuario dicatur fuisse ista arbor; id sequitur tantum eo esse permissum, quod arca tantum huc modo, temporis istius causa, allata sit, eique locus, quamvis arbor in eo esset, sit delectus, quod in deligendo loco haec ipsa arbor iam designaretur, tanquam quae in negotio, quod tum gerendum erat, futura esset usui; ubi in monumentum renovati foederis lapis deinde constitueretur, arborque hunc prope se depositum lapidem notabiliorem faceret. In Silo autem, cum sic arca, et tabernaculum fuissent collocata, ut is, quasi domesticus illis locus esset; sacerdotes, quando ibi tabernaculum erexerunt, arborem ibi tolerare in illius sanctuario, et atrio non potuerunt.

2. *Et ad populum sic locutus est: haec dicit Dominus Deus Israel: trans fluvium habitaverunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham, et Nachor, servieruntque diis alienis.* Non tantum Thare patrem Abraham, sed etiam Abrahamum in idololatrica superstitione fuisse, antequam vocatus fuisset a Deo, opinio est plurium. Eam S. Ephrem

serm. 2. de Poenit. aperte tradidit. „Abraham, „inquit, primum gentilis erat, et Chaldaeus.“ Idem S. Cyrillus l. 3. contra Julian. sensit: in eamque sententiam concesserunt postea Interpretes plures, ut Genebrardus, Serarius, Calmet, Tirinus. Nec aliud illa pro se fundamentum habet, quam istum praesentem Scripturae locum. At vero hinc nihil adversum Abrahamum, ne contra Nachorem quidem inferri potest, quamvis istius alterius ego defensionem non suscipiam; sed mihi omnis cura de Abrahamo sit. In quem notam istam turpissimam erroris, et idololatriae conferre, qui vir tam laudatus semper a pietate, et Religione in Scriptura est, committendum non sit. Nam, quid hic dicitur? *Trans fluvium habitaverunt patres vestri ab initio.* Ex istis autem patribus nominatim solus deinde ponitur Thare. Nam, quod Abraham etiam, et Nachor memorentur; id tantum tali ratione est factum, ut persona Thare per istorum duorum nomina, qui filii illius fuerunt, magis declaretur. Solum enim nomen Thare est nominativi casus. Abraham autem, et Nachor nomina sunt in genitivo casu. Ergo solum etiam nomen Thare refertur ad verbum: *habitarunt.* Reliqua autem duo nomina Abraham, et Nachor, non ad verbum, sed ad Thare nomen, et personam referuntur, ut hanc, quaenam fuerit, adcuratius explicent. Norunt hanc regulam intelligendi non tantum Dialectici, verum ipsi etiam Grammatici. Quid? Nonne verbum: *habitaverunt* est numeri pluralis, atque ii, qui habitaverunt iti-

dem in numero plurium dicuntur patres? Quod si non eo pertinerent Abraham etiam, et Nachor; consequens esset, ut oratio maneat hiulca. Unus enim Thare tantum pater fuisset, non patres, qui habitaverint trans flumen, servierintque diis alienis. Huc dupliciter responderi potest. Vel enim plures ex progenitoribus Abrahae intelliguntur infecti idololatrica superstitione fuisse, quamvis unus tantum nominatim exponatur Thare, ita ut partium enumeratio relicta sit incompleta; vel vero numerus pluralis est positus pro singulari, ut quasi de pluribus videatur hoc esse dictum, quod de uno est Thare. Nec haec ratio loquendi aliena est a more Scripturae. Superius huius Josue libri cap. 7. v. 1. est: „Filii Israel praevaricati sunt mandatum, et „usurpaverunt de anathemate.“ Est vero superioris capitis versu 20. de Achan, qui crimen illud perpetravit: „Et ille erat unus homo, atque utinam solus periisset in scelere suo.“ Unus erat latro e duobus, qui crucifixi sunt cum Christo, qui illum blasphemavit Luc. 23. v. 39. tantumque abest, ut alter eamdem blasphemiam commiserit, ut blasphemantem etiam socium increpuerit. Et tamen Matthaeus, et Marcus, hic cap. 15. v. 22. ille cap. 27. v. 44. sic hoc factum proponunt, quasi in illo blasphemiae crimine latro uterque fuisset. „Latrones, ait Matthaeus, qui crucifixi erant cum eo, „improperabant ei.“ Deinde quoniam sic est positum: *Trans fluvium habitaverunt patres vestri Thare pater Abraham, et Nachor*, fuitne Israeli-

tarum pater etiam Nachor, filius Thare? Neque enim Israelitae ex ipso descenderunt. Ergo sicut ad Nachorem non pertinet istud: *Patres vestri*, ita neque ad Abrahamum. Eadem enim est enunciandi ratio de utroque. Non quidem, quasi Abraham non fuerit Israelitarum pater; sed quod inter illos patres Israelitarum, qui trans flumen habitarunt, idolaque coluerunt, non sit ab Josua positus Abraham; ut adeo non modo nihil hinc contra Abrahamum possit inferri, sed ne quidem contra Nachorem, qui prorsus nulla ratione fuit Israelitarum pater, quamvis non hinc, sed aliunde omnino ista suspicio de idolatria in illum possit cadere, quod Laban ipsius filius idola coluerit Gen. 31. v. 30. S. Augustinus l. 16. de Civ. Dei cap. 12. etiam de Thare sic verba facit, ut hunc etiam videatur ab idololatriae crimine purgatum habere velle. „Tharae, inquit, domus erat, de qua natus est Abraham, in qua unius veri Dei cultus - - - proinde, „sicut per aquarum diluvium una domus Noe re„manserat ad reparandum genus humanum; sic in „diluvio multarum superstitionum per universum „mundum una remanserat domus Tharae, in qua „custodita est plantatio Civitatis Dei." At verum manet, id quod S. Augustinus asserit in una domo Tharae perstitisse unius veri Dei cultum, etiamsi is solus fuit Abraham absque Thare patre. Nam Abraham, dum esset in domo Thare sui patris, in ipsoque conservaretur vera religio; haec eadem servabatur etiam in domo Thare patris, quia in hac

domo fuit Abraham. Flumen, quod hic memoratur generali nomine, est Euphrates: sicut hoc idem Exod. 23. v. 31. et saepius alibi in Scriptura fit.

3. *Tuli ergo patrem vestrum Abraham de Mesopotamiae finibus, et adduxi eum in terram Chanaan, multiplicavique semen eius, 4. et dedi ei Isaac, illique rursum dedi Jacob, et Esau. E quibus Esau dedi montem Seir ad possidendum. Jacob vero, et filii eius de ascenderunt in Aegyptum. 5. Misique Moysen, et Aaron, et percussi Aegyptum multis signis, atque portentis. 6. Eduxique vos, et patres vestros de Aegypto, et venistis ad mare, persecutique sunt Aegyptii patres vestros cum curribus, et equitatu usque ad mare Rubrum. 7. Clamaverunt autem ad Dominum filii Israel, qui posuit tenebras inter vos, et Aegyptios, et adduxit super eos mare, et operuit eos. Viderunt oculi vestri cuncta, quae in Aegypto fecerim, et habitastis in solitudine multo tempore. 8. Et introduxi vos in terram Amorrhaei, qui habitabat trans Jordanem. Cumque pugnarent contra vos, tradidi eos in manus vestras, et possedistis terram eorum, atque interfecistis eos. 9. Surrexit autem Balac filius Sephor rex Moab, et pugnavit contra Israelem:* Non pugnavit, sed propositum tantum habuit pugnandi, utque arma haec illi prospere succederent, ad maledicendum Israelitis evocavit, et conduxit Balaamum. „Veni et male„dic populo huic, dicebat ei per nuncios, quia „fortior me est, si quomodo possim percutere, et

„eiicere

„eiicere eum de terra mea.“ Numer. 22. v. 6. Est igitur verbum, quod iam actum significat tropice positum pro sola animi destinatione. *Misitque, et vocavit Balaam filium Beor, ut malediceret vobis.* 10. *Et ego nolui audire eum, sed e contrario per illum benedixi vobis, et liberavi vos de manu eius:* ne scilicet ille suis maledictis ipsis posset nocere.

11. *Transistisque Jordanem, et venistis ad Jericho. Pugnaveruntque contra vos viri civitatis eius Amorrhaeus, et Pherezaeus, et Chananaeus, et Hethaeus, et Gergezaeus, et Hevaeus, et Jebusaeus, et tradidi illos in manus vestras*, Urbem Jericho sine aliquo conflictu tantum circumeundo illam, et tubis clangendo Israelitae ceperunt. Quamobrem, „quaeri potest, ait S. Augustinus Quaest. 26. in „Josue, quomodo id verum sit, cum clausis por„tis se murorum ambitu tantummodo tuerentur. „Sed recte dictum est, quia et claudere adversus „hostem portas, ad bellum pertinet. Non enim mi„serunt legatos, qui poscerent pacem. Unde, si di„ctum esset, pugnaverunt adversum vos, falsum „esset. Neque enim bellum continuas pugnas ha„bet; sed aliquando crebras, aliquando raras, ali„quando nullas. Bellum est tamen, quando est quo„dam modo armata dissensio.“ Hoc sic explicuit S. Augustinus, ut, si dictum esset, *pugnaverunt*, falsum esset. Est vero dictum *pugnaverunt*. Nimirum ipse Scripturam legit iuxta Versionem Latinam antiquam, ubi sic est, quemadmodum etiam,

ab ipso recitatus fuit iste locus: *Et bellaverunt adversus vos, qui habitabant Jericho.* Pugnandi igitur verbum est positum pro bellare. Estque inter haec illud discrimen, quod pugnare significet actu confligere; bellare, et bellum habere sit ipsa inter duos populos dissensio talis, et hostilitas, qua armantur ad decertandum inter se viribus: bellumque inter eos incipiat esse, etiamsi nondum confligant, et duret etiam dum praelium inter se nullum committunt. Atque tali ratione erat inter Israelitas, et Jerichuntinos bellum. Israelitarum circa moenia urbis Jericho circuitio, clangorque ille tubarum, et postremum etiam clamatio, qua etiam eadem moenia corruerunt, speciem habuit cuiusdam oppugnationis. Illi autem intus adversus eos cum circumeuntes tantum adhuc viderent, moenibus se clausos tenuerunt. Nisi repugnare voluissent; certe moenia non clausissent, verum se ad deditionem obtulissent. Fuit ergo inter eos bellum. In Hebraeo est verbum, quod omnino bellandi significationem habet (וילחמו) quodque etiam Septvaginta ita verterunt ἐπολέμησαν: *bellarunt*. Ad hunc igitur sensum etiam verbum *pugnarunt*, quod in nostra moderna versione est, accipi debet.

12. *Misique ante vos crabrones, et eieci eos de locis suis, duos reges Amorrhaeorum, non in gladio, nec in arcu tuo.* Qui duo isti Amorrhaeorum reges fuerint, nuspiam clarius explicatur. Duos oportuit esse ex illis triginta, et uno, quos esse debellatos, et quorum regionem esse Israelitis da-

tam, supra capite 12. narratur. 13. *Dedique vobis terram, in qua non laborastis, et urbes, quas non aedificastis, ut habitaretis in eis; vineas, et oliveta, quae non plantastis.* 14. *Nunc ergo timete Dominum, et servite ei perfecto corde, atque verissimo, et auferte deos, quibus servierunt patres vestri in Mesopotamia, et Aegypto, ac servite Domino.* De illis, qui in Mesopotamia ex illorum patribus, et maioribus idola coluerint superius ad versum 2. dictum est. Idololatriam esse exercitam ab Israelitis in Aegypto, etiam Ezechielis 23. v. 3. et sequentibus exprobratur. Et nunc, quoniam iussi sunt ab Josua auferre deos; intelligitur fuisse ipsis tales deos. Non enim potuisset praecipi, ut id auferrent, quod non haberent. Laus tamen ipsis infra versu 31. haec tribuitur: „Servivitque Israel Do„mino cunctis diebus Josue." Nimirum hoc est dictum relate ad eas, quae postea consecutae sunt Israelitarum a veri Dei cultu magnas illas, frequentissimasque defectiones. Qualis sub Josua, et senioribus, qui post Josue vixerunt, non fuit: non autem, quod omnes prorsus, etiam privatim immunes fuerint ab idololatriae contagione. Est iam à me alias etiam demonstratus canon iste interpretandi, quem S. Hieronymus etiam notavit in epistola ad Damasum, omnia non esse semper referenda ad totum, sed tantum ad partem maximam. Posset autem etiam hoc verbum, auferre, in minus stricta significatione sumi pro excludere, et arcere ab se, ut hoc ipsum Syrus fecit, qui istum locum

sic vertit: *Timete Dominum, et colite illum in sinceritate, et veritate, et arcentes de corde vestro deos alienos, quos coluerunt patres vestri trans flumen, et in Aegypto.*

15. *Sin autem malum vobis videtur, ut Domino serviatis; optio vobis datur. Eligite hodie, quod placet, cui servire potissimum debeatis, utrum diis, quibus servierunt patres vestri in Mesopotamia, an diis Amorrhaeorum, in quorum terra habitatis. Ego autem, et domus mea serviemus Domino.* Perspicuus est iste locus ad ostendendam humani arbitrii facultatem in utramvis partem. Nam, cui optio datur, ut, si displiceret servire Deo; conferre se possit ad colendos deos vel Chaldaeorum, vel Amorrhaeorum; is certe ad hoc utrumque liberam, et paratam habere debet agendi facultatem. Si autem, ut docuit Lutherus, libertas tantum ad unam partem pertineret agendi male, et non ad agendum etiam bene; aut sicut Calvinus, Dei decreto esse hominem quemque iam determinatum, et affixum, hunc ad bonum, illum ad malum, an optio Israelitis potuisset dari haec, si illius liberam agendi, quod proponebatur, in utramque partem non habuissent facultatem, et non magis irrisoria haec fuisset oblatio, si dum diceretur, ut sibi, quod placeret, eligerent; eligendi tamen potestatem illam minime habuissent? Nam quaero ego, si dum colere Deum sibi elegerunt, atque sic Josuae responderunt: *Absit a nobis, ut relinquamus Dominum, et serviamus diis alienis*; an tum alterum etiam

respondere potuissent? Si autem potuerunt respondere; erat in illis facultas eligendi istud etiam, si voluissent, alterum. Itaque Josue ad illos: *Testes*, inquit, *vos estis, quia ipsi elegeritis vobis Dominum, ut serviatis ei.* Non autem potuissent eligere, si iam ex Deo quaedam necessitas adegisset ipsos ad alterutram partem.

16. *Responditque populus, et ait: absit a nobis, ut relinquamus Dominum, et serviamus diis alienis.* 17. *Dominus Deus noster ipse eduxit nos, et patres nostros de terra Aegypti, de domo servitutis, fecitque videntibus nobis signa ingentia, et custodivit nos in omni via, per quam ambulavimus, et in cunctis populis, per quos transivimus.* 18. *Et eiecit universas gentes, Amorrhaeum habitatorem terrae, quam nos intravimus. Serviemus igitur Domino, quia ipse est Deus noster.* 19. *Dixitque Josue ad populum: non poteritis servire Domino. Deus enim sanctus, et fortis aemulator est, nec ignoscet sceleribus vestris, atque peccatis.* 20. *Si dimiseritis Dominum, et servieritis diis alienis; convertet se, et affliget vos, atque subvertet, postquam vobis praestiterit bona.* Hic dicit Josue non posse illos servire Deo; ergone facultatem hanc ipsis denegat, et tamen optionem prius dederat? Si Israelitae postea serviverunt Deo; ergo sequitur ipsos etiam potuisse servire Deo. Nam quod factum est, id profecto fieri potuit. Est vero inferius versu 31. „Servivitque Is„rael Domino cunctis diebus Josue, et seniorum,

„qui longo vixerunt tempore post Josue.“ Serviverunt Judic. 10. v. 16. Serviverunt 1. Reg. 7. v. 4. Serviverunt saepe alias. Quonam modo ergo hoc ad illos dictum est: *Non potestis Deo servire?* nimirum, quoad ipsorum indolem, quae valde proclivis esset ad idololatriam. Cumque Deus vicissim ob suam sanctitatem laturus impune non esset hoc defectionis ipsorum crimen; tanto magis, postquam se etiam sacramento, et promissione ad eum colendum iterum obstrinxissent; dixit Josue, illos servire Deo non posse, quatenus talis illorum indoles, et proclivitas ad idololatriam contraria esset stabilitati in Religione erga Deum. Ita de fratribus quoque Joseph dictum est: „Non poterant „ei, Josepho nimirum, quidquam pacifice loqui.“ Gen. 37. v. 4. ideo autem, quoniam eum odissent. Ut igitur, haec illis non talis impossibilitas fuit, quae insuperabilis esset, sed tantum talis habitudo animi ipsorum, quae, quamdiu talis esset, non se componi permitteret cum amore, et benevolentia erga Josephum: ita hoc quoque tale est ab Josua erga Israelitas dictum, non posse illos Deo servire: quorum videlicet duram cervicem, summamque ad idololatriam pronitatem, notam, atque perspectam haberet, quae isti, quam de se pollicebantur, constantiae adversabatur in Religione.

21. *Dixitque populus ad Josue: nequaquam ita, ut loqueris, erit; sed Domino serviemus.* 22. *Et Josue ad populum: testes, inquit, vos estis, quia ipsi elegeritis vobis Dominum, ut serviatis*

ei. Responderunt: testes. 23. *Nunc ergo, ait, auferte deos alienos de medio vestri, et inclinate corda vestra ad Dominum Deum Israel.* 24. *Dixitque populus ad Josue: Domino Deo nostro serviemus, et obedientes erimus praeceptis eius.* 25. *Percussit ergo Josue in die illo foedus, et proposuit populo praecepta, atque iudicia,* Synonymum hoc est prioris nominis *in Sichem.* Quae versiones superius loco Sichem, Silo habent, eaedem istud et hic idem faciunt. 26. *Scripsit quoque omnia verba haec in volumine Legis Domini, et tulit lapidem pergrandem, posuitque eum subter quercum, quae erat in Sanctuario Domini.* 27. *Et dixit ad omnem populum: en lapis iste erit vobis in testimonium, quod audierit omnia verba Domini, quae locutus est vobis, ne forte postea negare velitis, et mentiri Domino Deo vestro.* Eadem figura orationis lapis iste audisse verba Dei dictus est, qua a Moyse Deut. 32. v. 1. caelum, et terra ad audiendum, quae propositurus erat, invitata sunt. Cum nimirum in memoriam istorum, quae modo acta, et pronunciata ab Josua ad populum sunt, lapis iste esset constitutus, ut videndo lapidem, illorum recordarentur; lapis iste, cui quasi affixa esset illa memoria, audivisse illa verba, et percepisse dictus est, quatenus iis, qui eum adspicerent, in memoriam illa, quae audivit, revocaret. Verba autem Domini audivit. Nam Josue inde a versu secundo ipsum Deum verba facientem nunc ad illos induxerat.

28. *Dimisitque populum singulos in possessionem suam.* 29. *Et post haec mortuus est Josue filius Nun, servus Domini centum, et decem annorum.* 30. *Sepelieruntque eum in finibus possessionis suae in Thamnathsare, quae est sita in monte Ephraim a Septemtrionali parte montis Gaas.* 31. *Servivitque Israel Domino cunctis diebus Josue, et seniorum, qui longo vixerunt tempore post Josue, et qui noverunt omnia opera Domini, quae fecerat in Israel.* 32. *Ossa quoque Joseph, quae tulerant filii Israel de Aegypto, sepelierunt in Sichem in parte agri, quem emerat Jacob a filiis Hemor patris Sichem centum novellis ovibus, et fuit in possessionem filiorum Joseph.* Pro novellis ovibus in Hebraeo unum est vocabulum *Kesitah* (קְשִׂיטָה) de quo, eiusque significatione iam actum est ad Gen. 33. v. 19. *Eleazar quoque* 33. *filius Aaron mortuus est, et sepelierunt eum in Gabaath Phinees filii eius, quae data est ei in monte Ephraim.* Haec, quae ad calcem istius libri de Josue obitu, istisque, quae adhuc post mortem ipsius acciderunt, memorantur, non Josue iam literis mandavit; sed quispiam alter, et veri simillime is, qui sequentem librum Judicum scripsit, historiamque Israeliticae gentis continuavit, ut hoc Josuam quoque erga Moysem idem hoc fecisse in fine Deuteronomii, ibi dictum est.

LIBER JVDICVM.

PRAEFATIO.

Liber Judicum continet historiam de statu Israelitici populi ab obitu Josue usque ad Heli, et Samuelem, quibus iudicibus reges postea successerunt, commemoratque perpetuam toto isto spatio temporis vicissitudinem ipsius iam servitutis, iam liberationis ex servitute. Nam, cum identidem a Dei cultu ad idololatriam deficerent; Deus illos adversis rebus exercebat, atque aliis nationibus in servitutem tradebat, unde vero ipsos iterum liberabat. Quorum opera hoc Deus praestitit, et quos viros excitavit, qui servitutem ab ipsis depellerent, dicti sunt iudices: iidemque postea, cum populo libertatem peperissent, ius eidem consueverant administrare. Erant tales Judices universe sedecim; sed de quatuordecim illorum tantum tractat hic liber, et quo in numero etiam Debbora femina comprehenditur; de ultimis vero illorum Heli, et Samuele narratio instituitur in Libro primo Regum,

sive Samuelis. Historia, quae in hoc libro Judicum est, continet spatium annorum tercentorum. Quorum annorum ratio ad Libri huius Caput tertium postea exponetur.

De auctore ipsius disceptatur, nec certi aliquid pronunciari potest. Ab uno aliquo esse totum librum scriptum deducitur ex stilo, qui sibi ubique similis est per totum librum. Inter alias illa videtur coniectura esse melior, qua Samueli liber iste tribuitur. Nam Davide esse priorem intelligitur ex capitis 5. v. 4. Nam quod illic est, ad verbum fere transsumptum est ad Psalmi sexagesimi septimi versiculum octavum, et nonum. Argumentum totius libri est historicum.

SYNOPSIS.

CAP. I. Tribus Juda denominatur a Deo, quae aliarum princeps in gerendis bellis contra Chananaeos sit. Ea in societatem bellicae expeditionis sibi adsumit tribum Simeon. Memorantur urbes, quas sub suam potestatem Israelitae redegerunt. *Cap.* 2. Reprehenduntur Israelitae ab Angelo, quod foedera inivissent cum Chananaeis. Fit fletus illorum. Interponitur narratio de obitu Josue, indolesque Israelitarum explicatur de illorum summa pronitate ad idololatriam. *Cap.* 3. Ad exercendum ipsos, et probandum permittit Deus quasdam in Chananaea nationes. Cum his Israelitae cum instituissent connubia, deducuntur ad colenda idola Baalim, et Astaroth. Quamobrem a Deo in servitutem traduntur Chusan regi Syriae per octo annos. Unde postea liberantur per Othonielem. Sed relapsi rursus in idololatriam subiguntur ab Eglon rege Moabitarum, servituteque premuntur annorum decem, et octo. Aod hanc deinde interfecto rege Moabitarum depellit. Post Aod Samgar percussis vomere sexcentis Philisthaeis praefuit Israelitis. *Cap.* 4. Rursus in servitutem traduntur Jabin regi Cha-

naan annis viginti. Ex qua eos liberavit Debbora prophetissa et Barac victo Sisara duce regis Jabin. Sisaram fugientem e praelio Jahel mulier interficit adacto in cerebrum dormientis clavo. *Cap.* 5. Hanc victoriam de Sisara carmine celebrant Debbora, et Barac. *Cap.* 6. Subiguntur rursus a Madianitis, graviterque affliguntur ab istis per septem annos. Per prophetam Deus illis exprobrat, quod desciverint etiam nunc ab illius cultu. Gedeoni per angelum negotium demandatur eundi adversus hostes: cui angelo cum Gedeon carnes attulisset, et panes; ille haec virga tangendo ignem in illis accendit, illaque consumit. Evertit deinde Gedeon aram idolo Baal, quae erat erecta, eiusque lucum exscindit. Ad belli societatem evocat alias tribus. In vellere nocte rori exposito impetrat a Deo duplex prodigium, quo de futura victoria certior fiat. *Cap.* 7. Cum copias deinde adversum hostem eduxisset, et reliquos omnes ab exercitu dimisisset, solosque trecentos retinuisset; cum his hostium castra adgreditur, soloque tubarum clangore, et lagenarum collisione, lampadumque accensarum ostentatione in fugam vertit castra hostium. Fugientes excipiuntur ab aliis tribubus. Oreb, et Zeb duo illorum duces comprehensi ab Ephraimitis iugulantur. *Cap.* 8. Con-

tra Gedeonem iurgantur Ephraimitae, quod ad societatem istius belli ipsos non vocaverit. Incolae oppidi Soccoth, et Phanuel denegant ei annonam pro exercitu. Comprehendit in fuga duos Madianitarum principes Sebee, et Salmana. De oppido Soccoth septvaginta septem viros primores afficit supplicio, interque spinas, et tribulos illos conterit. Turrim quoque Phanuel evertit, eiusque loci incolas supplicio perimit. Ex inauribus aureis de Madianitarum spoliis curat fieri Ephod, quod postea ipsius posteris labendi praebuit occasionem. Relinquit post se septvaginta superstites filios. Post illius obitum Israelitae rursus redeunt ad idoli Baal idololatriam. *Cap.* 9. Abimelech filius Gedeonis conciliatis sibi Sichemitis, eorumque pecunia conductis sibi sociis fratres suos omnes interficit uno tanto ex caede elapso Joatham. Abimelechum sibi principem constituunt Sichemitae, et incolae urbis Mello. Joatham proposita parabola de arboribus regem sibi constituentibus tam Abimelecho fratri suo, quam Sichemitis infausta praenunciat. Cooritur discordia inter Sichemitas, et Abimelechum. Urbem Sichem vastat, et evertit Abimelech, confugientesque Sichimitas in fanum dei Berith circumposito igne, et fumo enecat. Ipse in oppugnatione oppidi Thebes de-

misso per feminam saxo in eius caput ex muro perit. *Cap.* 10. Fit Thola iudex Israelitarum, munusque hoc gerit per viginti tres annos. Ei successit Jair, annisque viginti duobus Israelitarum iudex est. Propter idololatriam subduntur iterum Ammonitis annis octodecim. Recurrunt deinde ad Deum abiectis a se idolis: eaque erga Deum fiducia bellum comparant adversus hostes: *Cap.* 11. atque ad hoc ducem sibi eligunt Jephtem. Is missis legatis cum Madianitis agit de componenda pace. Quae cum non successisset; Jephte votum concipit de offerendo eo in holocaustum Deo, quod sibi confecto feliciter bello occurrisset primum ex sua domo. Ubi victoriam retulisset de hoste, ei revertenti ex bello prima occurrit, cum patri gratulandi causa obviam esset progressa, unica filia. *Cap.* 12. Ephraimitae seditiose consurgunt adversus Jephtem: quorum quadraginta duo millia caeduntur a Galaaditis ad vada Jordanis. Post Jephtem fit iudex Abesam, post hunc Ahialon, deinde Addon. *Cap.* 13. Israelitae iterum subeunt iugum Philisthaeorum per annos quadraginta. Samsonis mater, eiusque maritus Manue nuncium per angelum accipiunt de futura prole, instruunturque, quomodo illam educare debeant. Angelus oblatos sibi a Manue panes respuit, sed iubet

iubet illum Deo facere holocaustum. Quod dum ardere incoepisset, cum illius fumo angelus quoque adscendit, et evanuit. *Cap.* 14. Samson uxorem genere Philisthaeam sibi despondet in Thamatha. Eo vadens in via leonem discerpit, iterumque postea ea iter faciens cum favum mellis in eius ore reperisset; problema inde sibi conficit, illudque proponit triginta Philisthaeis, qui ei in nuptiis dati sodales sunt. Ascalone interficit triginta Philisthaeos: quorum ablatas vestes ex pacto sodalibus nuptiarum suarum dat propter problema solutum. Cum Samson domum esset reversus, aliquamdiuque ab uxore emansisset; hanc parentes tradunt nuptum viro alteri. *Cap.* 15. Quod factum ulciscens Samson trecentas vulpes cum ardentibus facibus ad earum caudas alligatis immittit in Philisthaeorum segetes. Philisthaei poenas repetunt tam de muliere, quae erat desponsata Samsoni, quam de eius parentibus, atque igni eos comburunt. Qua tamen ultione non contentus, ipse magnam illis plagam infligit. Recipit se deinde ad speluncam Etam. Philisthaei manum mittunt ad eum capiendum. Is se cum sivisset tradi ligatum duobus funibus, repenteque deinde, cum captus duceretur, funes rupisset; maxilla asini, quam casu reperit, interficit mille Philisthaeos. Ex

eadem maxilla asini aqua ei postea erumpit, qua levat sitim. *Cap.* 16. Cum Gazam, quae una erat civitas Philisthaeorum, divertisset ad meretricem, essetque observatus a Philisthaeis, custodiisque ipsum circumsepsissent; ille noctu urbis portas una cum postibus, et seris suis humeris detulit ad montem. Postea mulierem, nomine Dalilam, adamavit in valle Sorec. Eam Philisthaei pecunia conducunt, ut ex Samsone resciat, ubi sitam habeat suam fortitudinem. Hanc, etsi prius, unaque Philisthaeos, qui ad eum comprehendendum parati in occulto aderant, tribus vicibus fefellisset; tamen postea, secretum de sua fortitudine, quam in capillis haberet, ei explicat: cumque mulier ei inter dormiendum capillos abscidisset; captus a Philisthaeis est. Quem illi oculis orbatum in carcere ad molendum damnaverunt. Cumque solennes epulas postea propterea, quod eum cepissent, in fano suo instituissent, spectaculique causa Samsonem quoque adduxissent; is duas columnas, quibus tota illa aedes innitebatur, complexus, cum iam ei interea capilli succrevissent, ad casum illas inclinavit, ruinaque domus maximam Philisthaeorum multitudinem, seque una peremit. *Cap.* 17. Michae cuidam ex tribu Ephraim mater idolum fieri curat: is aedicula il-

li etiam exstructa, et facto Ephod cum unum de suis filiis ei sacerdotem primum praefecisset; deinde nactus adolescentem Levitam Bethlehemitem hunc ad illud sacerdotis munus conducit. *Cap.* 18. Ex tribu Dan missi cum essent quidam, qui explorarent, ubinam regionem pro se possent occupare, quod ea, quam habebant, non satis ampla et sufficiens ipsis esset; hique ad Michae domum divertissent, et ab illius sacerdote oraculum de profectionis suae successu petivissent, hocque ille ipsis dedisset, sexcentique postea ex eadem tribu Dan, qui regionem occuparent, missi fuissent; hi sacerdotem Michae unaque idolum secum abducunt, urbemque deinde Lais de improviso adorti cum fuissent, atque eam deletis incolis cepissent, illi Michae idolo ibi cultum instituunt. *Cap.* 19. Levita quidam ex monte Ephraim uxorem ex oppido Bethlehem a parentibus domum reducebat. In quo itinere noctem dum agit in Gabaa tribus Benjamin civitate apud senem quemdam; incolae illius loci illi afferre vim libidinose parabant; sed dum ab hoc flagitio illos dehortatus fuisset senex; uxorem illius Levitae sic in platea libidinose afflixerunt, ut eam maritus exanimem repererit mane. Eius cadaver in frusta concisum maritus per omnium tribuum civitates mit-

tit. *Cap.* 20. Quamobrem ad facti istius atrocitatem in Maspha tribus omnes conveniunt, atque a reliquis Benjamitis incolas oppidi Gabaa sibi postulant dedi ad supplicium. Tantum vero abest, ut quod postulatum est, fecerint, ut in illorum auxilium etiam viginti ipsorum millia convenerint. Reliquae autem tribus cum consulto Deo adversus Benjamitas pugnare instituissent, bisque ab illis victi, atque pulsi fuissent: tandem tertio adgressi illos universos fere internecione deleverunt interfectis ipsorum viginti quinque millibus, Gabaa, aliisque illorum civitatibus igne, ferroque vastatis, ita, ut ex omnibus Benjamitis sexcenti tantum mares remanserint. *Cap.* 21. Juraverant aliae tribus sese Benjamitis, ne filias quidem suas daturas in matrimonium. Cuius illas et iuramenti, et cladis, qua illos affecerunt, poenitet. Residuis Benjamitis virgines civitatis Jabes Galaad, quae una reperta est non fuisse particeps istius iuramenti, interfectis omnibus maribus, atque iis feminis, quae iam thorum erant expertae, traduntur in matrimonium: et cum hae nondum suffecissent, a ceteris consilium datum est illis; ut dum virgines in Silo in solennitate choros ducerent, uxores sibi ex illis raperent.

CAPVT I.

Expeditiones bellicae post mortem Josue: civitates a se devictas Israelitae non delent, sed faciunt tributarias.

1. *POST mortem Josue consuluerunt filii Israel Dominum dicentes: quis adscendet ante nos contra Chananaeum, et erit dux belli?* 2. *Dixitque Dominus: Judas adscendet. Ecce tradidi terram in manus eius.* 3. *Et ait Judas Simeoni fratri suo:* „Utique, ait S. Augustinus Quaest. 2. in Jud. tri„bus ad tribum. Non enim adhuc vivebant illi filii „Jacob, qui dicti sunt Judas, et Simeon inter ce„teros fratres suos propriis nominibus adpellati, „sed dixit tribus Juda ad tribum Simeon." Deinde, qui modo Judas singulari nomine compellatus est; de eodem infra versu 8. dicitur: filii Juda, ut manifestum sit Judam hic non singularem personam fuisse, sed esse hoc positum pro tota tribu. *Adscende mecum in sortem meam, pugna contra Chananaeum, ut et ego pergam tecum in sortem tuam. Et abiit cum eo Simeon.* 4. *Adscenditque Judas, et tradidit Dominus Chananaeum, ac Pherezaeum in manus eorum, et percusserunt in Bezec decem millia virorum.* „Bezec, inquit, S. Hieronymus „de Locis Hebr. urbs regis Adonibezec, hodieque „duae villae sunt nomine Bezec vicinae sibi in se-

„ptimodecimo lapide a Neapoli descendentibus „Scythopolim." Neapolis eadem est, quae Sichem antiquiore nomine fuit compellata. Scythopolis eadem fuit, quae Bethsan: cuius denominationis originem ad Josue 17. v. 11. explicavi.

5. *Inveneruntque Adonibezec in Bezec, et pugnaverunt contra eum, et percusserunt Chananaeum, et Pherezaeum.* 6. *Fugit autem Adonibezec: quem persecuti comprehenderunt caesis summitatibus manuum eius, ac pedum.* Pro summitatibus in Hebraeo vocabulum est *Behonoth* quod pollices significat, ut hoc non tantum hic verterunt Arabs, et Syrus, verum etiam ad Exodi 29. versum 20. ipse etiam Latinus Interpres. Erat haec antiqua consvetudo, ut nonnumquam captis in bello pollices abscinderentur, ut tali mutilatione inepti ad arma capienda fierent. Apud Svetonium in Augusto cap. 24. et Valerium Max. l. 9. c. 2. exstant istius rei documenta. 7. *Dixitque Adonibezec: septvaginta reges amputatis manuum, ac pedum summitatibus colligebant sub mensa mea ciborum reliquias: sicut feci, ita reddidit mihi Deus. Adduxeruntque eum in Jerusalem, et ibi mortuus est.* 8. *Oppugnantes ergo filii Juda Jerusalem ceperunt eam, et percusserunt in ore gladii* os gladii metaphorice pro acie gladii positum est, *tradentes cunctam incendio civitatem.* Jam Josue cap. 10. narratum est, esse regem Jerusalem devictum ab Josua: urbemque ipsam esse etiam occupatam, intelligitur ex eiusdem Libri Josue capitis 15. v. 63.

ubi dicitur: „habitavit Jebusaeus cum filiis Juda in „Jerusalem usque in praesentem diem." Nimirum Jebusaei, tametsi urbem cepissent Israelitae, eamque incolere coepissent, arcem tamen adhuc tenuerunt, neque inde etiam nisi a Davide pulsi sunt, quod ibi ad illum Josue locum iam demonstratum est. Si autem iam sub Josua Israelitae urbem Jerusalem in suam potestatem redegerunt, quomodo hoc nunc hic narratur, quasi gestum esset post mortem Josua? Considerandum est hic iam superiore versu esse dictum, quod victum a se regem Adonibezec tribus Juda et Simeon, quae se ad bellandum consociaverant, adduxerint in Jerusalem; et post hoc dicitur: *oppugnantes ergo filii Juda Jerusalem ceperunt eam.* Profecto autem, quo captivum regem Adonibezec duxerunt; is locus iam intelligitur in illorum tum potestate fuisse. Quomodo igitur ista inter se cohaerent? Nimirum, istud de Jerusalem non est gestum nunc post mortem Josua, sed illo vivo, hicque reliquae tantum narrationi immiscetur a Scriptore istius libri non quoad tempus suo loco. Nam etiam, ut subsequitur, de Hebron, et Dabir civitatibus captis, et expugnatis hic instituit narrationem, de quibus captis iam etiam pridem ante adhuc ab Josua facta est narratio. Josue 10. v. 36. cap. 11. v. 21. cap. 14. v. 12. cap. 15. v. 13. ubi prorsus eodem, quo hic modo res illa de Calebo, occisisque ab eo his iisdem gigantibus, qui hic memorantur, deinde etiam hoc, quod de Othoniele narratur, fere ad verbum positum est.

Quamobrem Scriptor istius libri in illius principio sic instituit narrationem, ut dum orditur exponere, quae acciderunt post Josuam; quaedam una etiam repetat, quae facta iam sunt sub ipso.

9. *Et postea descendentes pugnaverunt contra Chananaeum, qui habitabat in montanis, et ad Meridiem, et in campestribus.* Pugnaturi contra Chananaeum habitantem in montanis dicuntur descendisse ab Jerusalem, sive quod ab una altitudine prius eos oportuerit descendere, ut ad alteram rursus adscenderent; hoc enim naturale est, ut inter montes intercedant valles; sive vero, ut Bonfrerius censet, verbum descendere est in latiore significatione adhibitum generatim pro itu. 10. *Pergensque Judas contra Chananaeum, qui habitabat in Hebron, cuius nomen fuit antiquitus Cariath Arbe, percussit Sesai, et Ahimam, et Tholmai.* 11. *Atque inde profectus abiit ad habitatores Dabir, cuius nomen vetus erat Cariath Sepher, id est civitas Literarum.* 12. *Dixitque Caleb: qui percusserit Cariath Sepher, et vastaverit eam, dabo ei Axam filiam meam uxorem.* 13. *Cumque cepisset eam Othoniel filius Cenez frater Caleb minor, dedit ei Axam filiam suam coniugem.* 14. *Quam pergentem in itinere monuit vir suus, ut peteret a patre suo agrum. Quae cum suspirasset sedens in asino, dixit ei Caleb: quid habes?* 15. *At illa respondit: da mihi benedictionem, quia terram arentem dedisti mihi; da et irriguam aquis. Dedit ergo ei Caleb irriguum superius, et irri-*

guum inferius. Tota haec res, ut iam superius dictum est, posita iam est in Libro Josue cap. 15. v. 14. ibique explicata est. 16. *Filii autem Cinaei cognati Moysi adscenderunt de civitate Palmarum cum filiis Juda in desertum sortis eius, quod est ad Meridiem Arad, et habitaverunt cum eo.* Cinaeus iste cognatus Moysis idem ille est, qui iam Raguel, iam Hobab alibi vocatur. Qua de re, et cur Cinaeus etiam sit vocatus, iam est demonstratum ad Exodi 2. v. 21. Civitas palmarum, eadem fuit quae Jericho, ut iam hoc demonstratum est ad Deut. 34. v. 3. Cum vero haec civitas sub Josue eversa sit, nec aedificata ante Achabi regis aetatem ut est 3. Reg. 16. v. 34. consequens est viciniam illius isto pristino ipsius nomine hic adpellari. De urbe Arad iam Numerorum 21. v. 1. mentio est facta.

17. *Abiit ergo Judas cum Simeone fratre suo, et percusserunt simul Chananaeum, qui habitabat in Sephaath, et interfecerunt eum, vocatumque est nomen urbis Horma, id est anathema.* Hoc nomen Horma iam Numerorum 21. v. 3. impositum est locis, quae e ditione regis Arad Israelitae ceperant. Sed Sephaat fueritne in ditione regis Arad ante, certum non est. Vel ergo eadem execratione usi nunc sunt isti erga hanc Sephaat; qua olim Israelitae erga civitates regis Arad; vel si Sephaat una ex ditione regis Arad civitas fuit, quae se interea temporis rursus collegerit, restauraveritque; nunc adversus eam, cum a filiis Juda et Simeon esset capta, es vastata; eadem rursus nomenclatio repe-

tita, atque renovata est. 18. *Cepitque Judas Gazam cum finibus suis, et Ascalonem, atque Accaron cum terminis suis.* Tres hae civitates etiam postea à Philisthaeis tenebantur, ut hoc ex Libris Regum intelligitur. Cum ergo hae duae tribus cum Philisthaeis praeliantes has illorum civitates ceperunt, non incolas deleverunt; sed tantum tributarias fecerunt: quod vero tributum illi postea non tantum excusserunt, sed in victos a se Israelitas etiam imperium, de quo in hoc ipso libro adhuc sequetur, exercuerunt.

19. *Fuitque Dominus cum Juda, et montana possedit, nec potuit delere habitatores vallis, quia falcatis curribus abundabant.* Si, ut dicitur, Dominus fuit cum illis, quomodo, ne in valle etiam habitantibus possent praevalere, currus falcati obsistere potuerunt? Illud, quod Latine positum est sic: *nec potuit delere habitatores vallis* est in Hebraeo: *At non ad possidendos habitatores vallis* (כִּי לֹא לְהוֹרִישׁ אֶת־יֹשְׁבֵי הָעֵמֶק) Quod non est, illos hoc facere non potuisse, sed tantum, quod non factum ab ipsis sit. Nec istud: *Fuitque Dominus cum Juda* ultra istud: *et montana possedit*, extendendum est: ita ut sensus sit: Dominum fuisse cum Juda ad montana occupanda, et possidenda. Ad illud autem quod sequitur: *nec potuit delere habitatores vallis*, hoc iam non pertinet: sed istius causa est, quod falcatis curribus abundaverint. Nimirum cum montana incolentes adgressi fuissent ex fiducia superandi illos, Deus illos adiuvit: e con-

trario autem cum ob falcatos currus metuissent adgredi eos, qui in vallibus habitabant, superare illos non potuerunt, utpote, quibus nec Deus propter defectum fiduciae erga eum vires ad superandum praeberet. 20. *Dederuntque Caleb Hebron sicut dixerat Moyses, qui delevit ex ea tres filios Enac.* Adhuc Josue Hebronem Calebo dedit. Josue 14. v. 13. Est igitur hic non aliud, quam commemoratio rei iam ante factae, uti hoc iam supra demonstratum est. 21. *Jebusaeum autem habitatorem Jerusalem non deleverunt filii Benjamin, habitavitque Jebusaeus cum filiis Benjamin in Jerusalem usque in praesentem diem:* Idem hoc de filiis Juda dictum est Josue 15. v. 63. quod hi etiam in Jerusalem Jebusaeum non deleverint, unaque cum ipsis ibi habitaverit. Nimirum Jerusalem erat in confiniis utriusque istius tribus, atque utraque haec tribus partem ex illa possedit. Quare et inter possessiones tribus Juda Josue 15. v. 8. et inter tribus quoque Benjamin civitates, quas ad possidendum acceperat, eadem haec Jerusalem collocatur. Josue 18. v. 28.

22. *Domus quoque Joseph adscendit in Bethel, fuitque Dominus cum eis.* 23. *Nam cum obsiderent urbem, quae prius Luza vocabatur,* 24. *viderunt hominem egredientem de civitate, dixeruntque ad eum: ostende nobis introitum civitatis, et faciemus tecum misericordiam.* 25. *Qui cum ostendisset eis, percusserunt urbem in ore gladii, hominem autem illum, et omnem cognationem eius*

dimiserunt. 26. *Qui dimissus abiit in terram Hetthim, et aedificavit ibi civitatem, vocavitque eam Luzam: quae ita adpellatur usque in praesentem diem.* Apud Ptolomaeum l. 5. c. 16. et 17. aliosque veteres Geographos memoratur Lusa, Elyssa, vel Lussa, de qua etiam Flavius l. 18. Ant. cap. 2. mentionem facit, civitas quae fuit in Arabia Petraea a Palaestina spectans ad Meridiem. Ista igitur omnium verisimillime fuit illa civitas, quam Hethaeus ille novam Luzam exstruxit.

27. *Manasses quoque non delevit Bethsan, et Thanac cum viculis suis, et habitatores Dor, et Jeblaam, et Mageddo cum viculis suis, coepitque Chananaeus habitare cum eis.* 28. *Postquam autem confortatus est Israel, fecit eos tributarios, et delere noluit.* 29. *Ephraim etiam non interfecit Chananaeum, qui habitabat in Gazer, sed habitavit cum eo.* 30. *Zabulon non delevit habitatores Cetron, et Naalol, sed habitavit Chananaeus in medio eius, factusque est ei tributarius.* 31. *Aser quoque non delevit habitatores Acho, et Sidonis, Ahalab, et Achazib, et Helba, et Aphec, et Rohob:* 32. *habitavitque in medio Chananaei habitatoris illius terrae, nec interfecit eum.* 33. *Nephthali quoque non delevit habitatores Bethsames, et Bethanath, et habitavit inter Chananaeum habitatorem terrae, fueruntque ei Bethsamitae, et Bethanitae tributarii.* 34. *Arctavitque Amorrhaeus filios Dan in monte, nec dedit eis locum, ut ad planiora descenderent:* 35. *habitavitque in*

monte Hares, quod interpretatur Testaceo hoc de interpretatione tantum ab Interprete Latino est positum, nam deest in Hebraeo: sed cum Septvaginta nominis proprii Hares loco substituissent vocabulum Graecum, sicque vertissent: ἐν τῷ ὄρει τῷ ὀςρακώδει, hos secutus praeter nomen proprium montis Hares, etiam interpretationem, cum Hares testam significet, posuit, montemque Hares significare montem testaceum: *in Ajalon, et Salebim. Et aggravata est manus domus Joseph, factusque est ei tributarius.* 36. *Fuit autem terminus Amorrhaei ab Adscensu Scorpionis Petra, et superiora loca.* Adscensus Scorpionis est nomen proprium loci, de quo iam est dictum Num. 34. v. 4. Petra itidem est nomen proprium urbis, quae in Arabia Petraea reliquas omnes istius regionis nobilitate superavit.

CAPVT II.

Angelus exprobrat Israelitis quod Chananaeos contra Dei mandatum in vita servaverint. Indoles Israelitarum sub iudicibus.

1. *ADSCENDITQVE Angelus Domini de Galgalis ad locum flentium* „Scriptor libri, ait S. Augustinus Quaest. 12. in Jud. hoc nomine adpella„vit locum, quia postea scripsit: nam quando An„gelus Domini super eum adscendit, nondum sic

„adpellabatur:“ *et ait: eduxi vos, de Aegypto, et introduxi in terram, pro qua iuravi patribus vestris, et pollicitus sum, ut non facerem irrisum pactum meum vobiscum in sempiternum, 2. ita dumtaxat, ut non feriretis foedus cum habitatoribus terrae huius, sed aras eorum subverteretis: et noluistis audire vocem meam. Cur hoc fecistis? 3. Quamobrem nolui delere eos a facie vestra, ut habeatis hostes, et dii eorum sint vobis in ruinam.* Non potest Deus velle, et intendere malum culpae: sed tamen in poenam praecedentium peccatorum nonnumquam permittit aliquos gravius ruere. „Ut intelligamus, inquit S. Augustinus Quaest. „13. in Jud. nonnulla etiam de ira Dei venire pec- „cata.“ Illi adversus Dei mandatum foedera inierunt cum Chananaeis, nec illorum deos et statuas, ut erat a Deo praeceptum, everterunt. Itaque Deus permisit, ut in hanc ipsam idololatriam impingerent, atque Chananaeis, quos contra Dei voluntatem inter se conservarunt, prosperitatem etiam adversus ipsos Israelitas concessit, ut sic suo ipsi facto plecterentur.

4. *Cumque loqueretur Angelus Domini haec verba ad omnes filios Israel; elevaverunt ipsi vocem suam, et fleverunt. 5. Et vocatum est nomen loci illius: Locus flentium, sive lacrimarum, immolaveruntque ibi hostias Domino.* Hebraeorum doctores censent hunc Angelum, quod vi sua nomen angeli etiam apud Hebraeos nuncium, et legatum significet, (*Malach* autem Hebraice angelus dici-

tur) non fuisse caelestem spiritum, sed Phineen summum sacerdotem, qui ista populo, ad quem Deus illum miserit, exposuerit. At hunc e caelo angelum fuisse declarat ratio loquendi haec: *Eduxi vos de Aegypto, et introduxi in terram, pro qua iuravi patribus vestris:* quemadmodum et ille angelus loquens ex ardente rubo ad Moysem, et qui in monte Sinai legem eidem dedit, (nam angelos fuisse, sed qui personam Dei sustinerent, atque ex Dei persona verba facerent, iam ad Exodi 3. v. 2. demonstratum est) taliter reperiuntur esse locuti, ut quasi Deus ipse per se sermonem faceret. Ex hac igitur similitudine loquendi, quemadmodum locuti illi sunt angeli, infertur hunc quoque e caelo missum fuisse angelum.

6. *Dimisit ergo Josue populum, et abierunt filii Israel unusquisque in possessionem suam, ut obtinerent eam.* 7. *Servieruntque Domino cunctis diebus eius, et seniorum, qui longo post eum vixerunt tempore, et noverant omnia opera Domini, quae fecerat cum Israel.* 8. *Mortuus est autem Josue filius Nun famulus Domini centum, et decem annorum.* 9. *Et sepelierunt eum in finibus possessionis suae in Thamnathsare in monte Ephraim a Septemtrionali plaga montis Gaas.* Hoc posset sic videri, quasi illud de angelo, quod modo paulo ante narratum est, acciderit ante obitum Josue, cuius mors nunc memoretur post narratam illam adparitionem angeli. At iam in principio statim totius libri, et primi capitis sic orsus est narrationem,

ut initium illius se capere ostenderet ab obitu Josue, quem ibi etiam memoravit. Itaque cum, ut superiore capite demonstratum est, quaedam iam ante etiam gesta narrationi suae admiscuisset; deinde hucusque generatim pleraque proposuisset, quod etiam ulterius adhuc ad finem istius capitis facit; hic iniecit mentionem etiam iterum mortis Josue, illiusque status, qui tum populi fuerit, quando ille mortuus est, et aliquamdiu postea; quod deinde rerum, quemadmodum sibi successerunt, ordinatam inchoaturus erat narrationem. „Hoc per „recapitulationem iterari, ait S. Augustinus Quaest. „14. in Jud. nulla dubitatio est. Nam et mors ipsius „Jesu Nave etiam in hoc libro commemoratur, ut „tanquam ab exordio cuncta breviter insinuaren-„tur, ex quo eis Dominus dedit terram, et quem-„admodum sub ipsis iudicibus vixerint, quaeve „perpessi sint, atque iterum reditur, ad ipsorum „iudicum ordinem ab eo, qui primus est consti-„tutus.“

10. *Omnisque illa generatio congregata est ad patres suos, et surrexerunt alii, qui non noverant Dominum, et opera, quae fecerat cum Israel.* 11. *Feceruntque filii Israel malum in conspectu Domini, et servierunt Baalim,* 12. *ac dimiserunt Dominum Deum patrum suorum, qui eduxerat eos de terra Aegypti, et secuti sunt deos alienos, deosque populorum, qui habitabant in circuitu eorum, et adoraverunt eos, et ad iracundiam concitaverunt Dominum* 13. *dimittentes eum, et ser-*

vientes Baal, et Astaroth. Baal significat dominum: quod proinde iam generatim idolis tribuitur, sicut enim Dei, ita quoque Domini nomen a vero Deo praepostere traductum est ad idola; iam determinate certo cuidam tributum erat idolo. Astaroth erat dea lucorum: unde Septvaginta pro ea lucos vertendo posuerunt 1. Reg. 7. v. 4. Creditur igitur sub isto nomine Luna, vel Juno esse culta.

14. *Iratusque Dominus contra Israel tradidit eos in manus diripientium, qui ceperunt eos, et vendiderunt hostibus, qui habitabant per gyrum, nec potuerunt resistere adversariis suis.* 15. *Sed quocunque pergere voluissent, manus Domini super eos erat, sicut locutus est, et iuravit eis, et vehementer afflicti sunt.* 16. *Suscitavitque Dominus iudices, qui liberarent eos de vastantium manibus: sed nec eos audire voluerunt* 17. *fornicantes cum diis alienis, et adorantes eos. Cito deseruerunt viam, per quam ingressi fuerant patres eorum, et audientes mandata Domini omnia fecere contraria.* 18. *Cumque Dominus iudices suscitaret, in diebus eorum flectebatur misericordia, et audiebat afflictorum gemitus, et liberabat eos de caede vastantium.* 19. *Postquam autem mortuus esset iudex, revertebantur, et multo faciebant peiora, quam fecerant patres eorum sequentes deos alienos, servientes eis, et adorantes illos. Non dimiserunt adinventiones suas, et viam durissimam, per quam ambulare consveverunt.* 20. *Iratusque est furor Domini in Israel, et ait: quia irritum fe-*

cit gens ista pactum meum, quod pepigeram cum patribus eorum, et vocem meam audire contempsit; 21. et ego non delebo gentes, quas dimisit Josue, et mortuus est: 22. ut in ipsis experiar Israel, utrum custodiant viam Domini, an non. Sensus est Deum adversarias Israelitis nationes etiam illis revertentibus per poenitentiam delere noluisse; ut quoniam ipsi defectione a cultu Dei foedus cum Deo de eo colendo violavissent; illorum deinde sinceritatem, et constantiam post reditum periclitaretur. Nam hoc non pertinere ad id tempus, cum actu alienati essent a Deo, et addicti idololatriae intelligitur ex eo, quod Deus hoc experiendi causa dicatur fecisse erga eos. Quod autem iam tum per se exhiberent, ad id nullo alio opus erat experimento. Quomodo vero istud de Deo sit intelligendum, quod periclitationem instituerit, cum hoc iam explicatum est ad Gen. 22. v. 1. ubi etiam Abrahamum Deus dicitur tentasse, tum etiam ad praesentem locum Quaest. 17. in Jud. sic explicat S. Augustinus: „Non ut sciret Deus, inquit, omnium „cognitor etiam futurorum; sed ut scirent ipsi, et „sua conscientia vel gloriarentur, vel convinceren„tur, utrum audirent mandata Domini." Nimirum talis probatio, et periclitatio, quam facit Deus, non pertinet eo, ut id, quod exploratur, declaretur Deo; sed illam sibi facere dicitur Deus, quam facit propter eos, quibus eam rem, quam explorat, vult innotescere. 23. *Dimisit ergo Dominus omnes nationes has, et cito subvertere noluit, nec tradi-*

dit in manus Josue. Nimirum ob hanc eandem causam, quod iam foedus cum Deo etiam ante saepius violavissent, ut cum vitulum aureum adoraverunt, et quando se idolo Beelphegor initiandos curaverunt; ne per Josuam quidem omnes in Chananaea nationes Deus delevit, sed aliquas periclitationis istius causa reliquit.

CAPVT III.

Israelitarum servitutes prima Chusano regi Mesopotamiae, ex qua liberati sunt per Othonielem; altera Egloni regi Moabitarum, unde eos Aod liberavit. Samgar tertius Israelitarum iudex.

1. *HAE sunt gentes, quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israelem, et omnes, qui non noverant bella Chananaeorum:* 2. *ut postea discerent filii eorum certare cum hostibus, et habere consvetudinem praeliandi:* haec nimirum altera etiam erat causa istius rei, sed illa praecipua, ut in istis nationibus experiretur Israelitas, de qua superiore capite dictum est, et quae iterum hic versu quarto repetitur: 3. *Quinque Satrapas Philisthinorum, omnemque Chananaeum, et Sidonium, atque Hevaeum, qui habitabat in monte Libano de monte Baal Hermon usque ad introitum Emath:* 4. *dimisitque eos, ut in ipsis experiretur Israelem, utrum audiret mandata Domini, quae praeceperat patribus eorum per manum Moysi, an non.* 5. *Itaque filii Israel habitaverunt in medio Chananaei, et Hethaei, et*

Pherezaei, et Hevaei, et Jebusaei, 6. *et duxerunt filias eorum, ipsique suas filiis eorum tradiderunt, et servierunt diis eorum.* 7. *Feceruntque malum in conspectu Domini, et obliti sunt Dei sui servientes Baalim, et Astaroth.* 8. *Iratusque contra Israel Dominus tradidit eos in manus Chusan Rasathaim regis Mesopotamiae, servieruntque ei octo annis.* 9. *Et clamaverunt ad Dominum: qui suscitavit eis salvatorem, et liberavit eos, Othoniel videlicet filium Cenez fratrem Caleb minorem.* 10. *Fuitque in eo Spiritus Domini, et iudicavit Israel. Egressusque est ad pugnam, et tradidit Dominus in manus eius Chusan Rasathaim regem Syriae, et oppressit eum.* 11. *Quievitque terra quadraginta annis, et mortuus est Othoniel filius Cenez.* Idem Chusan iam Mesopotamiae, iam Syriae dictus est. Fuit enim Syria pars Mesopotamiae. Isti vero anni quietis, quibus depulsa servitute, paceque restituta res Israeliticae pacatae erant, tam qui hic memorantur, quam etiam postea memorabuntur sub aliis iudicibus sic semper sumendi sunt; ut in iis comprehendantur non tantum anni praecedentis servitutis, verum etiam totum spatium, quod intercessit a morte anterioris iudicis usque ad obitum etiam illius, qui illi proxime anteriori successit. Itaque hi quadraginta anni ad obitum Othonielis non sunt numerandi ab eo tempore, quo factus est iudex, Israelitasque a servitute liberavit, sed a morte Josue. Id, quod sic demonstratur. Nam ab egressu Israelitarum ex Ae-

gypto usque ad coeptam aedificationem templi per Salomonem anni fluxerunt 480, ut est hoc distincte positum 3. Reg. 6. v. 1. Nec vero aliter, quam tali numeratione anni illi eousque prodeunt. Ex quo ergo infertur numerationem tali ratione esse instituendam. Totam hanc rationem, quod me ostendi in Praefatione ad hunc librum facturum iuxta suam seriem, et ut videri uno intuitu possit, proponam.

Ab egressu ex Aegypto usque ad ingressum in Chananaeam - -		anni 40
Othoniel iudicatum gessit	*Jud. Cap.* 3. v. 11. -	40
Aod - - - -	*Cap.* 3. v. 30. -	80
Samgar: huic nullum tempus tribuitur *Cap.* 3. v. 31. quod ergo propter brevitatem illius nec computatur. - -		—
Barac cum Debbora -	*Cap.* 5. v. 32. -	40
Gedeon - - -	*Cap.* 8. v. 28. -	40
Abimelech - - -	*Cap.* 9. v. 22. -	3
Thola - - -	*Cap.* 10. v. 2. -	23
Jair - - - -	*Cap.* 10. v. 3, -	22
Jephte - - -	*Cap.* 12. v. 7. -	6
Abesan - - -	*Cap.* 12. v. 9. -	7
Ahialon - - -	*Cap.* 12. v. 11. -	10
Abdon - - -	*Cap.* 12. v. 14. -	8
Samson - - -	*Cap.* 15. v. 20. -	20
Heli - - - -	1. *Reg.* 4. v. 18. -	40
Samuel: cuius anni sic sumuntur, ut ii comprehendantur in annis Saulis	*Actor.* 13. v. 21.	anni 40
David regnavit -	3. *Reg.* 2. v. 11. -	40
Salomon ad tempus usque aedificationis templi - -	3. *Reg.* 6. v. 1. - -	4
Qui anni summam efficiunt - -		463

ita ut desint anni adhuc 17. ut integra illa summa prodeat 480. Sed restat etiam adhuc illud spatium, quod ab eo tempore, quo Chananaeam coeperunt ingredi duce Josue, fluxit ad obitum usque Josue. Quoniam autem aliorum annorum ratio iam certa est; desint vero ad summam septemdecim anni; sequitur, ut isti ad illud omnino spatium conferantur, quo post obitum Moysis populo praefuit Josue. Ex quo illud quoque deducitur tanto spatio temporis extendi historiam, quam Josue scripsit in suo libro, ut hoc in Praefatione ad eumdem illum librum dictum est.

12. *Addiderunt autem filii Israel facere malum in conspectu Domini, qui confortavit adversum eos Eglon regem Moab, quia fecerunt malum in conspectu eius.* 13. *Et copulavit ei filios Ammon, et Amalec, abiitque, et percussit Israel, atque possedit urbem palmarum:* illam nimirum urbis palmarum regionem, et territorium. Urbs enim ipsa erat eversa. Quaenam urbs sit isto nomine intelligenda, dictum est supra ad Capitis 1. v. 16. 14. *Servieruntque filii Israel Eglon regi Moab decem et octo annis.* 15. *Et postea clamaverunt ad Dominum, qui suscitavit eis salvatorem vocabulo Aod filium Gera, filii Jemini, qui utraque manu pro dextera utebatur. Miseruntque filii Israel per illum munera Eglon regi Moab.* 16. *Qui fecit sibi gladium ancipitem habentem in medio capulum longitudinis palmae manus, et accinctus est eo subter sagum in dextro femore.* 17. *Obtulitque munera Eglon regi Moab. Erat autem Eglon cras-*

sus nimis. 18. *Cumque obtulisset ei munera, prosecutus est socios, qui cum eo venerant.* 19. *Et reversus de Galgalis, ubi erant idola, dixit ad regem: verbum secretum habeo ad te, o rex. Et ille imperavit silentium, egressisque omnibus, qui circa eum erant,* 20. *ingressus est Aod ad eum, sedebat autem in aestivo caenaculo solus, dixitque: verbum Dei habeo ad te.* „Potest non es-
„se mendacium, ait S. Augustinus Quaest. 20. in
„Jud. quandoquidem verbi nomine solet etiam fa-
„ctum adpellare Scriptura: et revera ita erat. Quod
„autem dixit *verbum Dei* intelligendum est hoc
„illi Deum, ut faceret, praecepisse, qui eum po-
„pulo suo excitaverat salvatorem, sicut illis tem-
„poribus talia fieri Divinitus oportebat." *Qui statim surrexit de throno,* 21. *Extenditque Aod sinistram manum, et tulit sicam de dextro femore suo, infixitque eam in ventre eius* 22. *tam valide, ut capulus sequeretur ferrum in vulnere, ac pingvissimo adipe stringeretur. Nec eduxit gladium, sed ita, ut percusserat, reliquit in corpore, statimque per secreta naturae alvi stercora proruperunt.*

23. *Aod autem clausis diligentissime ostiis caenaculi, et obfirmatis sera* 24. *per posticum egressus est* Hebraice *per vestibulum* (הַמִּסְדְּרוֹנָה) *servique regis ingressi viderunt clausas fores caenaculi, atque dixerunt: forsitan purgat alvum in aestivo cubiculo.* 25. *Exspectantesque diu, donec erubescerent* Hebraice *usque ad bosch* (עַד־בּוֹשׁ) *Bosch* autem Hebraicum vocabulum iam pudorem, iam fru-

strationem etiam significat: quamobrem sensus etiam iste esse potest, isque magis connexus cum re, quae narratur: exspectasse servos, donec adverterent frustra se exspectare, dum nemo illis intus fores recluderet: *et videntes, quod nullus aperiret, tulerunt clavem, et aperientes invenerunt dominum suum in terra iacentem mortuum.* 26. *Aod autem, dum illi turbarentur*, Hebraice *donec morati sunt* (עַד הִתְמַהְמְהָם) *effugit, et pertransiit locum idolorum, unde reversus fuerat. Venitque in Seirath*: nomen civitatis est, cuius tamen situs non satis notus est: in tribu Ephraim fuisse, res subsequens declarat: 27. *Et statim insonuit buccina in monte Ephraim, descenderuntque cum eo filii Israel ipso in fronte gradiente.* 28. *Qui dixit ad eos: sequimini me. Tradidit enim Dominus inimicos nostros Moabitas in manus nostras. Descenderuntque post eum, et occupaverunt vada Jordanis, quae transmittunt in Moab, et non dimiserunt transire quemquam.* 29. *Sed percusserunt Moabitas in tempore illo circiter decem millia, omnes robustos, et fortes viros: nullus eorum evadere potuit.* 30. *Humiliatusque est Moab in die illo sub manu Israel, et quievit terra octoginta annis.* 31. *Post hunc fuit Samgar filius Anath, qui percussit de Philisthiim sexcentos viros vomere* Hebraice: *stimulo bovis* (בְּמַלְמַד הַבָּקָר) *et ipse quoque defendit Israel.*

CAPVT IV.

Israelitae rursus viginti annis serviunt Jabin regi Chanaan: ex ea per Barac et Debboram liberantur victo Sisara regis Jabin duce.

1. ADDIDERVNTQVE *filii Israel facere malum in conspectu Domini post mortem Aod.* Hinc perspici potest Samgar tam exiguo tempore iudicatum gessisse, ut illius tempus ne quidem computaretur. Nam si notabile fuisset, non id, quod nunc sequitur, poneretur factum esse post mortem Aod, sed potius post mortem Samgar, nisi alterutrum commemorare idem esset, quorum tempus, quando iudicatum finiverunt, nullo fere tempore distiterit. 2. *Et tradidit illos Dominus in manus Jabin regis Chanaan, qui regnavit in Asor, habuitque ducem exercitus sui nomine Sisaram: ipse autem habitabat in Hasoreth gentium.* Jabin rex Asor est victus et occisus a Josue: Josue 11. v. 1. quod quomodo concilietur, ibi ad illum locum explicatum est. 3. *Clamaveruntque filii Israel ad Dominum. Nongentos enim habebat falcatos currus, et per viginti annos vehementer oppresserat eos.* 4. *Erat autem Debbora prophetis uxor Lapidoth, quae iudicabat populum in illo tempore.* 5. *Et sedebat sub palma, quae nomine illius vocabatur inter Rama, et Bethel in monte Ephraim, ad-*

scendebantque ad eam filii Israel in omne iudicium. 6. Quae misit, et vocavit Barac filium Abinoem de Cedes Nephthali, dixitque ad eum: praecepit tibi Dominus Deus Israel; vade, et duc exercitum in montem Thabor, tollesque tecum decem millia pugnatorum de filiis Nephthali, et de filiis Zabulon. 7. Ego autem adducam ad te in loco torrentis Cison Sisaram principem exercitus Jabin verbis Dei hoc ad illum dixit, *et currus eius, atque omnem multitudinem, et tradam eos in manu tua. 8. Dixitque ad eam Barac: si venis mecum, vadam; si nolueris venire mecum, non pergam. 9. Quae dixit ad eum: ibo quidem tecum: sed in hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Sisara. Surrexit itaque Debbora, et perrexit cum Barac in Cedes.* Septvaginta ad id, quod Barac respondit Debborae, additum habent istud: *Quia non novi diem, in qua diriget Dominus angelum suum mecum.* Atque ita legerunt S. Ambrosius l. de Viduis, et S. Augustinus Quaest. 26. in Jud. Caret vero hoc additamento non tantum Hebraeus Codex, sed Paraphrastes etiam Chaldaeus, et versio tam Arabica, quam Syriaca. Quare hoc ab ipsis Septvaginta tantum per modum paraphraseos est additum, quod et alibi nonnumquam faciunt, explicandi causa, quo animo Barac recusaverit solus sine Debbora ad hanc expeditionem bellicam ire: non quasi refractarius esse Deo voluisset, sed studio secum ducendi Debboram, cuius consiliis, atque ductu regeretur.

10. *Qui accitis Zabulon, et Nephthali adscendit cum decem millibus pugnatorum habens Debboram in comitatu suo.* 11. *Haber autem Cinaeus recesserat quondam a ceteris Cinaeis fratribus suis filiis Hobab cognati Moysi, et tetenderat tabernacula usque ad vallem, quae vocatur Sennim, et erat iuxta Cedes.* 12. *Nunciatumque est Sisarae, quod adscendisset Barac filius Abinoem in montem Thabor.* 13. *Et congregavit nongentos falcatos currus, et omnem exercitum de Haseroth gentium ad torrentem Cison.* 14. *Dixitque Debbora ad Barac: surge, haec est enim dies, in qua tradidit Dominus Sisaram in manus tuas. En ipse est ductor tuus. Descendit itaque Barac de monte Thabor, et decem millia pugnatorum cum eo.* 15. *Perterruitque Dominus Sisaram, et omnes currus eius, universamque multitudinem in ore gladii ad conspectum Barac, in tantum, ut Sisara de curru desiliens pedibus fugeret.* 16. *Et Barac persequeretur fugientes currus, et exercitum usque ad Haseroth gentium, et omnis hostium multitudo usque ad internecionem caderet.* 17. *Sisara autem fugiens pervenit ad tentorium Jahel uxoris Haber Cinaei. Erat enim pax inter Jabin regem Azor, et domum Haber Cinaei.* 18. *Egressa igitur Jahel in occursum Sisarae dixit ad eum: intra ad me domine mi, intra, ne timeas. Qui ingressus tabernaculum eius, et opertus ab ea pallio* 19. *dixit ad eam: da mihi obsecro paululum aquae, quia sitio valde. Quae aperuit utrem lactis, et dedit ei*

libere, et operuit illum. 20. *Dixitque Sisara ad eam: sta ad ostium tabernaculi, et cum venerit aliquis interrogans te, et dicens: numquid hic est aliquis? respondebis: nullus est.* 21. *Tulit itaque Jahel uxor Haber clavum tabernaculi assumens pariter et malleum, et ingressa abscondite, et cum silentio posuit supra tempus capitis eius clavum, percussumque malleo defixit in cerebrum usque ad terram. Qui soporem morti consocians defecit, et mortuus est.* 22. *Et ecce Barac sequens Sisaram veniebat, egressaque Jahel in occursum eius dixit ei: veni, et ostendam tibi virum, quem quaeris. Qui cum intrasset ad eam, vidit Sisaram iacentem mortuum, et clavum infixum in tempore eius.* 23. *Humiliavit ergo Deus in die illo Jabin regem Chanaan coram filiis Israel.* 24. *Qui crescebant quotidie, et forti manu opprimebant Jabin regem Chanaan, donec delerent eum.*

CAPVT V.

Canticum Barac, et Debborae ob relatam de Sisara victoriam.

1. *CECINERVNTQVE Debbora, et Barac filius Abinoem in illo die dicentes.* 2. *Qui sponte obtulistis de Israel animas vestras ad periculum, benedicite Domino.* 3. *Audite reges: auribus percipite principes* reges invitat ad audien-

dum, ut discant timere Dei potentiam. *Ego sum, ego sum, quae Domino canam, psallam Domino Deo Israel.* 4. *Domine, cum exires de Seir, et transires per regiones Edom, terra mota est, caelique, ac nubes distillaverunt aquis:* 5. *montes fluxerunt a facie Domini, et Sinai a facie Domini Dei Israel.* Iter commemorat, quod olim Israelitae fecerunt Dei ductu per desertum, in specieque montem Seir memorat, qua iter illud factum est, et montem Sinai, qui lege ibi data nobilitatus est maxime. Ad incessum autem Dei terram esse motam, caelum, atque nubes diffluxisse aquis: quod pertinet ad explicandam Dei potentiam: cuius metu omnia contremuerint, illoque tremore nubes in aquas solutae sint. Tali modo etiam alibi vis Divinae potentiae describi solet: ut Psal. 45. v. 4. „Conturbati sunt montes in fortitudine eius. - - - „dedit vocem suam, mota est terra.“ item Psal. 96. v. 5. Habacuc. 3. v. 6.

6. *In diebus Samgar filii Anath, in diebus Jahel quieverunt semitae, et qui ingrediebantur per eas, ambulaverunt per calles devios:* nimirum, quod tum propter metum, et incursiones hostium non essent tuta itinera. 7. *Cesserunt fortes* Hebraice *pagi* (פְּרָזוֹן) *in Israel, et quieverunt, donec surgeret Debbora, surgeret mater in Israel.* Ob eamdem videlicet causam pagi, et villae cessaverunt, quod paterent praedae hostium, hominesque se ex agris in urbes cogerentur recipere, ut tutiores intra urbium moenia essent. 8. *Nova bella elegit Domi-*

nus, et portas hostium ipse subvertit. Hebraice: *novos deos* (אֱלֹהִים חֲדָשִׁים) *elegit: tunc bellum portis* (אָז לָחֶם שְׁעָרִים) Israel autem sibi novos deos delegit, et hinc belli causa exstitit, curque subderentur hostibus. *Clypeus et hasta si adparuerint in quadraginta millibus Israel. Si* iuxta indolem lingvae Hebraeae negationem in oratione facit, ut Psal. 88. v. 36. „Juravi in sancto meo, si David mentiar" rursus Psal. 94. v. 11. „Juravi in „ira mea, si introibunt in requiem meam." Arma autem: clypeus, et hasta posita sunt pro ipsis armatis, et exercitu, quem tum Israelitae nullum habuerint. Nam decem millia pugnatorum tantum tunc Barac sibi collegerat. Significat ergo sic fuisse enervatos, ut quem hosti exercitum possent opponere, nullum habuerint. Numerus autem determinatus quadraginta, vel est positus pro toto Israele; vel vero, pressius rem accipiendo, voluit Debbora dicere sic Israelitas fuisse debilitatos, et imminutos, ut ne quadraginta quidem millium exercitum educere potuerint, cum tamen alias multo numerosiorem haberent exercitum.

9. *Cor meum diligit principes Israel* Hebraice: *Cor meum ad legislatores* (לְחוֹקְקֵי) *Israel*, hoc est quorum officium esset ius dicere populo, cuius autem rei hoc dicat, et quid ab illis velit, subsequitur, nimirum, ut hanc celebrent victoriam: *qui propria voluntate obtulistis vos discrimini, benedicite Domino*, per interiectionem, et parenthesim repetitur, quod iam praecessit versu secun-

do, 10. *qui adscenditis super nitentes asinos, et sedetis in iudicio, et ambulatis in via, loquimini:* 11. *ubi collisi sunt currus, et hostium suffocatus exercitus.* Qui prius dicti sunt principes, et legislatores, hoc est magistratus, nunc iidem describuntur periphrastice. Nam asinorum, et mulorum usus erant in Palaestina, et his vehebantur viri primarii, ut de Davide, eiusque filiis est 2. Reg. 13. v. 29. Cap. 18. v. 9. 3. Reg. 1. v. 33. *Qui ambulatis in via* nectitur cum isto: *qui adscenditis super nitentes asinos*, et qui sic deinde irent per viam vecti nimirum nitentibus asinis, non more humiliorum pedibus euntes, estque rursus istud: *qui sedetis in iudicio* interiectum. Nec mirum videri debet fieri hic tales interiectiones. Est enim numeris poeticis adstricta haec oratio. Transpositiones vero tales saepius faciunt ii, qui carmine scribunt propter conformationem quantitatum, et pedum. *Ibi narrentur iustitiae Domini*, quam is scilicet exercuit in hostes; *et clementia in fortes Israel:* Pro fortibus hic rursus, ut supra est vocabulum, quod pagum, villam, et generatim locum significat apertum et sine praesidio alicuius muri. De his vero antecessit, metu illos hostium ab incolis esse derelictos. In hos igitur Deus clementiam exhibuit, quando hostes profligavit. *Tunc descendit populus Domini ad portas, et obtinuit principatum.* In portis solebant urbium iudicia, et publici conventus haberi. Hanc ergo auctoritatem rediisse nunc illis post hanc victoriam praedicat.

12. *Surge, surge Debbora, surge, surge, et loquere canticum. Surge Barac, et adprehende captivos tuos, fili Abinoem:* instar praedae videlicet ex superato hoste. 13. *Salvatae sunt reliquiae populi.* Hebraice: *Tunc dominabitur*, est autem in praeterito hoc verbum sumendum: tunc dominatus est *residuus magnificis populi* (אָז יְרַד שָׂרִיד לְאַדִּירִים עָם) nimirum, quando hostem vicit, captivosque Barac adprehendit, tum residui ex populo Israelitico a caede et vastatione, quam hostis afferebat, dominati sunt, dominarique coeperunt hostili populo, qui se elate antea et superbe gesserat: *Dominus in fortibus dimicavit.* Eosdem, quos residuos prius, nunc fortes nominat, per quos videlicet patrata est victoria. Pro *dimicavit* est hic repetitio verbi in Hebraeo: *dominabitur:* sive, ut iam dictum est, quod peraeque sicut prius sumi debet in praeterito: dominatus est. 14. *Ex Ephraim delevit eos in Amalec:* Pro *delevit eos* in Hebraeo est: *radix eorum* (שָׁרְשָׁם) Vult dicere initium istius victoriae esse factum ab Ephraimitis. Inde enim ipsa etiam erat Debbora: cumque illa ex monte Ephraim, ubi domicilium habebat, processerit cum Barac ad hoc bellum, quamvis deinde superiore capite tantum tribus Zabulon, et Naphthali memorentur a Barac evocatae esse ad gerendum bellum; tamen et per se verisimile est sibi primam manum statim ex Ephraimitis contribulibus suis effecisse, idque tanto magis, quod, ut sequetur, ab aliis tribubus idem quoque hoc factum sit, seque adsociaverint;

et

et hinc idem etiam hoc inferendum est, cum radicis nomine in istius belli negotio Ephraim adpelletur, et laudetur. Cur vero dicit: *in Amalec*, cum bellum hoc cum Chananaeis sit gestum? Fortasse, uti ante cum Moabitis capitis 3. v. 13. sic nunc quoque cum Chananaeis Amalecitae erant coniuncti, et confoederati: aut Amalec, qui primi Israelitis, postquam egressi sunt ex Aegypto, bellum intulerunt, per antonomasiam posuit pro isto alio infesto Israelitis hoste: *Et post eum ex Benjamin in populos tuos o Amalec:* Hebraice: *Post te Benjamin in populis tuis.* (אַחֲרֶיךָ בִנְיָמִין בַּעֲמָמֶיךָ) Est ergo sensus: Post te Ephraim in tuis populis, hoc est in exercitu, qui contra hostem processit, fuit Benjamin: *de Machir principes descenderunt, et de Zabulon, qui exercitum ducerent ad bellandum.* Machir positus est pro tribu Manasse. Manassis enim erat filius Gen. 50. v. 22.

15. *Duces Issachar fuere cum Debbora, et Barac vestigia sunt secuti: qui quasi in praeceps, ac barathrum se discrimini dedit:* Barac videlicet: *diviso contra se Ruben magnanimorum reperta est contentio* Hebraice: *Magni decretis animi,* (גְּדֹלִים חִקְקֵי־לֵב) hoc est: isti decreverunt magnum animum gerere. Per ironiam vero hoc de illis dictum est, quibus, ut statim sequetur ignavia obiicitur, quod aliis manus cum hoste conserentibus ipsi inter caulas suorum pecorum haeserint. 16. *Quare habitas inter duos terminos*, hoc est in confiniis, nam trans Jordanem erat sita tribus Ruben,

cumque in ora esset Israeliticae regionis, simul vicinae etiam nationis fines tangebat, *ut audias sibilos gregum? Diviso contra se Ruben magnanimorum reperta est contentio.* Erat tribus Ruben rei pecuariae dedita Num. 32. v. 1. Quod ergo suis tantum gregibus intenti non una cum aliis ad hoc bellum concurrissent, ipsis exprobratur. 17. *Galaad trans Jordanem quiescebat, et Dan vacabat navibus: Aser habitabat in littore maris, et in portubus morabatur.* Galaad nomine tota regio trans Jordanem veniebat, ubi praeter tribum Ruben, de qua iam nominatim mentio est facta insuper tribus Gad, et media Manasse habitabat.

18. *Zabulon vero, et Nephthali obtulerunt animas suas morti in regione Merome.* Hoc Merome in Hebraeo non est nomen proprium, sed tantum adpellativum, significatque locum editum: (עַל מְרוֹמֵי שָׂדֶה) *super editum locum agri.* Mons autem Thabor intelligitur, ubi commissum fuit praelium. 19. *Venerunt reges, et pugnaverunt, pugnaverunt reges Chanaan in Thanach iuxta aquas Mageddo, et tamen nihil tulere praedantes.* Reges Chanaan, sive per commutationem figurata loquendi ratione ponuntur, si unus tantum fuit Jabin rex Chananaeorum; sive quod alios sibi etiam in bello confoederatos habuerit, ut hoc iam ad versum 14. supra de Amalecitis notatum est. Thanach, et Mageddo sunt nomina urbium, non longe a torrente Cison. 20. *De caelo dimicatum est contra eos: stellae manentes in ordine, et cursu suo adversus*

Sisaram pugnaverunt. Vario se modo torquent Interpretes, ut aliquo modo hic explicent, quomodo stellae pugnaverint contra hostes. Itaque eo nomine alii angelos, alii militum aciem isto angelorum nomine putant esse intelligendam. Planissima autem, et facillima est explicatio esse cogitandum pugnam illam duravisse, atque hostium in ea caedem, dum fugientes persequerentur per partem aliquam noctis: qua in re stellae eadem nocte clare lucentes adiuverint Israelitas, qui sine illa stellarum luce tamdiu insistere hostibus non potuissent. Pro eo, quod in Latina Versione habemus: *stellae manentes in ordine, et cursu suo* est in Hebraeo: *stellae de viis suis* (הַכּוֹכָבִים מִמְּסִלּוֹתָם) hoc est ex illo, quem in caelo tenent, cursu, pugnarunt contra Sisaram.

21. *Torrens Cison traxit cadavera eorum, torrens Cadumim, torrens Cison.* Hebraicum *Cadumim* significat praeceps aliquid, quodque sua celeritate aliud antecurrit: Itaque hoc veluti epitheto torrens ipse Cison adpellatus est propter suam rapiditatem. *Conculca* Hebraice *conculcasti* (תִּדְרְכִי) *anima mea robustos.* 22. *Ungulae equorum ceciderunt* Hebraice: *contusae sunt* (הָלְמוּ) *fugientibus impetu, et per praeceps ruentibus fortissimis hostium.* 23. *Maledicite terrae Meroz, dixit angelus Domini, maledicite habitatoribus eius, quia non venerunt ad auxilium Domini, in adiutorium fortissimorum eius.* Meroz, quis, et ubi in Israelitica regione situs fuerit locus, nesci-

tur. Sed fuisse eum locum, qui maxime potuerit cum reliquo exercitu concurrere adversus hostem, inde intelligi potest; quod quamvis etiam aliis ignaviam exprobraverit; nemini tamen alteri, praeterquam huic loco maledictionem imprecetur. Per angelum Domini, vel proprie Angelus e caelo intelligendus venit, cuius ductu Debbora crediderit reportatam esse illam victoriam; vel quoniam, ut supra demonstratum est, angelus legatum significat; Barac vero a Deo missus est ad bellum hoc gerendum; etiam Barac isto angeli Domini nomine potest designari. Atque ita hoc sumpsit Chaldaeus Paraphrastes, dum istud sic vertit: *dixit Barac propheta Domini.*

24. *Benedicta inter mulieres Jahel, uxor Haber Cinaei, et benedicatur in tabernaculo suo.* 25. *Aquam petenti lac dedit, et in phiala principum obtulit butyrum.* Phialam principum adpellat eam, quae elegantior, digniorque fuerit phiala, et conveniens Sisarae principi exercitus. 26. *Sinistram manum misit ad clavum, et dexteram ad fabrorum malleos, percussitque Sisaram quaerens in capite vulneri locum, et tempus valide perforans.* 27. *Inter pedes eius ruit; defecit, et mortuus est. Volvebatur ante pedes eius, et iacebat exanimis, et miserabilis.* 28. *Per fenestram respiciens ululabat mater eius, et de caenaculo loquebatur: cur moratur regredi currus eius? quare tardaverunt pedes quadrigarum illius?* 29. *Una sapientior ceteris uxoribus eius haec socrui verba respondit:*

30. *forsitan nunc dividit spolia, et pulcherrima
feminarum eligitur ei: vestes diversorum colorum
Sisarae traduntur in praedam, et supellex varia
ad ornanda colla congeritur.* In Hebraeo loco unius
de uxoribus Sisarae, quae haec solando socrum pro-
nunciaverit, est: *Sapientes feminarum principum
eius responderunt illi* (חַכְמוֹת שָׂרוֹתֶיהָ תַּעֲנֶינָּה) 31.
*Sic pereant inimici tui Domine: qui autem diligunt
te, sicut sol in ortu suo splendet, ita rutilent.*
32. *Quievitque terra per quadraginta annos.*

CAPVT VI.

Incidunt Israelitae rursus in servitutem Madianitarum, et liberantur per Gedeonem.

1. *FECERVNT autem filii Israel malum in con-
spectu Domini, qui tradidit illos in manu Madian
septem annis.* 2. *Et oppressi sunt valde ab eis,
feceruntque sibi antra, et speluncas in montibus,
et munitissima ad repugnandum loca.* In hoc alte-
ro versu in Hebraeo, quod nomen praecessit: *filii
Israel*, diserte iterum repetitur, ut clarum sit, an-
tra, et speluncas istos sibi fecisse, non hostes. Pro
eo quod Latinus vertit: *munitissima ad repugnan-
dum loca* est in Hebraeo unum tantum vocabulum
Hammetzadoth, quod generatim munitiones signi-
ficat. 3. *Cumque sevisset Israel, adscendebat Ma-
dian, et Amalec, ceterique Orientalium nationum*,

4. *et apud eos figentes tentoria sicut erant in herbis cuncta, vastabant usque ad introitum Gazae:* Loco huius: *sicut erant in herbis cuncta* est: *proventum terrae* (יְבוּל הָאָרֶץ) quem vastaverint: ut non intelligere necesse sit immaturam segetem in agris vastavisse, alioquin nec ipsi fructum percepissent. *Nihil omnino ad vitam pertinens relinquebant in Israel: non oves, non boves, non asinos.* Gaza una in Philisthaeorum regione erat civitas prope mare Mediterraneum. Ab ortu igitur Occidentem versus hostes progrediebantur, quando vastabant regionem.

5. *Ipsi enim, et universi greges eorum veniebant cum tabernaculis suis, et instar locustarum universa complebant, innumera multitudo hominum, et camelorum, quidquid tetigerant devastantes.* 6. *Humiliatusque est Israel valde in conspectu Madian.* 7. *Et clamavit ad Dominum postulans auxilium contra Madianitas.* 8. *Qui misit ad eos virum prophetam, et locutus est: haec dicit Dominus Deus Israel: ego vos feci conscendere de Aegypto, et eduxi vos de domo servitutis,* 9. *et liberavi de manu Aegyptiorum, et omnium inimicorum, qui affligebant vos, eiecique eos ad introitum vestrum, et tradidi vobis terram eorum.* 10. *Et dixi, ego Dominus Deus vester, ne timeatis deos Amorrhaeorum, in quorum terra habitatis.* Timere, et praesertim tali metu, qui procedat ex reverentia, et amore; est pars cultus religiosi erga Deum. Unde hoc ne timerent deos Amor-

rhaeorum, aequivalet huic: ne aliquem illis cultum exhiberent. *Et noluistis audire vocem meam.*

11. *Venit autem angelus Domini, et sedit sub quercu, quae erat in Ephra, et pertinebat ad Joas patrem familiae Ezri.* Ephra erat locus in ea tribus Manasse parte, quae in citeriore parte Jordanis habitabat. *Cumque Gedeon filius eius excuteret, atque purgaret frumenta in torculari, ut fugeret Madian,* 12. *adparuit ei Angelus Domini.* Pro torculari est in Hebraeo vocabulum *Jekeb*, quod Hebraeis non tantum instrumentum, quo uvae exprimuntur, sed ipsam etiam cellam significat, ubi torcular staret, ut hoc ex Aggaei 2. v. 17. pluribusque aliis locis deducitur. *Et ait: Dominus tecum virorum fortissime.* 13. *Dixitque ei Gedeon: obsecro, mi domine, si Dominus nobiscum est, cur adprehenderunt nos haec omnia? ubi sunt mirabilia eius, quae narraverunt patres nostri, atque dixerunt: de Aegypto eduxit nos Dominus? Nunc autem dereliquit nos Dominus, et tradidit in manu Madian.* 14. *Respexitque ad eum Dominus, et ait: vade in hac fortitudine tua, et liberabis Israel de manu Madian: scito, quod miserim te.* Angelus is erat, qui Gedeoni adparuit, et tamen idem adpellatur Dominus (in Hebraeo tetragrammaton est nomen *Jehova*) qui ad illum respexit, et nunc verba ad eundem fecit. Itaque iste etsi angelus erat, tamen sic erat a Deo missus, ut Dei personam sibi impositam haberet, in illiusque proinde persona loqueretur. Qua de re ad Exodi 3.

v. 2. et alibi iam saepius est dictum. Cum vero illum respexisset, tum ad eum dixit fore, ut in hac fortitudine sua liberaret Israelem de manu Madian, nimirum, quam fortitudinem respiciendo illum illi dedit. Vultus enim conversio ad aliquem, favoris erga eum indicium est.

15. *Qui respondens ait: obsecro mi Domine, in quo liberabo Israel? Ecce familia mea infima est in Manasse, et ego minimus in domo patris mei.* 16. *Dixitque ei Dominus: ego ero tecum, et percuties Madian quasi unum virum.* 17. *Et ille: si inveni, inquit, gratiam coram te, da mihi signum, quod tu sis, qui loqueris ad me.* Nondum cogitabat esse angelnm hunc, cum quo loquebatur. Nam infra deinde adhuc exterritus est, cum hoc animadvertisset. Credebat igitur esse virum aliquem prophetam, et num talis esset, experimentum habere volebat. *Quod tu sis*, in Hebraeo est *Schaattah* (שָׁאַתָּה) quod etiam: *quis tu sis*, verti potest, sicque planior prodit sensus. 18. *Non recedas hinc, donec revertar ad te portans sacrificium* Hebraice *Mincha*, quod generatim munus aliquod significat, quo nomine etiam illa munera adpellantur, quae Jacob misit Esau fratri suo Gen. 32. v. 13. et quae Josepho misit Jacob pater Gen. 43. v. 11. imo quae etiam Eglon regi Moabitarum detulit Aod: supra cap. 3. v. 15. *et offerens tibi. Qui respondit: ego praestolabor adventum tuum.* 19. *Ingressus est itaque Gedeon, et coxit hoedum, et de farinae modio:* Ephae nomen est pro modio

in Hebraeo, quod decem gomor continebat, cuius quantitatem explicavi ad Exodi 16. v. 16. nostras nimirum duas medias, et aliquid supra efficiebat, *azymos panes: carnesque ponens in canistro, et ius carnium mittens in ollam tulit omnia sub quercu, et obtulit ei.* Tanquam videlicet homini, qualem illum habebat, cibos ei offerebat. 20. *Cui dixit angelus Domini: tolle carnes, et azymos panes, et pone super petram illam, et ius desuper funde. Cumque fecisset ita,* 21. *extendit Angelus Domini summitatem virgae, quam tenebat in manu, et tetigit carnes, et azymos panes, adscenditque ignis de petra, et carnes, azymosque panes consumpsit. Angelus autem Domini evanuit ex oculis eius.* 22. *Vidensque Gedeon, quod esset Angelus Domini, ait: heu mi, Domine Deus! quia vidi Angelum Domini facie ad faciem.* 23. *Dixitque ei Dominus: pax tecum, ne timeas: non morieris.* Erat apud Israelitas vulgaris illa persvasio, quod infra cap. 13. v. 22. exemplum quoque Manue, qui Samsonis fuit pater, confirmat, si angelum viderent, se se statim morituros. Qua de re iam etiam ad Genes. 32. v. 30. dictum est. Cum autem hoc modo responsum, quando in metu erat, quod angelum viderit, datum Gedeoni sit, postquam iam angelus disparuerat; consequens est illum rursus adparuisse, rursusque disparuisse.

24. *Aedificavit ergo ibi Gedeon altare Domino, vocavitque illud: Domini pax usque in praesentem diem. Cumque adhuc esset in Ephra, quae*

est familia Ezri, 25. *Nocte illa dixit Dominus ad eum:* Hoc, quod trahitur ad hanc partem ab Interprete Latino, spectat ad anteriorem: Gedeon aedificavit altare, *vocavitque illud Domini pax usque in praesentem diem in Ephra, quae est familia Ezri.* Sic enim est in Hebraeo, atque ita verterunt Chaldaeus, Arabs, Syrus. Ac deinde sequitur: *Nocte illa dixit Dominus ad eum: tolle taurum patris tui, et alterum taurum annorum septem, destruesque aram Baal, quae est patris tui, et nemus, quod circa aram est, succides*, 26. *et aedificabis altare Domino Deo tuo in summitate petrae huius, super quam ante sacrificium posuisti:* Loco huius: *super quam ante sacrificium posuisti*, est in Hebraeo: *Bammaaracha* (בַּמַּעֲרָכָה) Quae Hebraea vox significat id, quod ordinatum, beneque dispositum est: itaque eo nomine intelligitur in vertice illius petrae, ubi prius ara Baal steterat, pars ea, quae planior esset, ut ibi Deo altare exstrueret, et sacrificaret. *Tollesque taurum secundum, et offeres holocaustum super struem lignorum, quae de nemore succideris.* De tauro illo priore, quid facere debuerit, non exponitur. Fortasse ergo subducere tantum illum debuit patri suo, quem ille destinatum habuerit ad Baali immolandum.

27. *Assumptis ergo Gedeon decem viris de servis suis, fecit, sicut praeceperat ei Dominus. Timens autem domum patris sui, et homines illius civitatis per diem id noluit facere, sed omnia no-*

cte complevit. 28. *Cumque surrexissent viri oppidi eius mane, viderunt destructam aram Baal, lucumque succisum, et taurum alterum impositum super altare, quod tunc aedificatum erat.* 29. *Dixeruntque ad invicem: quis hoc fecit? Cumque perquirerent auctorem facti, dictum est: Gedeon filius Joas fecit haec omnia.* 30. *Et dixerunt ad Joas: produc filium tuum huc, ut moriatur, quia destruxit aram Baal, et succidit nemus.* 31. *Quibus ille respondit: numquid ultores estis Baal, ut pugnetis pro eo? Qui adversarius est ejus* Hebraice: *qui contenderit* (causam egerit) *pro eo* (אֲשֶׁר יָרִיב לוֹ) *moriatur, antequam lux crastina veniat. Si Deus est, vindicet se de eo, qui suffodit aram eius.* Nempe illorum postulationem elusit Gedeonis pater: esse supplicium magis de eo sumendum, qui causam Baalis conaretur agere, quasi is per se non sufficiat de iniuria sibi facta ultionem expetere, ac proinde qui illius patrocinium susciperet, iniuriose de illo sentiret, quem crederet esse impotentem. Nec ista omnimode bona argumentatio fuit, sed tantum, quatenus erga idolum, valuit. Neque enim inde consequens esse potest, quod cum Deus verus vi polleat seipsum ulciscendi; illi, qui praesunt, ab eo, qui Deum laedit, non debeant poenas repetere. Cum potestas non sit nisi a Deo, Rom. 13. v. 1. et quae sunt, a Deo ordinatae sint, ac proinde, qui illam exercent, Dei nomine exerceant; ideoque principes, et qui magistratum gerunt, sicut Dei auctoritatem si-

bi impositam habent; ita pro Deo, illiusque honore, vi Divinae potestatis sibi communicatae, omne quoque illorum studium, atque cura vigilare debet.

32. *Ex die illo vocatus est Gedeon: Jerobaal, eo, quod dixisset Joas: ulciscatur se de eo Baal, qui suffodit aram eius.* Significat Jerobaal impugnatorem idoli. Quod Gedeon, cum oriundus ex tribu Manasse, sacerdos non esset, sacrificaverit, et alibi etiam, quam erat lege cautum, Deut. 12. v. 13. siquidem tantum coram tabernaculo Dei licitum esset sacrificare, S. Augustinus Quaest. 36. in Jud. solvit hanc quaestionem, et respondet: si Deus cuipiam aliud praeceptum det, quam sonet lex; non tantum non esse transgressionem, verum etiam obedientiam erga Deum: atque illum esse liberum, ut de quo legem dedit, eius agendi aliud etiam praeceptum, vel facultatem dare possit. „Ita „quippe, S. Augustini sunt verba, Deus legitima „illa constituit; ut leges non sibi, sed hominibus „daret. Unde quodcunque praeter illa ipse praece„pit; non a transgressoribus, sed potius a piis, „et obedientibus impletum intelligendum est, sic„ut Abraham de immolando filio. Nam et sic „Elias extra tabernaculum Domini ad convincendos „sacerdotes idolorum sacrificavit, quod ex praece„pto Domini fecisse intelligendus est, qui ei, tam„quam Prophetae, revelatione, atque inspiratione „iussit, ut faceret.“

33. *Igitur omnis Madian, et Amalec, et Orientales populi congregati sunt simul, et transeuntes Jordanem castra metati sunt in valle Iezrael.* 34. *Spiritus autem Domini induit Gedeon, qui clangens buccina convocavit domum Abiezer:* Paterna haec ipsius domus erat, quae superius versu 11. familia Ezri vocatur. Domus Abiezer idem significat quod domus patris Ezer, *ut sequeretur se.* 35. *Misitque nuncios in universum Manassen, qui et ipse secutus est eum, et alios nuncios in Aser, et Zabulon, et Nephthali, qui occurrerunt ei.* 36. *Dixitque Gedeon ad Deum: si salvum facis per manum meam Israel, sicut locutus es,* 37. *ponam hoc vellus lanae in area; si ros in solo vellere fuerit, et in omni terra siccitas; sciam, quod per manum meam, sicut locutus es, liberabis Israel.* 38. *Factumque est ita. Et de nocte consurgens expresso vellere concham rore implevit.* 39. *Dixitque rursus ad Deum: ne irascatur furor tuus contra me, si adhuc semel tentavero signum quaerens in vellere. Oro, ut solum vellus siccum sit, et omnis terra rore madens.* 40. *Fecitque Deus nocte illa, ut postulaverat, et fuit siccitas in solo vellere, et ros in omni terra.* Jam prius ab Angelo, cum mitteretur ad hoc bellum, signum acceperat ignis, quo carnes, et panes super petram positi consumpti sunt. Quod si autem adhuc dubitationem aliquam habuisset; laudem ipsius fides non meruisset, quam illi tribuit S. Paulus ad Hebr. 11. v. 32. Quod ergo ista adhuc signa a Deo

postulaverit, hoc censendus est non fecisse sua causa, sed eorum, qui vocati ad bellum ad eum convenerant, ut illos de negotii successu, quod adgrediebantur, confirmaret.

CAPVT VII.

Reliquis ab exercitu dimissis cum solis trecentis hostium castra Gedeon adgreditur, et profligat.

1. *IGITVR Jerobaal, qui et Gedeon de nocte consurgens, et omnis populus cum eo, venit ad fontem, qui vocatur Harad. Erant autem castra Madian in valle ad Septemtrionalem plagam collis excelsi.* Collis hic unus erat ex montibus Gelboe; utpote penes quos ex parte Australi sita fuit vallis Jezrael, ubi castra Madianitarum erant, ut est superioris capitis versu 33. *Dixitque Dominus ad Gedeon: 2. multus tecum est populus: nec tradetur Madian in manus eius, ne glorietur contra me Israel, et dicat: meis viribus liberatus sum. 3. Loquere ad populum, et cunctis audientibus praedica: qui formidolosus, et timidus est, revertatur. Recesseruntque de monte Galaad, et reversi sunt de populo viginti duo millia virorum, et tantum decem millia remanserunt.* Hoc, quod a monte Galaad discesserint, qui ex castris reversi domum sunt, qui mons Galaad in ulteriore parte erat Jordanis, cum iam castra haec fuissent po-

sita in parte citeriore, siquidem illa fuerint in colle, qui valli imminebat Jezrael: quam in eadem illa citeriore parte fuisse extra dubitationem est; dictum est relate ad eos, qui ad Gedeonem ex tribu Aser, Zabulon, et Nephthali, eaque tribus Manasse parte, quae cis Jordanem sita fuit, convenerant: istique proinde a monte Galaad, tota autem illa trans Jordanem posita Israelitarum regio isto Galaad nomine compellatur, in aversam ab eodem Galaad partem, cum domum redibant, iter habebant.

4. *Dixitque Dominus ad Gedeon: adhuc populus multus est, duc eos ad aquas, et ibi probabo illos, et de quo dixero tibi, ut tecum vadat, ipse pergat: quem ire prohibuero, revertatur.* 5. *Cumque descendisset populus ad aquas, dixit Dominus ad Gedeon: qui lingva lambuerint aquas, sicut solent canes lambere, separabis eos seorsum; qui autem curvatis genibus bibcrint, in altera parte erunt.* 6. *Fuit itaque numerus eorum, qui manu ad os proiiciente lambuerant aquas, trecenti viri: omnis autem reliqua multitudo flexo poplite biberat.* 7. *Et ait Dominus ad Gedeon: in trecentis viris, qui lambuerunt aquas, liberabo vos, et tradam in manu tua Madian. Omnis autem reliqua multitudo revertatur in locum suum.* 8. *Sumptis itaque pro numero cibariis, et tubis, omnem reliquam multitudinem abire praecepit ad tabernacula sua, et ipse cum trecentis viris se certamini dedit. Castra autem Madian erant subter in valle.* 9. *Eadem nocte dixit Dominus ad eum:*

surge, et descende in castra, quia tradidi eos in manu tua. 10. *Sin autem solus ire formidas, descendat tecum Phara puer tuus.* 11. *Et cum audieris, quid loquantur, tunc confortabuntur manus tuae, et securior ad hostium castra descendes. Descendit ergo ipse, et Phara puer eius in partem castrorum, ubi erant armatorum vigiliae.*

12. *Madian autem, et Amalec, et omnes orientales populi fusi iacebant in valle, ut locustarum multitudo, cameli quoque innumerabiles erant, sicut arena, quae iacet in littore maris.* 13. *Cumque venisset Gedeon, narrabat aliquis somnium proximo suo, et in hunc modum referebat, quod viderat. Vidi somnium, et videbatur mihi quasi subcinericius panis ex hordeo volvi, et in castra Madian descendere: cumque pervenisset ad tabernaculum, percussit illud, atque subvertit, et terrae funditus coaequavit.* 14. *Respondit is, cui loquebatur: non est hoc aliud, nisi gladius Gedeonis filii Joas viri Israelitae. Tradidit enim Dominus in manus eius Madian, et omnia castra eius.* Somnium hoc, quemadmodum olim Pharaoni, aut Nabuchodonosori, ita huic quoque nunc Divinitus fuit immissum, illiusque interpretationem explicuit Madianita itidem ductu Divino. Nec hoc tantam mirabilitatem habet, cum etiam Balaami praestigiatoris ore Deus prophetias ediderit Numer. cap. 24. *Cumque audisset* 15. *Gedeon somnium, et interpretationem eius, adoravit, et reversus est ad castra Israel, et ait: surgite. Tradidit enim*

Dominus

Dominus in manus nostras castra Madian. 16. *Divisitque trecentos viros in tres partes, et dedit tubas in manibus eorum, lagenasque vacuas, ac lampades in medio lagenarum.* Pro lampade in Hebraeo est vocabulum *Lappid*, quod facem ardentem significat; pro lagena autem est vocabulum *Cad* quod urceum, hydriam, vel ollam significat. Pertinebat autem eo, ut tali urceo facem ardentem tegerent, sicque ad hostium castra occulte accederent, ac tum repente lumen ostenderent, tubisque personarent, fragoremque ollas concutiendo, et frangendo ederent. 17. *Et dixit ad eos: quod me facere videritis, hoc facite: ingrediar partem castrorum, et quod fecero, sectamini.* 18. *Quando personuerit tuba in manu mea, vos quoque per castrorum circuitum clangite, et conclamate: Domino, et Gedeoni:* Domini, et Gedeonis, intelligitur autem gladius, ut hoc deinde distinctius infra versu 20. positum est.

19. *Ingressusque est Gedeon, et trecenti viri, qui erant cum eo, in partem castrorum, incipientibus vigiliis noctis mediae, et custodibus suscitatis coeperunt buccinis clangere, et complodere inter se lagenas.* 20. *Cumque per gyrum castrorum in tribus personarent locis, et hydrias confregissent, tenuerunt sinistris manibus lampades, et dextris sonantes tubas clamaverunt: gladius Domini, et Gedeonis.* 21. *Stantes singuli in loco suo per circuitum castrorum hostilium. Omnia itaque castra turbata sunt, et vociferantes, ululan-*

tesque fugerunt. 22. *Et nihilominus insistebant trecenti viri buccinis personantes. Immisitque Dominus gladium in omnibus castris, et mutua se caede truncabant* 23. *fugientes usque ad Bethsetta, et crepidinem Abelmehula in Tebbath.* Civitatum haec sunt nomina, infra eum locum, ubi turbatio haec in illorum castris, et strages accidit. *Conclamantes autem* hoc est mutuo se se clamore animantes et excitantes ad persequendum fugientem hostem *viri Israel de Nephthali, et Aser, et omni Manasse persequebantur Madian.*

24. *Misitque Gedeon nuncios in omnem montem Ephraim dicens: descendite in occursum Madian, et occupate aquas usque Bethbera, atque Jordanem. Clamavitque omnis Ephraim:* antiquitus, dum praelia inibant, clamare, et ululare solebant hostem terrendi causa: quamobrem clamandi verbum hic sumptum est pro incitatione illa, qua ad persequendos Madianitas ibant, *et praeoccupavit aquas, atque Jordanem usque Bethbera.* Haec civitas fuit ultra Jordanem sita. 25. *Apprehensosque duos viros Madian Oreb, et Zeb interfecit Oreb in petra Oreb, Zeb vero in torculari Zeb:* petra nimirum, et torcular, ubi isti iugulati sunt, ipsorum deinde nominibus adpellata sunt. *Et persecuti sunt Madian capita Oreb, et Zeb portantes ad Gedeon trans fluenta Jordanis.*

CAPVT VIII.

Jurgantur Ephraimitae contra Gedeonem: is supplicium sumit de incolis oppidi Soccoth, et turris Phanuel. Interficit Madianitarum principes Zebee, et Salmana. Obit relictis post se Septvaginta filiis.

1. D*IXERVNT ad eum viri Ephraim: quid est hoc, quod facere voluisti, ut nos non vocares, cum ad pugnam pergeres contra Madian? iurgantes fortiter, et prope vim inferentes.* Erat tribus Ephraim propinquitate coniunctior Manassis tribui, ex qua erat Gedeon, quam tribus Nephthali, et Aser, quas in principio, cum se ad bellum hoc compararet, ad eius societatem invitaverat; ex eodem enim Joseph originem duxerunt. Itaque, quod tantum ad istius belli reliquias essent evocati, et non statim a principio, impatienter ferebant. 2. *Quibus ille respondit: quid enim tale facere potui, quale vos fecistis? Nonne melior est racemus Ephraim vindemiis Abiezer?* Singulare factum de Oreb, et Zeb comprehenso racemum adpellat; profligationem totius exercitus, quam ipse patraverat, vindemiam. Cui toti vindemiae unum illum racemum caesorum ducum anteponit. 3. *In manus vestras Dominus tradidit principes Madian Oreb, et Zeb. Quid tale facere potui, quale vos fecistis? Quod cum locutus esset, requievit spiritus eorum, quo tumebant contra eum.* 4. *Cumque ve-*

nisset Gedeon ad Jordanem, transivit cum trecentis viris, qui secum erant, et prae lassitudine fugientes persequi non poterant. 5. *Dixitque ad viros Soccoth:* locus is erat, ubi Jacob redux e Mesopotamia stationem fixerat. Gen. 33. v. 17. *date, obsecro, panes populo, qui mecum est, quia valde defecerunt, ut possimus persequi Zebee, et Salmana reges Madian.* Jam superius memorati sunt duo principes Madianitarum esse capti: modo vero duo insuper reges commemorantur. Ex quo consequens est, Madianitarum gentem in plures civitates fuisse divisam, quarum quaelibet seorsim suum haberet regulum, vel principem. Sic Idumaeorum quoque, et Philisthaeorum gens in plures dynastias fuit divisa. Gen. 36. v. 40. 1. Reg. 29. v. 3. *Responderunt principes Soccoth* 6. *forsitan palmae manuum Zebee, et Salmana in manu tua sunt, et idcirco postulas, ut demus exercitui tuo panes?* Qui palmas manuum alterius sua manu stringit; facultatem manu aliquid agendi ei, quem sic tenet, aufert, captumque illum tenet. Quasi ergo iam in manibus suis istos Madianitarum principes Gedeon haberet, sic irrisionis causa Soccothenses ei insultabant, panesque ei denegarunt. 7. *Quibus ille ait: cum ergo tradiderit Dominus Zebee, et Salmana in manus meas, conteram carnes vestras cum spinis, tribulisque deserti.*

8. *Et inde conscendens venit in Phanuel:* etiam iste locus nomen suum a Jacob accepit Gen. 32. v. 30. *locutusque est ad viros loci illius si-*

milia. Cui et illi responderunt, sicut responderant viri Soccoth. 9. *Dixit itaque et eis: cum reversus fuero victor in pace, destruam turrim hanc.* 10. *Zebee autem, et Salmana requiescebant cum omni exercitu suo.* In Hebraeo nomen etiam proprium loci *Carcar* est hic positum, ubi quiescebant. S. Hieronymus de Loc. Hebr. versus Arabiam Petraeam docet fuisse situm. *Quindecim enim millia viri remanserant ex omnibus turmis Orientalium populorum caesis centum viginti millibus bellatorum educentium gladium.* 11. *Adscendensque Gedeon per viam eorum, qui in tabernaculis morabantur*, hoc est per viam, quae in Arabiam ducebat: paraphrastice habitantes in tabernaculis positi sunt pro Arabibus, quorum mos erat habitare sub tentoriis: Quare Chaldaeus vertit: *Et adscendit Gedeon in via habitaculi Arabum: ad Orientalem partem Nobe, et Jegbaa percussit castra hostium, qui securi erant, et nihil adversi suspicabantur.* Nobe trans Jordanem erat civitas in tribu Manasse Num. 32. v. 42. Jegbaa erat in eadem parte Jordanis in tribu Gad. Num. 32. v. 35. *Fugeruntque* 12. *Zebee, et Salmana: quos persequens Gedeon comprehendit turbato omni exercitu eorum.*

13. *Revertensque de bello ante solis ortum,* 14. *Adprehendit puerum de viris Soccoth, interrogavitque eum nomina principum, et seniorum Soccoth, et descripsit Septuaginta septem viros.* 15. *Venitque ad Soccoth, et dixit eis: en Zebee, et Salmana, super quibus exprobrastis mihi dicen-*

tes: forsitan manus Zebee, et Salmana in manibus tuis sunt, et idcirco postulas, ut demus viris, qui lassi sunt, et defecerunt panes. 16. *Tulit ergo seniores civitatis, et spinas deserti, ac tribulos, et contrivit cum eis, atque comminuit viros Soccoth.* 17. *Turrim quoqne Phanuel subvertit occisis habitatoribus civitatis.* Quemadmodum ante non de omnibus Soccothensibus, sed de senioribus tantum, atque iis, qui rei erant sumptum a Gedeone fuit supplicium; sic hoc censendum est, eum fecisse erga incolas turris Phanuel. Sicut autem in supplicio magna fuit severitas, ita non mediocre crimen erat defatigatis, et annonae penuria laborantibus iis non succurrere, in quorum viribus verteretur communis omnium salus; quos non refectis viribus sinere obiici hosti, erat quasi prodere ipsos. Quod ergo non tantum istis non subvenerint, qui salutem procurarunt universis; et, quantum in ipsis erat, hosti elabendi facultatem praebuerint; nisi Gedeon, atque eius milites tali virtute fuissent; ut quamvis inedia, et labore exhausi tamen adhuc insisterent hosti; peccatum ab ipsis est adversus publicam omnium salutem.

18. *Dixitque ad Zebee, et Salmana: quales fuerunt viri, quos occidistis in Thabor? Qui responderunt: similes tui, et unus ex eis, quasi filius regis.* 19. *Quibus ille respondit: fratres mei fuerunt filii matris meae. Vivit Dominus, quia si servassetis eos, non vos occiderem.* In Hebraeo pro *uno* est vocabulum *Echad*, quod verti etiam potest:

unusquisque, ut adeo intelligatur non hoc de uno illorum, quos occiderunt, affirmasse, similem fuisse filio regis, sed de omnibus, quos in Thabor interfecerunt Gedeonis fratribus. Quare Syrus hoc sic vertit: *Dicunt ei: similes tibi erant, adspectu similes filiis regum.* Filiis autem regum illos compararunt propter formae dignitatem. Hanc illi caedem procul dubio fecerint, antequam Gedeon illos fuisset adgressus, et cum more suo libere essent grassati. 20. *Dixitque Jether primogenito suo: surge, et interfice eos. Qui non eduxit gladium. Timebat enim, quia adhuc puer erat.* 21. *Dixeruntque Zebee, et Salmana: tu surge, et irrue in nos. Quia iuxta aetatem robur est hominis.* Hoc est, vires respondent aetati: illum autem, cum puer sit, vires tantas non habere, ut debite ictum possit vibrare. *Surrexit Gedeon, et interfecit Zebee, et Salmana, et tulit ornamenta, ac bullas, quibus colla regalium camelorum decorari solent.* Pro bullis in Hebraeo est: *Haschaharonim:* quod Chaldaeus *torques*, Septvaginta, item Syrus, et Arabs *lunulas* verterunt.

22. *Dixeruntque omnes viri Israel ad Gedeon: dominare nostri tu, et filius tuus, et filius filii tui, quia liberasti nos de manu Madian.* 23. *Quibus ille ait: non dominabor vestri, nec dominabitur in vos filius meus, sed dominabitur vobis Dominus.* 24. *Dixitque ad eos: unam petitionem postulo a vobis: date mihi inaures ex praeda vestra. Inaures enim aureas Ismaelitae habere consveve-*

rant. 25. *Qui responderunt: libentissime dabimus. Expandentesque super terram pallium proiecerunt in eo inaures de praeda.* 26. *Et fuit pondus postulatarum inaurium mille septingenti auri sicli:* mediam nostram unciam siclus appendit, ut iam alibi demonstratum est. Mediae autem unciae aequivalent nostri Hungarici, aut Caesarei aurei quinque. Ex quo quantitatem auri reperire, quae fuit in illis inauribus, facile est: *absque ornamentis, et monilibus, et veste purpurea, quibus reges Madian uti soliti erant, et praeter torques aureas camelorum.* 27. *Fecitque ex eo Gedeon Ephod, et posuit illud in civitate sua Ephra: fornicatus est omnis Israel in eo, et factum est Gedeoni, et omni domui eius in ruinam.* Ephod genus erat sacerdotalis vestitus, cuius forma Exod. 25. v. 7. et Exod. 28. v. 6. descripta est. Abusi autem postea illo Ephod ad idololatriam sunt, pro qua saepe fornicationis vocabulum in Scriptura usurpari consvevit. Quod vero in ruinam Gedeonis domui cessit, id dicitur evenisse ipsi Gedeoni, quatenus nimirum ea, quae posteris eveniunt, redundant etiam in eorum maiores propter eam, quae inter eos intercedit necessitudo. Nam ipsum Gedeonem non impegisse in aliquam idololatriam; intelligitur infra versu 33. ex eo, quod tantum post mortem illius iterum Israelitae dicantur lapsi in idololatriam. Cui ergo haec laus tribuitur, quod ceteros tenuerit, quamdiu vixit, in Religione, et cultu erga Deum; tanto magis intelligitur hunc ipsum non fuisse aversum ab eodem

cultu veri Dei. Nec ipsum Ephod eiusmodi erat, quod idololatriae causam praeberet per se. Non enim repugnabat servari illud in aliqua, etiamsi tabernaculum Dei ibi non esset, civitate, quod David, quamvis sacerdos non esset, etiam gestare potuit. 2. Reg. 6. v. 14.

28. *Humiliatus est autem Madian coram filiis Israel, nec potuerunt ultra cervices elevare, sed quievit terra per quadraginta annos, quibus Gedeon praefuit.* 29. *Abiit itaque Jerobaal filius Joas, et habitavit in domo sua,* 30. *habuitque septvaginta filios, qui egressi sunt de femore eius, eo quod plures haberet uxores.* 31. *Concubina autem illius,* secundarias, et tantum inferioris dignitatis has fuisse, legitimas tamen uxores; intelligitur ex exemplo Abrahae Gen. 25. v. 6. et Davidis 2. Reg. 15. v. 16. qui ipsi etiam habuerunt concubinas, *quam habebat in Sichem, genuit ei filium nomine Abimelech.* 32. *Mortuusque est Gedeon filius Joas in senectute bona, et sepultus est in sepulchro Joas patris sui in Ephra de familia Ezri.* 33. *Postquam autem mortuus est Gedeon, aversi sunt filii Israel, et fornicati sunt cum Baalim, percusseruntque cum Baal foedus, ut esset eis in deum.* 34. *Nec recordati sunt Domini Dei sui, qui eruit eos de manibus inimicorum suorum omnium per circuitum.* 35. *Nec fecerunt misericordiam cum domo Jerobaal Gedeon iuxta omnia bona, quae fecerat Israeli.* Cuius videlicet postea filios interfecerunt, ut sequetur altero capite.

CAPVT IX.

Factione Abimelech interficiuntur omnes praeter unum Gedeonis filii, Abimelechumque Sichemitae sibi constituunt principem: sed discordia inter illos postea exorta Abimelech ictu lapidis in oppugnatione oppidi Thebes perit.

1. *ABIIT autem Abimelech filius Jerobaal in Sichem ad fratres matris suae, et locutus est ad eos, et ad omnem cognationem domus patris matris suae dicens:* 2. *loquimini ad omnes viros Sichem: quid vobis est melius, ut dominentur vestri Septvaginta viri omnes filii Jerobaal, aut, ut dominetur unus vir? Simulque considerate, quod os vestrum, et caro vestra sum.* Hoc est, consangvineus, et frater, quomodo hoc idem de Joseph etiam a fratribus illius dictum est Gen. 37. v. 27. *Locutique sunt* 3. *fratres matris eius de eo ad omnes viros Sichem universos sermones istos, et inclinaverunt cor eorum post Abimelech dicentes: frater noster est.* 4. *Dederuntque illi septvaginta pondo* Hebraice: *Septvaginta argenteos* (שִׁבְעִים כֶּסֶף) Sicli autem intelliguntur, quorum unus nostram mediam unciam argenti efficit, quod ista moneta vulgo Hebraei usi sint in pecuniae computatione: *de fano Baalberith:* Baal est idoli nomen, *Berith* Hebraice foedus significat; cum ergo, ut anteces-

sit, praecedentis cap. v. 33. foedus cum Baal percusserint; fanum illius Baalberith, hoc est, Baalis foedus, adpellatum est. *Qui conduxit sibi ex eo viros inopes, et vagos, secutique sunt eum.* 5. *Et venit in domum patris sui in Ephra, et occidit fratres suos filios Jerobaal septvaginta viros super lapidem unum, remansitque Joatham filius Jerobaal minimus, et absconditus est.* Cum ergo septvaginta fuerint universe Jerobaalis, et Gedeonis filii; Joatham autem occisus non sit, sed nec ipse Abimelech interfector, et tamen ipse quoque contineretur in illo septvaginta filiorum Gedeonis numero; intelligitur, eo quod Scriptura hic dicat septvaginta esse interfectos, cum tamen integer iste numerus interfectorum non fuerit, ratio illa loquendi, quae et alibi recurrit in Scriptura, qua numerus ponitur integer, etiamsi adcurate talis non sit, atque ei aliquid ad integritatem desit.

6. *Congregati sunt autem omnes viri Sichem, et universae familiae urbis Mello:* Hebraice: *et omnis domus Millo* (וְכָל־בֵּית מִלּוֹא) quae domus coniurationis istius princeps facile eadem fuit, quae avi materni: qui etiam supra versu 3. Sichimitas conciliarunt Abimelecho: *abieruntque, et constituerunt regem Abimelech iuxta quercum, quae stabat in Sichem.* 7. *Quod cum nunciatum esset Joatham; ivit, et stetit in vertice montis Garizim, elevataque voce clamavit, et dixit: audite me viri Sichem, ita audiat vos Deus.* 8. *Ierunt ligna, ut ungerent super se regem, dixeruntque olivae:*

impera nobis. 9. *Quae respondit: numquid possum deserere pingvedinem meam, qua et dii utuntur, et homines, et venire, ut inter ligna promovear?* 10. *Dixeruntque ligna ad arborem ficum: veni, et super nos regnum accipe.* 11. *Quae respondit eis: numquid possum desesere dulcedinem meam, fructusque svavissimos, et ire, ut inter cetera ligna promovear?* 12. *Locutaque sunt ligna ad vitem: veni, et impera nobis.* 13. *Quae respondit eis: numquid possum deserere vinum meum, quod laetificat Deum et homines, et inter ligna cetera promoveri?* Cum vinum in sacrificiis Deo offerri consveverit; quando Deo illa grata erant sacrificia; intelligitur, quomodo vinum etiam Deum laetificaverit. Est vero in Haebraeo hic nomen *Elohim*, quod non semper Deo tribuitur, sed viris etiam principibus: unde tam hoc de vino, quam illud de oleo potest sic quoque accipi, ut deorum nomine utrobique isti intelligantur; hominum autem adpellatione alii, qui inferiores illis dignitate essent, et vulgus hominum. Si autem hic de vino praeplacet Deum ipsum intelligere, tum propter conformitatem explicationis ibi de oleo quoque res sic accipienda erit erga Deum, cui in sacrificiis illud offeretur, quemadmodum hoc dictum est de vino. In Hebraeo in versiculo nono loco verbi *utuntur*, est: *honorant* (יְכַבְּדוּ) quo convenientius id exprimitur, cuius causa oleum Deo in sacrificio offertur. 14. *Dixeruntque omnia ligna ad rhamnum: veni et impera super nos.* Tribuli, et spinae hoc quoddam

genus admodum aculeatae est. 15. *Quae respondit eis: si vere me regem constituitis, venite, et sub umbra mea requiescite: si autem non vultis: egrediatur ignis de rhamno, et devoret cedros Libani.* Hoc est, nobilissimos quosque ex vobis. Est enim cedrus arbor nobilissima, quae crescit in monte Libano. 16. *Nunc igitur, si recte, et absque peccato constituistis super vos regem Abimelech, et bene egistis cum Jerobaal, et cum domo eius, et reddidistis vicem beneficiis eius, qui pugnavit pro vobis,* 17. *et animam suam dedit periculis, ut erueret vos de manu Madian,* 18. *qui nunc surrexistis contra domum patris mei, et interfecistis filios eius septvaginta viros super unum lapidem, et constituistis regem Abimelech filium ancillae eius super habitatores Sichem, eo quod frater vester sit,* 19. *si ergo recte, et absque vitio egistis cum Jerobaal, et domo eius, hodie laetamini in Abimelech, et ille laetetur in vobis:* 20. *sin autem perverse; egrediatur ignis ex eo, et consumat habitatores Sichem, et oppidum Mello: egrediaturque ignis de viris Sichem, et de oppido Mello, et devoret Abimelech.* Hic utrobique iterum, ut superius quoque fuit versu 6. loco oppidi Mello, est in Hebraeo domus Mello.

21. *Quae cum dixisset, fugit, et abiit in Bera:* civitas haec ab Eleutheropoli urbe tribus Juda octo milliaria distabat Boream versus teste S. Hieronymo de Locis Hebr. *habitavitque ibi ob metum Abimelech fratris sui.* 22. *Regnavit itaque Abi-*

melech super Israel tribus annis. Non super totum Israel, sed tantum super eius aliquam partem videlicet super Sichemitas, et propinquas aliquas civitates. Neque enim, si Abimelech totam Israelitarum regionem in sua potestate habuisset, Joatham etiam Berae, quo confugit, tutum habere locum potuisset.

23. *Misitque Dominus spiritum pessimum inter Abimelech, et habitatores Sichem. Qui coeperunt eum detestari,* 24. *et scelus interfectionis septvaginta filiorum Jerobaal, et effusionem sangvinis eorum conferre in Abimelech fratrem suum, et in ceteros Sichimorum principes, qui eum adiuverant.* De missione istius spiritus pessimi, qui dissensionem inter Abimelechum, et Sichemitas fecerit, „Potest hoc sic intelligi, ait S. Augustinus „Quaest. 45. in Jud. ut spiritum malignum Deus „tantum ire inter eos volentem emiserit, id est „potestatem dederit maligno spiritui ad eorum pacem perturbandam.“ 25. *Posueruntque insidias adversus eum in summitate montium, et dum illius praestolabantur adventum, exercebant latrocinia agentes praedas de praetereuntibus, nunciatumque est Abimelech.*

26. *Venit autem Gaal filius Obed cum fratribus suis, et transivit in Sichimam. Ad cuius adventum erecti habitatores Sichem,* 27. *egressi sunt in agros vastantes vineas, uvasque calcantes, et factis cantantium choris ingressi sunt fanum dei sui, et inter epulas, et pocula maledicebant Abi-*

melech. In Hebraeo non est quasi vineas hostiliter vastaverint; sed tantum quod illas vindemiaverint. Quare etiam Chaldaeus hoc sic vertit: *Et exierunt ad agrum, et vindemiaverunt vineas suas, et calcaverunt, et fecerunt tripudia.* Cur enim ipsi suas vineas vastare voluissent? 28. *Clamante Gaal filio Obed: quis est Abimelech, et quae est Sichem, ut serviamus ei?* Hebraice est in masculino genere: *Quis Schechem* (מִי־שְׁכֶם) ipseque Abimelech patrio suo nomine, cuius mater Sichemitica fuit, sic adpellatur, estque hoc, quasi sic, positum: Quis iste Sichemites? ut sit nomen patronymicum ipsius Abimelech. *Numquid non est filius Jerobaal, et constituit principem Zebul servum suum super viros Emor patris Sichem? Cur ergo serviemus ei?* Sichimitas viros Emor adpellat, non quasi orti ab eo essent, cum genere essent Israelitae: sed quod locum incolerent, in quo antiquitus regnaverit Emor pater Sichem. Gen. 33. v. 18. Tanquam ergo inde haberet dignitatem Sichem ipsorum civitas, laudat illam. 29. *Utinam daret aliquis populum istum sub manu mea, ut auferrem de medio Abimelech!* Sichemitarum populum intelligebat, quem ostendebat optare se, uti se illius ductui committeret. *Dictumque est Abimelech: congrega exercitus multitudinem, et veni.* 30. *Zebul enim princeps civitatis,* (in Hebraeo loco enim est tantum litera *Vau*, quae vulgo idem significare in oratione solet, quod copulativa apud nos vocula *et:*) *auditis sermonibus Gaal filii Obed iratus est valde.* 31. *Et misit*

clam ad Abimelech nuncios dicens: ecce Gaal
filius Obed venit in Sichimam cum fratribus suis,
et oppugnat adversum te civitatem. 32. *Surge ita-*
que nocte cum populo, qui tecum est, et latita in
agro, 33. *et primo mane oriente sole irrue super*
civitatem; illo autem egrediente adversum te cum
populo suo, fac ei, quod potueris.

34. *Surrexit itaque Abimelech cum omni exer-*
citu suo nocte, et tetendit insidias iuxta Sichi-
mam in quatuor locis. 35. *Egressusque est Gaal*
filius Obed, et stetit in introitu portae civitatis.
Surrexit autem Abimelech, et omnis exercitus
cum eo de insidiarum loco. 36. *Cumque vidisset*
populum Gaal, dixit ad Zebul: ecce de montibus
multitudo descendit. Cui ille respondit: umbras
montium vides, quasi capita hominum, et hoc er-
rore deciperis. 37. *Rursumque Gaal ait: ecce po-*
pulus de umbilico terrae descendit, et unus cuneus
venit per viam, quae respicit quercum: editum,
et in convexo positum locum, unde Abimelechi
milites descendebant, ut antecessit, umbilici nomine
adpellat. Zebul cum cum Gaal adversus Abimele-
chum ex urbe processerit, intelligitur, se simulas-
se, quasi etiam ipsi cum Gaal conveniret, qui ve-
ro reapse faveret Abimelecho, quem etiam clam
de negotio, quod agebatur, certiorem fecerat. 38.
Cui dixit Zebul: ubi est nunc os tuum, quo lo-
quebaris: quis est Abimelech, ut serviamus ei?
Nonne hic populus est, quem despiciebas? Egre-
dere, et pugna contra eum.

39. *Abiit ergo Gaal spectante Sichimorum populo, et pugnavit contra Abimelech.* 40. *Qui persecutus est eum fugientem, et in urbem compulit, cecideruntque ex parte eius plurimi usque ad portam civitatis.* 41. *Et Abimelech sedit in Ruma:* istius loci nuspiam alibi mentio occurrit, vicinum aliquem locum ad Sichem esse oportuit. *Zebul autem, Gaal, et socios eius expulit de urbe, nec in ea passus est commorari.* 42. *Sequenti ergo die egressus est populus in campum. Quod cum nunciatum esset Abimelech,* 43. *tulit exercitum suum, et divisit in tres turmas tendens insidias in agris, vidensque, quod egrederetur populus de civitate, surrexit, et irruit in eos* 44. *cum cuneo suo oppugnans, et obsidens civitatem. Duae autem turmae palantes per campum adversarios persequebantur.* 45. *Porro Abimelech omni die illo oppugnabat urbem, quam cepit interfectis habitatoribus eius, ipsaque destructa, ita ut sal in ea dispergeret:* Etiam in aliis historiis reperitur hoc a victoribus esse nonnunquam factum, ut super tumulos eversarum a se urbium salem spargerent, quo vellent, ut ne herbarum quidem aliquis viror ibi posset succrescere, tantoque magis exstarent vestigia eversae a se, atque solo aequatae civitatis.

46. *Quod cum audissent, qui habitabant in turre Sichimorum, ingressi sunt fanum dei sui Berith, ubi foedus cum eo pegigerant, et ex eo locus nomen acceperat, qui erat munitus valde.* 47. *Abimelech quoque audiens viros turris Sichi-*

morum pariter conglobatos: in illo fano nimirum quo convenerant, quod locus fuerit bene munitus, 48. *adscendit in montem Selmon cum omni populo suo, et arrepta securi praecidit arboris ramum, impositumque ferens humero dixit ad socios: quod me videtis facere, cito facite.* 49. *Igitur certatim ramos de arboribus praecidentes sequebantur ducem. Qui circumdantes praesidium succenderunt, atque ita factum est, ut fumo, et igne mille homines necarentur viri pariter, et mulieres habitatores turris Sichem.*

50. *Abimelech autem inde proficiscens venit ad oppidum Thebes* tredecim millia passuum Sichima distabat Scythopolim versus testimonio S. Hieronymi de Loc. Hebr. *quod circumdans obsidebat exercitu.* 51. *Erat autem turris excelsa in media civitate, ad quam confugerant simul viri, ac mulieres, et omnes principes civitatis clausa firmissime ianua, et super turris tectum stantes per propugnacula.* 52. *Accedensque Abimelech iuxta turrim pugnabat fortiter, et appropians ostio ignem supponere nitebatur.* 53. *Et ecce una mulier fragmen molae desuper iaciens illisit capiti Abimelech, et confregit cerebrum eius.* 54. *Qui vocavit cito armigerum suum, et ait ad eum: evagina gladium tuum, et percute me, ne forte dicatur, quod a femina interfectus sim. Qui iussa perficiens interfecit eum.* 55. *Illoque mortuo omnes, qui cum eo erant de Israel, reversi sunt in sedes suas.* 56. *Et reddidit Deus malum, quod fecerat*

Abimelech contra patrem suum interfectis septvaginta fratribus suis. 57. *Sichimitis quoque, quod operati erant, retributum est, et venit super eos maledictio Joatham filii Jerobaal.*

CAPVT X.

Thola, postea Jair iudices Israelitarum. Hi propter idololatriam Ammonitis traduntur in servitutem: qua graviter afflicti recurrunt ad Deum.

1. *POST Abimelech surrexit dux in Israel Thola filius Phua patrui Abimelech:* istius loco: *patrui Abimelech* est in Hebraeo *filii Dodo* (בֶּן־דּוֹדוֹ) intelligitur ergo Phua pater Tholae filius fuisse Dodo: *vir de Issachar, qui habitavit in Samir montis Ephraim.* 2. *Et iudicavit Israelem viginti et tribus annis, mortuusque est, ac sepultus in Samir.* 3. *Huic successit Jair Galaadites, qui iudicavit Israelem per viginti et duos annos* 4. *habens triginta filios sedentes super triginta pullos asinarum, et principes triginta civitatum, quae ex nomine eius sunt adpellatae Havoth Jair, id est oppida Jair usque in praesentem diem in terra Galaad.* Jam antiquitus ab Jair aliquo ex posteris Manassis, statim, cum Chananaeam Israelitae in suam potestatem receperunt, sexaginta oppidis hoc nomen Jair fuit inditum. Num. 32. v. 41. Josue 13. v. 30. Ex Hebraeo res haec adcuratius intelligitur:

ubi non hoc dicitur, quod ab isto iudice Jair nunc illa oppida sic illius nomine sint vocata: sed habuisse istos triginta illius filios tringinta oppida, quae villae Jair sint usque in praesentem diem appellatae. Hoc, quod tum sub hoc indice tantum istud nomen sit impositum illis oppidis, non pronunciatur. Quare tam Arabs, quam Syrus hoc sic vertit: *Et hi habebant triginta civitates, quas vocabant oppida Jair in hunc usque diem, et sunt in terra Galaad.* 5. *Mortuusque est Jair, ac sepultus in loco, cui est vocabulum Camon.* In regione Galaaditide haec erat civitas. Flavius Ant. l. 5. c. 8.

6. *Filii autem Israel peccatis veteribus iungentes nova fecerunt malum in conspectu Domini, et servierunt idolis Baalim, et Astaroth, et diis Syriae, ac Sidonis, et Moab, et filiorum Ammon, et Philisthiim, dimiseruntque Dominum, et non coluerunt eum.* 7. *Contra quos Dominus iratus, tradidit eos in manus Philisthiim, et filiorum Ammon.* Utraque haec servitus in genere, et coniunctim est proposita, quae deinde utraque explicatur. Nam ea, quam ab Ammonitis experti sunt, eam antecessit, quae secuta est postea a Philisthaeis. 8. *Afflictique sunt, et vehementer oppressi per annos decem, et octo omnes, qui habitabant trans Jordanem in terra Amorrhaei, qui est in Galaad.* Illa regio trans Jordanem terra Amorrhaei vocatur, non quod modo adhuc illius terra fuerit; sed quod antea in Sehonis, et Og regum Amorrhaeorum di-

tione fuerit, quibus devictis ipsi illam occupaverunt. Num. 21. v. 21. 9. *In tantum, ut filii Ammon Jordane transmisso vastarent Judam, et Benjamin, et Ephraim, afflictusque est Israel nimis.* 10. *Et clamantes ad Dominum dixerunt: peccavimus tibi, quia dereliquimus Dominum Deum nostrum, et servivimus Baalim.*

11. *Quibus locutus est Dominus: numquid non Aegyptii, et Amorrhaei, filiique Ammon, et Philisthiim,* 12. *Sidonii quoque, et Amalec, et Chanaan oppresserunt vos, et clamastis ad me, et erui vos de manu eorum?* A Sidoniis adversitatem aliquam esse ad hoc tempus Israelitas passos, nuspiam alibi memoratur. Ex quo consequens est, vel omnes servitutes, quas subiverunt, et adversitates belli non esse a Scriptore istius libri in specie expositas, vel Sidoniorum nomine, isthic intelligi Syros, quorum etiam servitutem subiverunt Israelitae supra cap. 3. v. 8. quod civitas illa in ea Syriae parte fuerit sita, quae dicta est Coelesyria, hoc est Cava Syria propter profundiorem ipsius situm; et nisi Sidoniorum nomine Syri intelligantur, Syrorum illa servitus ex ista commemoratione, et enumeratione servitutum fuisset omissa. Pro *Chanaan* autem in Hebraeo nomen est *Maon:* pro quo Septvaginta 1. Par. 4. v. 40. et 2. Par. 20. v. 1. Minaeos verterunt. Erant autem Minaei populi Arabiae. Ex quo deducitur ab istis quoque adversitatem esse Israelitas passos, licet hoc prius a Scriptore distincte expositum non sit. 13. *Et tamen reliquistis me, et coluistis deos*

alienos, idcirco non addam, ut ultra vos liberem. Liberavit autem eos postea. Quid igitur? nempe, erat haec tantum comminatio, quamque Deus sub conditione pronunciaret, nisi abiicerent idola, seque totos ad eum converterent. 14. *Ite, et invocate deos, quos elegistis: ipsi vos liberent in tempore angustiae.* Similis cum ironia, et irrisione est etiam Deut. 32. v. 37. exprobatio: „Ubi sunt dii „eorum, in quibus habebant fiduciam? Surgant, „et opitulentur vobis.“ 15. *Dixerunt filii Israel ad Dominum: peccavimus, redde tu nobis, quidquid tibi placet. Tantum nunc libera nos.* Redde tu nobis nimirum, si postea rursus in hoc suum peccatum reciderent, et a Dei cultu desciscerent. 16. *Quae dicentes omnia de finibus suis alienorum deorum idola proiecerunt, et servierunt Domino Deo, qui doluit super miseriis eorum.* 17. *Itaque filii Ammon conclamantes in Galaad fixere tentoria.* Conclamandi verbo Hebraica consvetudine loquendi significatur militum ad bellum conventus, et consociatio in uno loco. Estque hoc inde ductum: quod, cum dux milites suos evocat ad bellum, istique dum illum sequuntur, quasi reclament, se praesto esse. Jam etiam superius capitis 7. v. 24. et 1. Reg. 13. v. 4. et saepe alibi redibit haec phrasis. *Contra quos congregati filii Israel in Maspha castrametati sunt.* In regione Galaaditide sita haec fuit civitas. 18. *Dixeruntque principes Galaad singuli ad proximos suos: qui primus ex nobis contra filios Ammon coeperit dimicare, erit dux populi Galaad.*

CAPVT XI.

Jephte factus dux populi contra Ammonitas cum votum concepisset de eo immolando, quod ei feliciter confecto bello primum occurrisset e sua domo, obviam sibi habet unicam filiam.

1. *FVIT illo tempore Jephte Galaadites vir fortissimus, atque pugnator, filius mulieris meretricis, qui natus est de Galaad.* 2. *Habuit autem Galaad uxorem, de qua suscepit filios. Qui postquam creverant, eiecerunt Jephte dicentes: haeres in domo patris nostri esse non poteris, quia de altera matre natus es.* 3. *Quos ille fugiens, atque devitans habitavit in terra Tob.* A regione Galaaditide Boream versus sita fuit haec regiuncula. *Congregatique sunt ad eum viri inopes, et latrocinantes, et quasi principem sequebantur.* Non habet Hebraeus verbum hoc: *latrocinantes.* Quamobrem necesse non est intelligere, illum more latronum exercuisse praedationem, et latrocinia: sed has praedas instituisse ex hostibus: quod postea fecit etiam David 1. Reg. 27. v. 8. ex talibus civitatibus agens praedas, quas Israelitico populo bello etiam adoriri licuisset.

4. *In illis diebus pugnabant filii Ammon contra Israel.* 5. *Quibus acriter instantibus perrexerunt maiores natu de Galaad, ut tollerent in auxilium sui Jephte de terra Tob.* 6. *Dixeruntque ad eum: veni, et esto princeps noster, et pugna*

contra filios Ammon. 7. *Quibus ille respondit: nonne vos estis, qui odistis me, et eiecistis de domo patris mei, et nunc venistis ad me necessitate compulsi?* 8. *Dixeruntque principes Galaad ad Jephte: ob hanc igitur causam nunc ad te venimus, ut proficiscaris nobiscum, et pugnes contra filios Ammon, sisque dux omnium, qui habitant in Galaad.* 9. *Jephte quoque dixit eis: si vere venistis ad me, ut pugnem pro vobis contra filios Ammon, tradideritque eos Dominus in manus meas, ego ero vester princeps?* 10. *Qui responderunt ei: Dominus, qui haec audit, ipse mediator, ac testis est, quod nostra promissa faciemus.*

11. *Abiit itaque Jephte cum principibus Galaad, fecitque eum omnis populus principem sui. Locutusque est Jephte omnes sermones suos coram Domino in Maspha.* Huc Israelitas solitos esse convenire Deum precandi causa ex Judicum 20. v. 1. 1. Reg. 10. v. 17. et 1. Mach. 3. v. 46. intelligitur. Igitur ibi, tanquam coram Deo, istius negotii, quo se Israelitae spoponderunt Jephtem facturos suum principem, illeque hoc solenniter recepit; publice facta est transactio. 12. *Et misit nuncios ad regem filiorum Ammon, qui ex persona sua dicerent: quid mihi, et tibi est, quia venisti contra me, ut vastares terram meam?* 13. *Quibus ille respondit: quia tulit Israel terram meam, quando adscendit de Aegypto a finibus Arnon usque Jeboc, atque Jordanem.* Omnia haec fluviorum sunt nomina. *Nunc ergo cum pace redde mihi eam.*

14. *Per quos rursus mandavit Jephte, et imperavit eis, ut dicerent regi Ammon: 15. haec dicit Jephte: non tulit Israel terram Moab, nec terram filiorum Ammon:* nimirum, non directe tulit, sed cum illam Sehon rex Amorrhaeorum occupasset, ut est Numer. 21. v. 26. et 29. cumque hoc deinde bellum Israelitae habuissent, illumque vicissent, et delevissent, atque regnum illius occupassent, istam quoque terram, quam ille a Moabitis acceptam sui iuris fecerat, occupaverunt. Notandum vero hic est, quod rex Ammon de terra Moab, quam Israelitae possiderent, tanquam de re sui iuris cum Israelitis agat. Vel ergo Moabitae etiam erant confoederati in hoc bello Ammonitis; vel istis illi etiam in clientelam se se tradiderant: quod facere potuerunt, quando victi ab Israelitis sunt, et regem etiam suum amiserunt supra cap. 3. v. 21. tanto magis quod cognati isti duo inter se populi fuerint ex eodem Loth genus ducentes Gen. 19. v. 37, 38. *Sed quando 16. de Aegypto conscenderunt, ambulavit per solitudinem usque ad mare Rubrum, et venit in Cades.* Illa hic ambulatio versus mare Rubrum est intelligenda, quando post explorationem terrae Chanaan propter suam contra Deum murmurationem quadraginta annorum peregrinatione per desertum puniti a Deo, et cum iam prope Chananaeam essent, redire rursus versus mare Rubrum iussi sunt. Num. 14. v. 25.

17. *Misitque nuncios ad regem Edom dicens: dimitte me, ut transeam per terram tuam. Qui*

noluit acquiescere precibus eius. Misit quoque ad regem Moab, qui et ipse transitum praebere contempsit. Mansit itaque in Cades, 18. *et circuivit ex latere terram Edom, et terram Moab, venitque contra Orientalem plagam terrae Moab, et castra metatus est trans Arnon, nec voluit intrare terminos Moab. Arnon quippe confinium est terrae Moab.* 19. *Misit itaque Israel nuncios ad Sehon regem Amorrhaeorum, qui habitabat in Hesebon, et dixerunt ei: dimitte, ut transeam per terram tuam usque ad fluvium.* Jordanem videlicet, quo se protendebat Sehonis regio, et per quem transeundum illis fuit in Chananaeam. 20. *Qui et ipse Israel verba despiciens non dimisit eum transire per terminos suos; sed infinita multitudine congregata egressus est contra eum in Jasa, et fortiter resistebat:* Jasa una in extremis finibus ipsius erat ex illius regno civitas.

21. *Tradiditque eum Dominus in manu Israel cum omni exercitu suo, qui percussit eum, et possedit omnem terram Amorrhaei habitatoris regionis illius,* 22. *et universos fines eius de Arnon usque Jaboc, et de solitudine usque ad Jordanem.* 23. *Dominus ergo Deus Israel subvertit Amorrhaeum, pugnante contra illum populo suo Israel; et tu nunc vis possidere terram eius?* 24. *Nonne ea, quae possidet Chamos deus tuus tibi iure debentur? Quae autem Dominus Deus noster victor obtinuit, in nostram cedent possessionem.* Chamos ille Ammonitarum deus, nec ipse quidquam

possedit, neque etiam cuipiam in possessionem aliquid dare potuit, utpote inane idolum. Sed Jephte sensum tantum proponit, quem Ammonitarum rex haberet de Chamos deo suo, et de ditione, quam sibi quasi istius dei sui auctoritate vindicaret, ut hoc argumento uteretur, tanquam ad hominem, sibi ad id possidendum legitimum ius esse, quod Dei sui auspiciis obtinuisset. 25. *Nisi forte melior es Balac filio Sephor rege Moab:* hoc est, nisi tu forte in repetendo iustiorem causam habes illo: nam, cum ille adversus hanc occupationem nihil moverit, ex eo infert Jephte, nec regem Ammonitarum iustiorem prae illo vindicandi sibi terram illam ius habere, tantoque minus, quod ab eo tempore usque nunc per trecentorum annorum spatium Moabitae istam litem nunquam suscitaverint, et tale aliquod ius praetenderint. Balaamum ariolum quidem Balac conduxerat ad maledicendum Israelitis Num. 22. v. 2. sed non ea causa, ut quae a Sehone Israelitae occupaverant, sibi redderentur; sed tantum ex metu, ne Israelitae ipsum adorirentur, eamque vicem ipse quoque, quam Sehon, subiret: *aut docere potes, quod iurgatus sit contra Israel, et pugnaverit contra eum,* 26. *quando habitavit in Hesebon, et viculis eius, et in Aroer, et villis illius, vel in cunctis civitatibus iuxta Jordanem per trecentos annos. Quare tanto tempore nihil super hac repetitione tentastis?* 27. *Igitur non ego pecco in te, sed tu contra me, male agis indicens mihi bella non iusta. Judicet Dominus*

arbiter huius diei inter Israel, et inter filios
Ammon.

28. Noluitque acquiescere rex filiorum Am-
mon verbis Jephte, quae per nuncios mandaverat.
29. Factus est ergo super Jephte Spiritus Domi-
ni, et circuiens Galaad, et inde transiens ad
filios Ammon 30. votum vovit Domino dicens:
si tradideris filios Ammon in manus meas, 31. qui-
cunque primus fuerit egressus de foribus domus
meae, mihique occurrerit revertenti cum pace a
filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino.
32. Transivitque Jephte ad filios Ammon, ut pu-
gnaret contra eos: quos tradidit Dominus in ma-
nus eius. 33. Percussitque ab Aroer usque dum
venias in Mennith viginti civitates, et usque ad
Abel quae est vineis consita Mennith, et Abel
civitatum sunt nomina plaga magna nimis, humilia-
tique sunt filii Ammon a filiis Israel. 34. Rever-
tente autem Jephte in Maspha domum suam, oc-
currit ei unigenita filia sua cum tympanis, et cho-
ris. Non enim habebat alios liberos. 35. Qua vi-
sa scidit vestimenta sua, et ait: heu me, filia
mea, decepisti me, et ipsa decepta es! Aperui
enim os meum ad Dominum, et aliud facere non
potero. 36. Cui illa respondit: pater mi, si aperui-
sti os tuum ad Dominum, fac mihi, quodcunque
pollicitus es concessa tibi ultione, atque victoria
de hostibus tuis. 37. Dixitque ad patrem: hoc so-
lum mihi praesta, quod deprecor: dimitte me, ut
duobus mensibus circumeam montes, et plangam

virginitatem meam cum sodalibus meis. 38. *Cui ille respondit: vade. Et dimisit eam duobus mensibus. Cumque abiiset cum sociis, ac sodalibus suis, flebat virginitatem suam in montibus.*

39. *Expletisque duobus mensibus reversa est ad patrem suum, et fecit ei, sicut voverat, quae ignorabat virum. Exinde mos increbuit in Israel, et consvetudo servata est,* 40. *ut post anni circulum conveniant in unum filiae Israel, et plangant filiam Jephte Galaaditae diebus quatuor.* Hunc locum de voto Jephte, quod is illud reipsa immolando filiam suam exsolverit S. Augustinus Quaest. 49. in Jud. S. Ambrosius l. 3. Offic. cap. 12. S. Hieronymus in Jerem. caput 7. aliique Patres, et veteres Interpretes intellexerunt. In quo tamen accusant, et incircumspectam vovendi rationem, simulque imprudentiam, qua postea sacrificium istud Deo invisum praestitit. Erant enim humanae victimae interdictae, caveratque Deus, ne Israelitae gentiles, qui filios suos, atque filias suas diis suis consvevissent immolare, imitarentur. Deut. 12. v. 31. Recentiorum Interpretum pars una veterem illam Patrum sequitur sententiam; altera vero hoc de exsolutione istius voti a Jephte sic accipiendum putat; ut ille filiam suam non obtulerit interficiendo more victimarum, sed tantum obstringendo ipsam ad perpetuam virginitatem. Cur enim, inquiunt, non potius mortem suam deploravit, si ei moriendum fuit? Imo vero hanc deploravit. Neque enim propterea deflevit, quod virgo esset, sed

quod, cum virgo adhuc esset, et virginali ista aetate, mortem cogeretur subire. Contendunt vero istud etiam ex eo, quod cum reversa esset ex montibus, eique fecisset pater, sicut voverat, tum ibi subiiciatur: *quae ignorabat virum.* 'At vero hoc non eo pertinet, quasi exsolutio voti in ista ignoratione viri constiterit; sed quod tali statu, et conditione adhuc viri expers immolata sit. Dicitur patrem fecisse, sicut voverat. At vero non ita fecisset, si tantum ad virginalem pudicitiam servandam illam obstrinxisset. Oblaturum enim se se illum, qui primus ei occurrisset, in holocaustum voverat. Opponunt etiam istud: in eiusmodi voto, ubi Deo hominis anima, et vita sponderetur, praescriptam esse a Deo redemptionem. Sane, sed non per pudicitiae consecrationem, verum solvendo pecuniam Levit. 27. v. 1. Nisi ergo Jephte immolando filiam imprudenter egisset, atque si scienter se iuxta legis praescriptum gessisset, non in locum immolationis ad servandam virginitatem illam adigere, sed tantum pecunia redimere illam debuisset.

Equidem videri mirum potest, quod etiamsi ipse legum imperitus fuit, quod quidem satis declarat ista tam inconsulta filiae sacrificatio; non spatio illorum duorum mensium, quo in montibus filia virginitatem deploravit, eum alter aliquis docuerit, agendique consilium dederit. Sed hoc idem, quod etiam isti, qui istius sententiae patroni sunt, pro se sumunt, magis premit illos ipsos. Multo enim magis, si filiam Jephte tantum ad continen-

tiam consecravisset, cum haec ratio redimendi illam ex caede, et sacrificatione, quam vovit, non fuerit secundum legem; fuisset tempus, quando illa deinde in virginitate vixit, ut quonam modo redemptio voti legitime fieri deberet non tantum pater, verum etiam filia instrueretur. Quod nemo Jephtem admonuerit, et ab immolatione suae filiae deduxerit, modumque redimendi ipsam ostenderit; si hoc ita factum est, cum hoc aliter fieri potuisset, causam istius, cum illam subticeat Scriptura, fortasse coniicere possumus, omnes, qui circa illum fuerunt tum, non fuisse, ut oportebat instructos, et legis gnaros, aut ille pro animi sui conscientia in proposito suo obstinatior talia aliqua consilia, etiamsi data erant, non recepit; pro certo vero aliquid affirmari non potest. Est autem et illud considerandum, si filia Jephte nihil aliud exspectandum habuit, quam, ut suam virginitatem consecraret Deo, quid ei opus fuit expetere menses duos, ut hanc deploret, cum si illam deplorare voluit, tantum illi spatium, quantum postea adhuc vixit, ad deplorandum fuerit? Quid deinde stato tantum anni tempore convenissent filiae Israel ad filiam Jephte, sic enim iidem, qui de virginitate votum hoc interpretantur, censent reliquas virgines convenisse ad virginem Jephte, cum Scriptura habeat illas in unum convenisse, non vero dicat convenisse ad filiam Jephte, cur inquam tantum certo tempore ad eam convenire debuissent, ut plangerent, cum illa secum puellas semper habere ali-

quas potuisset, et si libuisset, etiam quandocunque plangere potuisset? Atque illa patris: *heu me, filia mea, decepisti me, et ipsa decepta es!* tantane consternatio esse debuisset, si de sola tantum virginitate servanda res fuisset?

CAPVT XII.

Ephraimitarum seditio adversus Jephtem: eorum quadraginta duo millia iugulantur ad vada Jordanis. Judices post Jephtem Abesam, Ahialon, et Abdon.

---

1. *ECCE autem in Ephraim orta est seditio. Nam transeuntes contra Aquilonem dixerunt ad Jephte: quare vadens ad pugnam contra filios Ammon vocare nos noluisti, ut pergeremus tecum? Igitur incendemus domum tuam.* In Hebraeo est hoc illorum dictum adhuc iniuriosius: incendemus domum tuam *super te* (עָלֶיךָ) ut intelligatur ipsos una cum Jephte ipso domum illius incendio vastare voluisse. Falsum autem erat, quod illos non vocaverit. Nam sic illos refellit. 2. *Quibus ille respondit: disceptatio erat mihi, et populo meo contra filios Ammon vehemens, vocavique vos, ut praeberetis mihi auxilium, et facere noluistis.* 3. *Quod cernens posui animam meam in manibus meis* hoc more loquendi Hebraeorum significat vitam discrimini exponere, quod similia Scripturae loca plura

plura confirmant ut 1. Reg. 19. v. 6. Job. 13. v. 14. etc. Nam, cum res pretiosae reconditae portari soleant; id, quod aperte fertur in manibus direptionis periculo exponitur: *transivique ad filios Ammon, et tradidit eos Dominus in manus meas. Quid commerui, ut adversum me consurgatis in praelium?* 4. *Vocatis itaque ad se cunctis viris Galaad pugnabat contra Ephraim, percusseruntque viri Galaad Ephraim, quia dixerat: fugitivus est Galaad de Ephraim, et habitat in medio Ephraim, et Manasse.* Dicere volebant isto convitio, Galaaditas esse veluti fugitivos, et degeneres ab Ephraim. Nam, cum Ephraim, et Manasse ab eodem Joseph originem ducerent, mediaque Manasses tribus, quae in citeriore Jordanis parte habitaret, finitima tribui Ephraim mansisset, contiguamque inter se regionem habuissent; Galaaditae, ex quibus altera pars tribus Manasse constaret, ab illis se habitando disiunxerant, atque procul ultra Jordanem erant. Hoc ergo, quod ab altera tribus Manasse parte, itemque a ceteris tribubus Jordane seiuncti essent, vitio illis dabant. Quo illud quoque pertinet, quod de illis itidem convitiose dicebant: *habitat in medio Ephraim, et Manasse.* Quod non de situ loci intelligendum est, in quo Galaad habitaret, cum, ut iam dictum est, ultra Jordanem separatim ab alia media tribu Manasse, et Ephraim habitandi locum haberet; sed quod medius inter Ephraim et alteram mediam tribum Manasse sic esset, ut nec ad unam, nec ad alteram

pertineat. Est ergo hoc *in medio* pro eo positum, quod quasi interpositum alteri efficit separationem.

5. *Occupaveruntque Galaaditae vada Jordanis, per quae Ephraim reversurus erat.* Nimirum Ephraimitae ex ea parte, quae trans Jordanem erat, et ex regione Galaad, quo lacessendi causa Galaaditas transiverant, cum infeliciter pugna ipsis cessisset, dispalati redibant domum. *Cumque venisset ad ea de Ephraim numero fugiens, atque dixisset: obsecro, ut me transire permittatis, dicebant ei Galaaditae: numquid Ephrataeus es?* Particulari loci nomine, qui in tribu Ephraim esset, tota Ephraim tribus denominatur. *Quo dicente: non sum,* 6. *interrogabant eum: dic ergo Schibboleth, quod interpretatur spica. Qui respondebat Sibboleth, eadem litera spicam exprimere non valens: statimque apprehensum iugulabant in ipso Jordanis transitu. Et ceciderunt in illo tempore de Ephraim quadraginta duo millia:* nimirum, partim in praelio illo, quod cum Galaaditis gesserunt, partim in vado deinde Jordanis, cum redire domum ex fuga conati fuissent.

7. *Judicavit itaque Jephte Galaadites Israel sex annis, et mortuus est, ac sepultus in civitate sua Galaad* hoc est in civitate sua regionis Galaad. Regionis enim, non urbis hoc nomen est. 8. *Post hunc iudicavit Israel Abesan de Bethlehem.* 9. *Qui habuit triginta filios, et totidem filias: quas emittens foras maritis dedit, et eiusdem numeri filiis suis accepit uxores introducens in domum suam,*

Qui septem annis iudicavit Israel. 10. *Mortuusque est, ac sepultus in Bethlehem.* 11. *Cui successit Ahialon Zabulonites, et iudicavit Israel decem annis.* 12. *Mortuusque est, ac sepultus in Zabulon.* 13. *Post hunc iudicavit Israel Abdon filius Illel Pharathonites.* 14. *Qui habuit quadraginta filios, et triginta ex eis nepotes adscendentes super septvaginta pullos asinarum:* quod eo pertinet, ut intelligatur omnes iam eam, qua sic vehi possent, attigisse aetatem, *et iudicavit Israel octo annis.* 15. *Mortuusque est, ac sepultus in Pharathon terrae Ephraim in monte Amalec.*

CAPVT XIII.

Philisthaeorum subeunt Israelitae servitutem. Samsonis parentes Angelus certos facit de futura prole, et modum eos docet, quo illam educare debeant.

1. *RVRSVMQVE filii Israel fecerunt malum in conspectu Domini, qui tradidit eos in manus Philisthinorum quadraginta annis.* De annis istis, quando coeperint, et quando desierint, quaestio ab Interpretibus agitari solet. Samson, de quo nunc sequetur narratio, iudicatum tenuit annis viginti. Infra capitis 16. v. 31. Est autem natus, cum iam Israelitae premerentur servitute a Philisthaeis, ut hoc perspicuum est ex versu huius capitis quinto. Ad iuvenilem autem aetatem, et ad annos circiter

viginti ipsum oportuit pervenire, antequam res illas tantas, et tantarum virium, quae de eo narrabuntur, ageret. Itaque illorum annorum initium viginti circiter annis ante illius nativitatem, eorum vero finem in ipsius obitu oportet constituere. Tum enim Samson omnium gravissimam plagam inflixit Philisthaeis, quando ad casum impulso templo in illo trium millium hominum numero, quos tum interfecit, Philisthaeorum omnes principes fuerunt ab eo occisi ut est infra cap. 16. v. 30. Qua edita strage procul dubio se se Israelitae ex illa servitute erexerint quamvis brevi iterum sub Heli, et Saule gravius denuo pressi sint: et quod illorum iugum nonnisi postea a Davide penitus excussum est. 2. Reg. 8. v. 1.

2. *Erat autem quidam vir de Saraa, et de stirpe Dan nomine Manue habens uxorem sterilem.* 3. *Cui apparuit angelus Domini, et dixit ad eam: sterilis es, et absque liberis, sed concipies, et paries filium.* 4. *Cave ergo, ne bibas vinum, ac siceram, nec immundum quidquam comedas.* Sicera adpellabatur omne potionis genus, quod inebriare posset. Qua de re iam ad Deut. 29. v. 6. dictum est. 5. *Quia concipies, et paries filium, cuius non tanget caput novacula. Erit enim Nozaraeus Dei ab infantia sua, et ex matris utero, et ipse incipiet liberare Israel de manu Philisthinorum.* Nazaraeus Dei significat Deo consecratum. De qua consecratione Num. 6. v. 2. actum est. 6. *Quae cum venisset ad maritum suum, dixit ei: vir Dei*

venit ad me habens vultum angelicum terribilis nimis. Hebraeum *Nora* quod Latinus Interpres vertit terribilem, non semper terrificum, significat, sed tantum etiam venerandum. *Quem cum interrogassem, quis esset, et unde venisset, et quo nomine vocaretur, noluit mihi dicere.* Videtur discrepantia esse lectionis inter nostram Versionem Latinam, et inter textum Hebraeum. Nam Hebraeum textum, sic nunc vulgo vertunt: *Et non interrogavi eum, unde esset* (וְלֹא שְׁאִלְתִּהוּ אֵי־מִזֶּה) At verbum Hebraicum *Schaal*, quod quidem saepe alias tantum petendi, interrogandique, hic nunc ampliorem significationem habet, ut etiam impetrationem rei, quae petebatur, comprehendat. Cumque in praesenti loco adiecta particula negativa: *non* sit, efficitur sensus: a muliere, quod petebatur, impetratum non esse. De tali significatione verbi *Schaal* exemplum est 4. Reg. 6. v. 5. Ubi pro eo etiam Latinus Interpres verbum *acceperam* posuit. Cuius generis plura ostendere possem exempla, sed argumenti gravitas non est talis, ut hic moram diutius faciamus. 7. *Sed hoc respondit: ecce concipies, et paries filium. Cave, ne vinum bibas, nec siceram, et ne aliquo vescaris immundo. Erit enim puer Nazaraeus Dei ab infantia sua ex utero matris suae usque ad diem mortis suae.*

8. *Oravit itaque Manue Dominum, et ait: obsecro Domine: ut vir Dei, quem misisti, veniat iterum, et doceat nos, quid debeamus facere de puero, qui nasciturus est.* 9. *Exaudivitque Domi-*

nus deprecantem Manue, et apparuit rursus Angelus Dei uxori eius sedenti in agro. Manue autem maritus eius non erat cum ea. Quae cum vidisset Angelum, 10. *festinavit, et cucurrit ad virum suum, nunciavitque ei dicens: ecce apparuit mihi vir, quem ante videram.* 11. *Qui surrexit, et secutus est uxorem suam, veniensque ad virum dixit ei: tu es, qui locutus es mulieri? Et ille respondit: ego sum.* 12. *Cui Manue: quando, inquit, sermo tuus fuerit expletus, quid vis, ut faciat puer? aut a quo se observare debebit?* 13. *Dixitque Angelus Domini ad Manue: ab omnibus, quae locutus sum uxori tuae, abstineat se.* 14. *Et quidquid ex vinea nascitur, non comedat, vinum, et siceram non bibat, nullo vescatur immundo, et quod ei praecepi, impleat, atque custodiat.* 15. *Dixitque Manue ad Angelum Domini: obsecro te, ut acquiescas precibus meis, et faciamus tibi hoedum de capris.* 16. *Cui respondit Angelus: si me cogis, non comedam panes tuos; si autem vis holocaustum facere, offer illud Domino. Et nesciebat Manue, quod Angelus Domini esset.* 17. *Dixitque ad eum: quod est tibi nomen, ut si sermo tuus fuerit expletus, honoremus te?* 18. *Cui ille respondit: cur quaeris nomen meum, quod est mirabile?* Chaldaeus vertit: *quod est arcanum.* Cum Angelus, ut iam saepe de eiusmodi apparitionibus demonstratum est, Dei nomine loqueretur, illiusque sibi personam impositam haberet; ipsius nomen quoque mirabile fuit, et arcanum.

19. *Tulit itaque Manue hoedum de capris, et libamenta, et posuit super petram offerens Domino, qui facit mirabilia. Ipse autem, et uxor eius intuebantur.* 20. *Cumque adscenderet flamma altaris in caelum, Angelus Domini pariter in flamma adscendit. Quod cum vidissent Manue, et uxor eius, proni ceciderunt in terram.* 21. *Et ultra eis non apparuit Angelus Domini: statimque intellexit Manue Angelum Domini esse.* 22. *Et dixit ad uxorem suam: morte moriemur, quia vidimus Dominum.* In Hebraeo nomen *Elohim* est, quod etiam angelis, quin viris etiam principibus tribui solet. Exod. 21. v. 6. Psal. 81. v. 6. Istam tantum meram persvasionem fuisse, si quis Deum, vel saltem angelum vidisset, moriendum esse, cum per se hinc perspicitur, neque enim Manue propterea mortuus est; tum alias iam etiam de hoc argumento, et non pridem supra ad cap. 6. v. 22. dictum est. 23. *Cui respondit mulier: si Dominus nos vellet occidere, de manibus nostris holocaustum, et libamenta non suscepisset, nec ostendisset nobis haec omnia, neque ea, quae sunt ventura, dixisset.* 24. *Peperit itaque filium, et vocavit nomen eius Samson. Crevitque puer, et benedixit ei Dominus.* 25. *Coepitque Spiritus Domini esse cum eo in castris Dan inter Saraa, et Esthaol.* Civitatum haec fuerunt in tribu Dan nomina.

CAPVT XIV.

Uxorem genere Philisthaeam ducit Samson. Lacerat leonem, ex illiusque ore postea favum mellis excipit, qua de re aenigma proponit suis in nuptiis sodalibus.

1. D*ESCENDIT ergo* Hebraice: *Et descendit* (וַיֵּרֶד) *Samson in Thamnatha*, civitas haec erat in tribu Juda Jos. 15. v. 17. *vidensque ibi mulierem de filiabus Philisthiim*, 2. *adscendit, et nunciavit patri suo, et matri suae dicens: vidi mulierem in Thamnatha de filiabus Philisthinorum, quam quaeso, ut mihi accipiatis uxorem.* 3. *Cui dixerunt pater, et mater sua: numquid non est mulier in filiabus fratrum tuorum, et in omni populo meo, quia vis accipere uxorem de Philisthiim, qui incircumcisi sunt? Dixitque Samson ad patrem suum: hanc mihi accipe, quia placuit oculis meis.* 4. *Parentes autem eius nesciebant, quod res a Domino fieret, et quaereret occasionem contra Philisthiim:* nempe Samson. *Eo enim tempore Philisthiim dominabantur Israeli.* 5. *Descendit itaque Samson cum patre suo, et matre in Thamnatha.* Primum Samson solus descendit petendi causa illam sibi uxorem: ad nuptias autem iverunt postea etiam illius parentes. Descensus ergo hic utrorumque Samsonis, et parentum illius coniunctim, sed sine adiunctis est propositus, qui deinde cum aliis adiunctis accuratius explicatur. In isto enim suo

descensu discerpsit leonem, cuius conscii non erant ipsius parentes; fuissent autem, si illud iter una fecissent.

Cumque venisset ad vineas oppidi, ad quod ibat, *apparuit catulus leonis saevus, et rugiens, et occurrit ei.* 6. *Irruit autem Spiritus Domini in Samson, et dilaceravit leonem, quasi hoedum in frusta discerpens nihil omnino habens in manu, et hoc patri, et matri noluit indicare.* 7. *Descenditque, et locutus est mulieri, quae placuerat oculis eius.* 8. *Et post aliquot dies revertens, ut acciperet eam, declinavit, ut videret cadaver leonis, et ecce examen apum in ore leonis erat, ac favus mellis.* In Hebraeo est *in cadavere* (גְוִיַּת) leonis repertum esse illud mel. Traduntur vero apes eius naturae esse, ut ad tabem, putredinem, vel sangvinem non prope accedant Quamobrem longius aliquod tempus necesse fuit intercedere, donec leonis cadaver putredine consumeretur, et exsiccata sola ossa relinquerentur, ubi apes favos struerent. In Hebraeo non est Samsonem esse reversum post aliquot dies, sed est sic: *Et rediit post dies:* (וַיָּשָׁב מִיָּמִים) Dies autem sic ponendo Hebraeis intelligi solet annus, quod exempla complura demonstrant Levit. 25. v. 29. Exod. 13. v. 10. 1. Reg. 1. v. 2. Ubi pro diebus sic in Hebraeo positis etiam Latinus Interpres vertit annum. Post annum igitur rursus rediit Samson ad suam sponsam. Nam apud Hebraeos morem fuisse, ut inter sponsalia, et nuptias annus intercederet, docent etiam Hebraeorum Rabbini apud Cal-

metum. 9. *Quem cum sumpsisset in manibus, comedebat in via, veniensque ad patrem suum, et matrem dedit eis partem, qui et ipsi comederunt: nec tamen eis voluit indicare, quod mel de corpore leonis adsumpserat.* 10. *Descendit itaque pater eius ad mulierem, et fecit filio suo Samson convivium. Sic enim iuvenes facere consveverant.* In Hebraeo non est *filio suo*, sed absque hoc sic, ut non pater, sed ipse Samson possit intelligi, fecisse hoc convivium: וַיַּעַשׂ שָׁם שִׁמְשׁוֹן מִשְׁתֶּה *Et fecit ibi Samson convivium.* Sicque de Samsone etiam Septvaginta verterunt, deinde Arabs, et Syrus; sicque hoc melius etiam cohaeret cum eo, quod subsequitur: *Sic enim iuvenes facere consveverant*, ut intelligatur, id quod antecessit, etiam fuisse dictum de Samsone.

11. *Cum ergo cives loci illius vidissent eum, dederunt ei sodales triginta, ut essent cum eo.* In Hebraeo nihil est hic de civibus loci illius, sed est sic: *Et factum est, cum vidissent eum* (וַיְהִי כִּרְאוֹתָם אוֹתוֹ) nimirum parentes sponsae: atque hi ei adsociarunt triginta sodales. Id, quod intelligitur etiam ex versu huius capitis 15. ubi illi sodales minabantur sponsae, se se illam cum domo patris combusturos, nisi problematis solutionem, quod ipsis Samson proposuerat, ex illo resciret, ipsisque indicaret. An idcirco, inquiebant, vocastis nos ad nuptias, ut spoliaretis? De illa autem, et parentibus ipsius hoc ita illi dixerunt,

12. *Quibus locutus est Samson: proponam vobis problema, quod si solveritis mihi intra septem dies convivii, dabo vobis triginta sindones, et totidem tunicas.* 13. *Sin autem non potueritis solvere, vos dabitis mihi triginta sindones, et eiusdem numeri tunicas. Qui responderunt ei: propone problema, ut audiamus.* 14. *Dixitque eis: de comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo. Nec potuerunt per tres dies propositionem solvere.* 15. *Cumque adesset dies septimus, dixerunt ad uxorem Samson: blandire viro tuo, et suade ei, ut indicet tibi, quid significet problema. Quod si facere nolueris, incendemus te, et domum patris tui. An idcirco vocastis nos ad nuptias, ut spoliaretis?* 16. *Quae fundebat apud Samson lacrimas, et querebatur dicens: odisti me, et non diligis: idcirco problema, quod proposuisti filiis populi mei, non vis mihi exponere. At ille respondit: patri meo, et matri nolui dicere, et tibi indicare potero?* 17. *Septem igitur diebus convivii flebat ante eum; tandemque die septimo cum ei esset molesta, exposuit. Quae statim indicavit civibus suis.* 18. *Et illi dixerunt ei die septimo ante solis occubitum: quid dulcius melle, et quid fortius leone? Qui ait ad illos: si non arassetis in vitula mea, non invenissetis propositionem meam.* Arare in vitula aliena est adagium etiam apud Graecos usitatum, significatque uti alterius adiumento ad rem suam. 19. *Irruit itaque in eum Spiritus Domini, descenditque Ascalonem,* una haec

ex praecipuis civitatibus fuit Philisthaeorum, *et percussit ibi triginta viros, quorum ablatas vestes dedit iis, qui problema solverant. Iratusque nimis descendit in domum patris sui.* Ira videtur inde haec fuisse, quod sponsa solutionem problematis indicaverit nuptiarum sodalibus, et quo offenso illius animo cognito postea parentes filiam suam, quae illius erat sponsa, nuptum dederunt alteri. 20. *Uxor autem eius accepit maritum unum de amicis eius, et pronubis:* id est, unum ex illius sodalibus in nuptiis, et paranymphis.

CAPVT XV.

Samson trecentas vulpes, quarum caudis essent alligatae accensae faces, immittit in Philisthaeorum segetes. Maxilla asini interficit mille Philisthaeos.

---

1. *POST aliquantum autem temporis* Hebraice: *Et fuit post dies* (וַיְהִי מִיָּמִים) Quo eodem superioris capitis versu 8. demonstratum est, significari annum. Et veri simile est, socerum Samsonis non fuisse collocaturum filiam suam nuptum alteri marito, nisi maius aliquod spatium, quo Samson emansit ab uxore, intercessisset: *cum dies triticeae messis instarent, venit Samson invisere volens uxorem suam, et attulit ei hoedum de capris. Cumque cubiculum eius solito vellet intrare, prohibuit eum pater illius dicens:* 2. *Putavi, quod*

odisses eam, et ideo tradidi illam amico tuo, sed habet sororem, quae iunior, et pulchrior illa est: sit tibi pro ea uxor. 3. *Cui Samson respondit: ab hac die non erit culpa in me contra Philisthaeos. Faciam enim vobis mala.* 4. *Perrexitque, et cepit trecentas vulpes, caudasque earum iunxit ad caudas, et faces ligavit in medio.* 5. *Quas igne succendens dimisit, ut huc, illucque discurrerent. Quae statim perrexerunt in segetes Philisthinorum. Quibus succensis, et comportatae iam fruges, et adhuc stantes in stipula concrematae sunt in tantum, ut vineas quoque, et oliveta flamma consumeret.* E compluribus Scripturae locis perspicitur Palaestinam vulpium admodum feracem fuisse, quare quaedam etiam integra loca, et oppida, ut Hazersual, quod significat atrium vulpium, Josue 15. v. 28. et Salabim Jos. 19. v. 42. itidem a vulpibus sic adpellatum, denominationem acceperint. Nec illud dicitur, quod illas momento temporis omnes ceperit. Potuit ergo in illis capiendis plures insumere dies, praeterea plurium etiam adhibere aliorum manus, dum illum trecentarum vulpium numerum conficeret.

6. *Dixeruntque Philisthiim: quis fecit hanc rem? Quibus dictum est: Samson gener Thamnathaei, quia talit uxorem eius, et alteri tradidit, haec operatus est. Adscenderuntque Philisthiim, et combusserunt tam mulierem, quam patrem eius.* 7. *Quibus ait Samson: licet haec feceritis, tamen adhuc ex vobis expetam ultionem, et tunc quiescam.*

8. *Percussitque eos ingenti plaga, ita ut stupentes suram femori imponerent.* Hoc Hebraice est sic: *Et percussit eos sura super femur plaga magna* (וַיַּךְ אוֹתָם שׁוֹק עַל־יָרֵךְ) Quod Hebraei sic intelligunt, ut Samson sura sua, et calcibus femora feriendo Philisthaeorum illorum hanc stragem ediderit. De corporis vero situ illorum inter stupendum, quem praese fert versio nostra Latina, hoc accepit etiam S. Augustinus Quaest. 55. in Jud. „Ita enim di„ctum est, inquit, ac si diceretur: percussit eos „valde mirabiliter, id est, ut admirando stupen„tes tibiam super femur ponerent: tibiam scilicet „unius pedis, super femur alterius, sicut solent „sedere, qui mirando stupent.“ Sicque planior est explicatio, et propterea priori anteponenda.

Et descendens habitavit in spelunca petrae Etam. Est haec civitas in tribu Simeon, in finibus tribus Dan 1. Par. 4. v. 42. *Igitur adscendentes Philisthiim* 9. *in terram Juda, castrametati sunt in loco, qui postea vocatus est Lechi, id est maxilla, ubi eorum effusus est exercitus.* Factum hoc infra proxime sequetur. 10. *Dixeruntque ad eos de tribu Juda: cur adscendistis adversum nos? Qui responderunt: ut ligemus Samson, venimus, et reddamus ei, quae in nos operatus est.* 11. *Descenderunt ergo tria millia virorum de Juda ad specum silicis Etam, dixeruntque ad Samson: nescis, quod Philisthiim imperent nobis? quare hoc facere voluisti? Quibus ille ait: sicut fecerunt mihi, sic feci eis.* 12. *Ligare, inquiunt, te venimus,*

et tradere in manus Philisthinorum. Quibus Samson: iurate, ait, et spondete mihi, quod non occidatis me. 13. *Dixerunt: non te occidemus, sed vinctum trademus. Ligaveruntque eum duobus novis funibus, et tulerunt eum de petra Etam.* 14. *Qui cum venisset ad locum maxillae, et Philisthiim vociferantes occurrissent; irruit Spiritus Domini in eum, et sicut solent ad odorem ignis ligna consumi, ita vincula, quibus ligatus erat, dissipata sunt, et soluta.* 15. *Inventamque maxillam, id est mandibulam asini, quae iacebat, arripiens, interfecit in ea mille viros.* 16. *Et ait: in maxilla asini, in mandibula pulli asinarum delevi eos, et percussi mille viros.* 17. *Cumque haec verba canens complesset, proiecit mandibulam de manu, et vocavit nomen loci illius Ramathlechi, quod interpretatur elevatio maxillae.* 18. *Sitiensque valde clamavit ad Dominum, et ait: tu dedisti in manu servi tui salutem hanc maximam, atque victoriam. En siti morior, incidamque in manus incircumcisorum.* 19. *Aperuit itaque Dominus molarem dentem in maxilla asini, et egressae sunt ex eo aquae. Quibus haustis refocillavit spiritum, et vires recepit. Idcirco adpellatum est nomen loci illius: Fons invocantis de maxilla usque in praesentem diem.* 20. *Judicavitque Israel in diebus Philisthiim viginti annis:* hoc est in diebus, quibus Philisthaei dominatum supra Israelitas exercerent.

CAPVT XVI.

Samson portas urbis Gazae defert ad montem. A Dalila proditus venit in manus Philisthaeorum, qui eum oculis privant. Subvertit templum Dagon, illiusque casu tria millia Philisthaeorum, seque una perimit.

1. *ABIIT quoque in Gazam*, urbs haec Philisthaeorum omnium prima fuit, *et vidit ibi mulierem meretricem, ingressusque est ad eam.* Pro meretrice in Hebraeo vocabulum est *Zonah* quod non semper reipsa meretricem significare, sed tantum cauponariam etiam feminam ad Josue 2. v. 1. dictum est. In priore nihilominus sensu istud esse hic sumendum, rationes sunt, quod Dalilam quoque sic a Samsone esse amatam, infra versu 4. dicetur; et quod ingredi ad aliquam feminam, plerumque in Scriptura, ut Gen. 16. v. 2. et capitis 30. v. 3. saepeque alibi, pro complexu maritali positum reperiatur. Confirmat hanc rem et illud, quod de muliere hac, ad quam Samson dicitur esse ingressus, sit prius, quod illam viderit. Quod denotat sibi illam complacuisse, quemadmodum hoc idem etiam de illa femina Philisthaea est supra cap. 14. v. 1. quod illam viderit. Vidit autem ipsam sic, ut ipsam etiam uxorem duxerit.

2. *Quod cum audissent Philisthiim, et percrebuisset apud eos intrasse urbem Samson, circumdederunt*

cumdederunt eum positis in porta civitatis custodibus, et ibi tota nocte cum silentio praestolantes, ut facto mane exeuntem occiderent. 3. *Dormivit autem Samson usque ad medium noctis, et inde consurgens apprehendit ambas portae fores cum postibus suis, et sera, impositasque humeris suis portavit ad verticem montis, qui respicit Hebron.* 4. *Post haec amavit mulierem, quae habitabat in valle Sorec, et vocabatur Dalila.* Vallis Sorec, iuxta S. Hieronymum, non procul ab urbe Eleutheropoli erat Boream versus. Legitimi thori usum Samsoni intercessisse cum Dalila, sensit S. Chrysostomus Hom. 17. Ex variis in Matth. locis, et S. Ephrem serm. adv. improbas mulieres. At vero S. Hieronymus epist. 126. ad Evagrium, et S. Ambrosius epist. 24. ipsum fuisse illicito amore Dalilae copulatum, hancque fuisse meretricem senserunt. Quam horum sententiam haec insuper confirmant, quod mulierem hanc Samson tantum dicitur amasse: utique si eam coniugio etiam sibi copulavisset; istud potius Scriptura dixisset, non tantum amorem commemoravisset, ut hoc factum est ab ea, quando narrationem instituit de Philisthaea, quam vere sibi copulavit uxorem: deinde, si Dalila Samsonis fuisset vere uxor, illane ipsum prodidisset Philisthaeis, aut hancne idoneam ipsi Philisthaei putassent, cuius opera uterentur ad eum fallendum, et comprehendendum? denique corruptio ipsius per pecuniam, et cum Samsonem a se repulit, postquam ei capillos rescidit, quid aliud

denotat, quam fuisse hanc feminam nonnisi meritoriam, quae fidem, et pudicitiam suam haberet venalem?

5. *Veneruntque ad eam principes Philisthinorum, atque dixerunt: decipe eum, et disce ab illo, in quo habeat tantam fortitudinem, et quo modo eum superare valeamus, et vinctum affligere. Quod si feceris, dabimus tibi singuli mille, et centum argenteos.* Argentei valor ad Gen. 20. v. 16. explicatus est, valuisse nimirum nostri floreni duas partes tertias. In quinque autem dynastias, ut est supra cap. 3. v. 3. divisi erant Philisthaei, ac proinde totidem erant principes. 6. *Locuta est ergo Dalila ad Samson: dic mihi obsecro, in quo sit tua maxima fortitudo, et quid sit, quo ligatus erumpere nequeas?* 7. *Cui respondit Samson: si septem nerviceis funibus necdum siccis, et adhuc humentibus ligatus fuero, infirmus ero, ut ceteri homines.* 8. *Attulerunt ad eam satrapae Philisthinorum septem funes, ut dixerat, quibus vinxit eum* 9. *latentibus apud se insidiis, et in cubiculo finem rei exspectantibus, clamavitque ad eum: Philisthiim super te Samson. Qui rupit vincula, quomodo si rumpat quis filum de stuppae tortum putamine, cum odorem ignis acceperit. Et non est cognitum, in quo esset fortitudo eius.* 10. *Dixitque ad eum Dalila: ecce illusisti mihi, et falsum locutus es. Saltem nunc indica mihi, quo ligari debeas.* 11. *Cui ille respondit: si ligatus fuero novis funibus, qui numquam fuerunt in opere, in-*

firmus ero, et aliorum hominum similis. 12. *Quibus rursum Dalila vinxit eum, et clamavit: Philisthiim super te Samson, in cubiculo insidiis praeparatis. Qui ita rupit vincula quasi fila telarum.* 13. *Dixitque Dalila rursum ad eum: usquequo decipis me, et falsum loqueris? Ostende, quo vinciri debeas. Cui respondit Samson: si septem crines* Hebraice *cincinnos* (מַחְלְפוֹת) *capitis mei cum licio plexueris, et clavum his circumligatum terrae fixeris, infirmus ero.* Licia vocantur fila, quibus alligantur stamina, dum textura fit. 14. *Quod cum fecisset Dalila, dixit ad eum: Philisthiim super te Samson. Qui consurgens de somno extraxit clavum cum crinibus, et licio.* 15. *Dixitque ad eum Dalila: quomodo dicis, quod amas me, cum animus tuus non sit mecum? Per tres vices mentitus es mihi, et noluisti dicere, in quo sit maxima fortitudo tua.*

16. *Cumque molesta esset ei, et per multos dies iugiter adhaereret spatium ad quietem non tribuens, defecit anima eius, et ad mortem usque lassata est.* 17. *Tunc aperiens veritatem rei dixit ad eam: ferrum numquam adscendit super caput meum, quia Nazaraeus id est consecratus Deo sum de utero matris meae: si rasum fuerit caput meum, recedet a me fortitudo mea, et deficiam, eroque sicut ceteri homines.* 18. *Vidensque illa, quod confessus ei esset omnem animum suum, misit ad principes Philisthinorum, ac mandavit: adscendite adhuc semel, quia nunc mihi aperuit cor*

suum. Qui adscenderunt adsumpta pecunia, quam promiserant. 19. *At illa dormire eum fecit super genua sua, et in sinu suo reclinare caput, vocavitque tonsorem, et rasit septem crines eius* in Hebraeo rursus ut antea cincinni sunt: quoniam vero septenario numero Scriptura solet uti pro rei alicuius universitate exprimenda, ut hoc ad Levit. 26. v. 18. demonstratum est; etiam hic per septem cincinnos omnes illius intelliguntur capilli, ita ut caput integre illi raserit: *et coepit abigere eum, et a se repellere. Statim enim ab eo fortitudo discessit.* 20. *Dixitque: Philisthiim super te Samson. Qui de somno consurgens dixit in animo suo: egrediar, sicut ante feci, et me excutiam, nesciens, quod recessisset ab eo Dominus.* 21. *Quem cum adprehendissent Philisthiim, statim eruerunt oculos eius, et duxerunt Gazam vinctum catenis, et clausum in carcere molere fecerunt.* Erat enim antiquitus molendi talis consvetudo, ut frumentum in mortariis pistillis contunderent. Ad eum usum aptum habuerunt Samsonem, cuius tantae vires fuissent.

22. *Jamque capilli eius renasci coeperant.* 23. *Et principes Philisthinorum convenerunt in unum, ut immolarent hostias magnificas Dagon deo suo, et epularentur dicentes: tradidit deus noster inimicum nostrum Samson in manus nostras.* 24. *Quod etiam populus videns laudabat deum suum, eademque dicebat: tradidit deus noster adversarium nostrum in manus nostras, qui delevit terram nostram, et occidit plurimos.* 25. *Laetantesque per*

convivia sumptis iam epulis praeceperunt, ut vocarent Samson, et ante eos luderet. Ad templum autem, ibi enim more gentilium epulae illae celebratae sunt. Quomodo vero ludere debuit? nimirum saltu, atque cantu, ut sic ludicrum ex se spectaculum illis praeberet. Quomodo ludendi verbum etiam Exodi 32. v. 6. sumptum est: „Sedit po„pulus manducare, et bibere, et surrexerunt lu„dere.“ Hocque per choreas, et cantum esse factum, ibi ex eiusdem capitis versu 18. et 19. perspicuum fit. *Qui adductus de carcere ludebat ante eos, feceruntque eum stare inter duas columnas.* 26. *Qui dixit puero regenti gressus suos: dimitte me, ut tangam columnas, quibus omnis imminet domus, et recliner super eas, et paululum requiescam.* 27. *Domus autem erat plena virorum, ac mulierum, et erant ibi omnes principes Philisthinorum, ac de tecto, ac solario circiter tria millia utriusque sexus spectantes ludentem Samson.* 28. *At ille invocato Domino ait: Domine Deus memento mei, et redde mihi nunc fortitudinem pristinam, Deus meus! ut ulciscar me de hostibus meis, et pro amissione duorum luminum unam ultionem recipiam.* 29. *Et adprehendens ambas columnas, quibus innitebatur domus, alteramque earum dextera, et alteram laeva tenens* 30. *ait: moriatur anima mea cum Philisthiim, concussisque fortiter columnis cecidit domus super omnes principes, et ceteram multitudinem, quae ibi erat, multoque plures interfecit moriens, quam ante vivus occiderat.*

31. *Descendentes autem fratres eius, et universa cognatio tulerunt corpus eius, et sepelierunt inter Saraa, et Esthaol in sepulchro patris sui Manue. Judicavitque Israel viginti annis.* Fratres, consvetudine Scripturae, etiam ceteri propinqui, qui non sunt vere fratres, dicuntur. Dum Samson concussis columnis ad casum impulit domum, quin suam etiam, quam inde consequi necesse esset necem, praemeditatus sit, praeque oculis habuerit, dubium non est. Sic enim se ad facinus illud animans dicebat: *Moriatur anima mea cum Philisthiim.* Qua de re sic pronunciat S. Augustinus l. 1. de Civ. Dei cap. 21. „Nec Samson aliter, inquit, „excusatur, quod seipsum cum hostibus ruina do„mus oppressit; nisi quia Spiritus latenter hoc ius„serat, qui per illum miracula faciebat.“ S. Ambrosius vero epist. 70. etiam triumpho ipsius mortem comparat, siquidem non ipse sibi manus attulerit, sed tantum cum hostes feriret, ipse una etiam cum illis eadem strage oppressus sit. „Virtutis igi„tur est, inquit, quod victoriarum numero diem „clausit, nec captivum exitum, sed triumphalem „invenit: denique non telis, sed cadaveribus ho„stium pressus humatus est proprio tectus trium„pho.“ In Samsone sancti Patres, aliique Interpretes passim typum Christi agnoscunt. Cuius illa mirabilis fortitudo, et praesertim, quod morte cum cladem hostibus, suis vero salutem peperit; Christi adversus generis humani hostem potentiam, ipsiusque mortem figuraverit exitiosam diabolo, sa-

luciferam vero mundo. „In Christi passione, ait „S. Paulinus epist. 4. Zaboli (diaboli) domus cecidit, et regnum mortis solutum est. Itaque mortem ipsam moriendo destruxit solvens inimicitias in carne sua.“

CAPVT XVII.

Michae cuidam ex tribu Ephraim mater fieri curat idolum: cui is primo filium, deinde vero Levitam Bethlehemitem sacerdotem praeficit.

1. *FVIT eo tempore vir quidam de monte Ephraim nomine Michas.* Istud: *eo tempore* nec in Hebraeo existit, nec habent Interpretes Septvaginta. Nam hinc sequeretur, quasi hoc, quod modo de Micha narratur, acciderit Samsonis aetate. At vero prius hoc accidisse deducitur inde, quod adolescens iste, quem Michas sibi conduxit sacerdotem, infra capit. 18. v. 30. filius Gersam ostendatur fuisse, Moysisque, ex hoc Gersam filio, nepos. Quem Gersam, cum Moyses susceperit, quando greges sui soceri pavit in deserto, et antequam dux esset factus populi; longius est intervallum, quam, ut nepos iste Moysis, et quidem adhuc adolescens, si modo haec res esset gesta sub Samsone, in ista aetate, aut etiam in vita fuerit. Nam trecenti, et viginti anni intercesserunt ab eo tempore, quo Moyses dux factus est, usque ad iudicatum Samsonis.

Quod declarat ratio annorum in Chronologica tabella ad huius libri caput tertium. 2. *Qui dixit matri suae: mille, et centum argenteos, quos separaveras tibi, et super quibus me audiente iuraveras, ecce ego habeo, et apud me sunt.* De valore argentei dictum est etiam ad superioris capitis versum quintum. *Cui illa respondit: benedictus filius meus Domino.*

3. *Reddidit ergo eos matri suae, quae dixerat ei: consecravi, et vovi hoc argentum Domino, ut de manu mea suscipiat filius meus, et faciat sculptile, atque conflatile, et nunc trado illud tibi.* 4. *Reddidit igitur eos matri suae, quae tulit ducentos argenteos, et dedit eos argentario, ut faceret ex eis sculptile, atque conflatile, quod fuit* (esset) *in domo Michae.* 5. *Qui aediculam quoque in ea deo separavit* in Hebraeo est nomen *Elohim*, quod falsis etiam diis tribui consvevit, et hanc aediculam esse praeparatam ad illud idolum, quod Michae mater curaverat, ut ibi collocaretur, sponte sua ex narratione hac intelligitur: *et fecit ephod, et theraphim, id est vestem sacerdotalem, et idola, implevitque unius filiorum suorum manum, et factus est ei sacerdos.* Ephod, qualenam genus vestitus fuerit, Exod. 25. v. 7. Theraphim autem, quid fuerit, Gen. 31. v. 19. explicatum est. Implere manum, idem est, quod initiare ad sacerdotium, fiebatque traditione victimae ad manum. Exod. 29. v. 20, 24. Est vero hic considerandum, ubi mulier haec versu 3. argentum hoc, ex quo

fabricandum postea curaverat sculptile, dicitur Domino consecravisse, et vovisse; esse in Hebraeo Jehova, quod veri Dei nomen est. Vel ergo illa praepostere ipsius veri Dei aliquod simulacrum curaverat effingendum; vel veri Dei Religionem cum ex parte adhuc retineret; huic superstitiose idoli etiam cultum coniunxit, et utrumque confudit. Quod idem fecerunt etiam postea Cuthaei in Samaria 4. Reg. 17. v. 33. Quos cum Assyriorum rex ex Assyria in Samariam misisset in locum Israelitarum, quos in captivitatem abduxerat, eosque Religionis ritum, quem Israelitae vero Deo exhibuerunt, edoceri iussisset; illi postea et hunc erga Israelitarum Deum cultum exercuerunt, unaque more suo pristino idola coluerunt.

6. *In diebus illis non erat rex in Israel, sed unusquisque, quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat.* 7. *Fuit quoque alter adolescens de Bethlehem Juda ex cognatione eius, eratque ipse Levites, et habitabat ibi.* 8. *Egressusque de civitate Bethlehem peregrinari voluit, ubicunque sibi commodum reperisset. Cumque venisset in montem Ephraim iter faciens, et declinasset parumper in domum Michae;* 9. *interrogatus est ab eo, unde venisset. Qui respondit: Levita sum de Bethlehem Juda, et vado, ut habitem, ubi potuero, et utile mihi esse perspexero.* 10. *Dixitque Michas: mane apud me, et esto mihi parens, ac sacerdos, daboque tibi per annos singulos decem argenteos, ac vestem duplicem, et quae ad victum sunt ne-*

cessaria. 11. *Acquievit, et mansit apud hominem, fuitque illi quasi unus de filiis.* 12. *Implevitque Michas manum eius, et habuit puerum sacerdotem apud se.* 13. *Nunc scio, dicens, quod benefaciet mihi Deus habenti Levitici generis sacerdotem.* Iste adolescens, qui proprio nomine Jonatham vocabatur, ut est subsequentis capitis versu 30. non erat sacerdos, sed tantum Levites: nec Levitae aliud erant, quam ministri sacerdotum, eratque sacerdotium restrictum tantum ad unam Aaronis familiam: sed quoniam Levitae propius ad sacerdotium accederent, et partes sibi aliquas haberent commissas ministerii sacri; idcirco hunc Levitem adolescentem magis idoneum existimabat, qui sacerdotis apud eum officium ageret, quam filium, per quem antea munus hoc administrandum curaverat.

CAPUT XVIII.

Quidam ex tribu Dan vi Levitam hunc, unaque idolum Michae abducunt in urbem Lais, in qua incolis deletis sibi domicilium instituunt.

---

1. IN *diebus illis non erat rex in Israel.* Hoc iam etiam superioris capitis versu 6. fuit positum, ad docendum videlicet, non communi aliqua auctoritate, qualis ante sub Moyse, et Josue, atque iterum postea sub regibus fuit, nam librum hunc verisimillime a Samuele esse scriptum, in Praefatione

est dictum; sed esse tum negotia, cum hoc ageretur, administrata a tribubus, vel etiam familiis sine communi aliqua totius Israeliticae gentis consociatione. Neque enim ipsi iudices semper, ut hoc de Jephte supra cap. 11. v. 8. qui factus est dux, et iudex tantum regionis Galaad, pluraque alia exempla declarant, toti semper populo, sed tantum aliquibus tribubus, vel familiis praeerant. Hoc ergo cum in Israel non esset rex, ad id tempus pertinet, quando Josue mortuo, non communi auctoritate Israelitae continebantur, sed quisque faciebat, quod sibi rectum videbatur, ut est superioris capitis versu eodem sexto. *Et tribus Dan quaerebat possessionem sibi, ut habitaret in ea. Usque ad illum enim diem inter ceteras tribus sortem non acceperat.* Tribum Dan accepisse sortem tum, quando aliae tribus, est Josue 19. v. 40. Quamobrem istud hic non sic accipiendum est, quasi nullam accepisset sortem, et possessionem; sed tantum quod non acceperit sufficientem, ex haecque causa, ampliores sibi fundos coacta sit quaerere. Id, quod in aliis quoque evenit tribubus. Josue 17. v. 18.

2. *Miserunt ergo filii Dan stirpis et familiae suae quinque viros fortissimos de Saraa, et Esthaol, ut explorarent terram, et diligenter inspicerent, dixeruntque eis: ite, et considerate terram. Qui cum pergentes venissent in montem Ephraim, et intrassent domum Michae, requieverunt ibi.* 3. *Et agnoscentes vocem adolescentis Levitae:* fuit superius cap. 12. v. 6. Ephraimitis peculiarem, et

distinctam ab aliis tribubus saltem vocum aliquarum in loquendo fuisse pronunciationem, *utentesque illius diversorio dixerunt ad eum: quis te huc adduxit? quid hic agis? quam ob causam huc venire voluisti?* 4. *Qui respondit eis: haec, et haec praestitit mihi Michas, et me mercede conduxit, ut sim ei sacerdos.* 5. *Rogaverunt autem eum, ut consuleret Dominum:* in Hebraeo est *Elohim*, quod nomen de idolo etiam usurpari, superius etiam dictum est, *ut scire possent, an prospero itinere pergerent, et res haberet effectum.* 6. *Qui respondit eis: ite in pace. Dominus*, hic vero proprium Dei nomen est *Jehova*, *respicit viam vestram, et iter, quo pergitis.* Respicere positum est pro favere: sicut e contrario oculos ab aliquo avertere, signum displicentiae, et aversionis est.

7. *Euntes igitur quinque viri venerunt Lais, videruntque populum habitantem in ea absque ullo timore iuxta consuetudinem Sidoniorum securum, et quietum nullo ei penitus resistente, magnarumque opum, et procul a Sidone, atque a cunctis hominibus separatum.* 8. *Reversique ad fratres suos in Saraa, et Esthaol, et quid egissent sciscitantibus responderunt:* 9. *surgite, adscendamus ad eos. Vidimus enim terram valde opulentam, et uberem. Nolite negligere, nolite cessare: eamus, et possideamus eam. Nullus erit labor.* 10. *Intrabimus ad securos in regionem latissimam, tradetque nobis Dominus locum, in quo nullius rei est penuria eorum, quae gignuntur in terra.* 11. *Pro-*

fecti igitur sunt de cognatione Dan id est de Saraa, et Esthaol sexcenti viri accincti armis bellicis. 12. *Adscendentesque manserunt in Cariathiarim Judae, qui locus ex eo tempore Castrorum Dan nomen accepit, et est post tergum Cariathiarim.*
13. *Inde transierunt in montem Ephraim. Cumque venissent ad domum Michae,* 14. *dixerunt quinque viri, qui prius missi fuerant ad considerandam terram Lais, ceteris fratribus suis: nostis, quod in domibus istis sit ephod, et theraphim, et sculptile, atque conflatile? Videte, quid vobis placeat.* 15. *Et cum paululum declinassent, ingressi sunt domum adolescentis Levitae, qui erat in domo Michae, salutaveruntque eum verbis pacificis.*
16. *Sexcenti autem viri ita ut erant armati stabant ante ostium.* 17. *At illi, qui ingressi fuerant domum iuvenis, sculptile, et ephod, et theraphim, atque conflatile tollere nitebantur, et sacerdos stabat ante ostium sexcentis viris fortissimis haud procul exspectantibus.* 18. *Tulerunt igitur, qui intraverant sculptile, ephod, et idola, atque conflatile. Quibus dixit sacerdos: quid facitis?* 19. *Cui responderunt: tace, et pone digitum super os tuum, venique nobiscum, ut habeamus te patrem, ac sacerdotem. Quid tibi melius est, ut sis sacerdos in domo unius viri, an in una tribu, et familia in Israel?* 20. *Quod cum audisset, acquievit sermonibus eorum, et tulit ephod, et idola, ac sculptile, et profectus est cum eis.*

21. *Qui cum pergerent, et ante se ire fecissent parvulos, ac iumenta, ac omne, quod erat pretiosum:* Loco: *pretiosum* Chaldaeus posuit *substantiam:* sic namque sexcenti isti profecti sunt cum omnibus rebus suis, ut ibi deinde, quo ibant, domicilium figerent: 22. *et iam a domo Michae essent procul; viri, qui habitabant in aedibus Michae conclamantes secuti sunt,* 23. *et post tergum clamare coeperunt. Qui cum respexissent, dixerunt ad Micham: quid tibi vis? cur clamas?* 24. *Qui respondit: deos meos, quos mihi feci, tulistis, et sacerdotem, et omnia, quae habeo, et dicitis: quid tibi est?* 25. *Dixeruntque ei filii Dan: cave, ne ultra loquaris ad nos, et veniant ad te viri animo concitati, et ipse cum omni domo tua pereas.* 26. *Et sic coepto itinere perrexerunt. Videns autem Michas, quod fortiores se essent, reversus est in domum suam.* 27. *Sexcenti autem viri tulerunt sacerdotem, et quae supra diximus, veneruntque in Lais ad populum quiescentem, atque securum, et percusserunt eos in ore gladii, urbemque incendio tradiderunt* 28. *nullo penitus ferente praesidium, eo quod procul habitarent a Sidone, et cum nullo hominum haberent quidquam societatis, ac negotii. Erat autem civitas sita in regione Rohob* Hebraice: *Et ipsa in valle, quae est ad Bethrechob* (וְהִיא בְּעֵמֶק אֲשֶׁר לְבֵית־רְחוֹב) Erat autem Bethrechob civitas ad radices montis Libani: quae Syria Rohob adpellata est 2. Reg. 10. v. 6. *quam rursum exstruentes habitaverunt in ea*

29. *vocato nomine civitatis Dan iuxta vocabulum patris sui, quem genuerat Israel, quae prius Lais dicebatur.* Hanc civitatem esse distinctam ab altera Lesem civitate, quam etiam Danitae expugnando sui iuris fecerunt, demonstratum est ad Josue 19. v. 47.

30. *Posueruntque sibi sculptile, et Jonatham filium Gersam filii Moysi, ac filios eius sacerdotes in tribu Dan usque ad diem captivitatis suae.* In Hebraeo loco filii Moysi, est filii Manasse, sed sic, ut manifeste adpareat correctionem ibi factam esse. Est enim litera, qua ad Moysis nomen accedente fit Manasse, elevatius, quam series reliquarum literarum sit, posita, superneque circulo notata. Quod Massorethae tunc fecerunt, quando vocalibus punctis Scripturam instruxerunt, dumque notare voluerunt, esse literam aliquam superfluam, et redundantem. Quare, non Manasse, sed Moysis nomen legi hic debet, ut bene posuit Interpres Latinus. Neque enim, si genus adolescens iste ex Manasse duxisset; Levitici fuisset generis: qualis tamen fuisse praedicatur. Cohaeret et illud, quod Gersam reipsa fuerit Moysis filius. Exod. 2. v. 22. Inter Manasse autem liberos, et posteros, Gersam nullus reperiatur. Videtur hoc aliquibus fuisse durius, quam, ut sibi vellent persvadere Moysis nepotem fuisse idololatrica superstitione infectum. Itaque ex reverentia erga Moysem affinxerunt unam literam, ut pro Moyse fieret Manasse. Quaenam autem ista captivitas fuerit, quae hic memoratur;

intelligitur ex versu subsequente. 31. *Mansitque apud eos idolum Michae omni tempore, quo fuit domus Dei in Silo.* Fuit autem domus Dei, hoc est, tabernaculum, in qua servabatur arca, in Silo ad id usque tempus, quo a Philisthaeis capta est in bello. 1. Reg. 4. v. 11. Nam, cum postea eadem arca restituta fuisset a Philisthaeis; non iam Silonem, sed ad Gabaa, hincque rursus alio deportata est 1. Reg. 7. v. 1. Fuit ergo servitus haec, quam tum perpetiebantur a Philisthaeis, et ex qua postea rursus liberati sunt per Samuelem. 1. Reg. 7. v. 13. *In diebus illis non erat rex in Israel.* Istud iam nunc tertio repetitur, fortasse ideo, quod cum in narratione istius facti temporis ordo servatus non sit; de hoc tanto diligentius admonitio fieret; ne quis illud ad haec post Samsonem vicina regibus tempora traheret; sed omnino intelligeret, ad illa anteriora statim post Josuam esse referendum.

CAPUT XIX.

Uxorem cuiusdam Levitae incolae civitatis Gabaa, in tribu Benjamin, sic libidinose afflixerunt, ut mortua sit. Eius cadaver in frusta concisum misit maritus per omnes tribus, ut eas concitet ad ulciscendum hoc facinus.

---

1. *FUIT quidam vir Levites habitans in latere montis Ephraim, qui accepit uxorem de Bethlehem*

hem Juda. Sicut superior narratio de Micha, et Danitis, ita ista etiam, quae modo inchoatur, non continet rem, quae acciderit post Samsonis mortem, sicut hic in libro ponitur, sed multo ante, nec longe post Josue obitum. Erat enim tum adhuc in vivis Phinees, filius Eleazari, Aaronis nepos. Nam de illo, qui ipse etiam actionem in hoc negotio habuerit, fit mentio capitis sequentis versu 28. qui tamen iam sub Moyse vixit, atque rebus gerendis aetatem habuit Num. 25. v. 11. annorumque numerus iterum in illius aetate maior nimiopere exsurgeret, quam tum vivebant ii, qui ponuntur grandaevi decessisse, ut Moyses, et Josue. Est ergo hoc etiam referendum ad tempus, non multo post mortem Josue.

2. *Quae reliquit eum* Hebraice: *Quae fornicata est adversus eum* (וַתִּזְנֶה עָלָיו) quod etiam sic Arabs, et Syrus verterunt: *et reversa est in domum patris sui in Bethlehem, mansitque apud eum quatuor mensibus.* 3. *Secutusque est eam vir suus volens reconciliari ei, atque blandiri, et secum reducere habens in comitatu puerum, et duos asinos. Quae suscepit eum, et introduxit in domum patris sui. Quod cum audisset socer eius, eumque vidisset, occurrit ei laetus,* 4. *et amplexatus est hominem. Mansitque gener in domo soceri tribus diebus comedens cum eo, et bibens familiariter.* 5. *Die autem quarto de nocte consurgens proficisci voluit: quem tenuit socer, et ait ad eum: gusta prius pauxillum panis, et conforta*

stomachum, et sic proficisceris. 6. *Sederuntque simul, ac comederunt, et biberunt. Dixitque pater puellae ad generum suum: quaeso te, ut hodie maneas, pariterque laetemur.* 7. *At ille consurgens coepit velle proficisci: et nihilominus obnixe eum socer tenuit, et apud se fecit manere.* 8. *Mane autem facto parabat Levites iter. Cui socer rursum: oro te, inquit, ut paululum cibi capias, et assumptis viribus, donec increscat dies, postea proficiscaris. Comederunt ergo simul.* 9. *Surrexitque adolescens, ut pergeret cum uxore sua, et puero. Cui rursum locutus est socer: considera, quod dies ad occasum declivior sit, et propinquat ad vesperum: mane apud me etiam hodie, et duc laetum diem, et cras proficisceris, ut vadas in domum tuam.* 10. *Noluit gener acquiescere sermonibus eius, sed statim perrexit, et venit contra Jebus, quae altero nomine vocatur Jerusalem ducens secum duos asinos onustos, et concubinam.* In Hebraeo, etiam statim primo versu, uxor haec illius concubina vocatur. Nec in Scriptura istius vocabuli talis semper est deformitas; sed vocantur eo saepe legitimae etiam uxores, licet tantum secundariae. Quales Abraham habuit Gen. 25. v. 6. Jacob Gen. 35. v. 22. et David 2. Reg. 16. v. 21. Nec tamen, an praeter hanc Levites iste uxorem aliam habuerit, exponitur.

11. *Jamque erant iuxta Jebus, et dies mutabatur in noctem, dixitque puer ad dominum suum: veni, obsecro, declinemus ad urbem Jebu-*

saeorum, et maneamus in ea. 12. *Cui respondit dominus: non ingrediar oppidum gentis alienae, quae non est de filiis Israel, sed transibo usque Gabaa:* 13. *et cum illuc pervenero, manebimus in ea, aut certe in urbe Rama.* Jerusalem Jud. 1. v. 8. fuit ab Israelitis expugnata, et in potestatem redacta praeter arcem in ea Sion, quae tantum postea pulsis inde Jebusaeis a Davide fuit capta 2. Reg. 5. v. 6. Aut ergo Levites Jerosolymam dixit esse non suae, sed gentis alienae propterea, quod non integra urbs teneretur ab Israelitis, et quod mixtim in ea Israelitae habitarent cum Jebusaeis; aut hoc accidit de Levita ante, quam illud, quod Judicum capite 1. de expugnatione Jerusalem narratur, accidisset. 14. *Transierunt ergo Jebus, et coeptum carpebant iter, occubuitque eis sol iuxta Gabaa, quae est in tribu Benjamin.* 15. *Diverteruntque ad eam, ut manerent ibi. Quo cum intrassent, sedebant in platea civitatis, et nullus eos recipere voluit hospitio.* 16. *Et ecce apparuit homo senex revertens de agro, et de opere suo vesperi, qui et ipse de monte erat Ephraim, et peregrinus habitabat in Gabaa. Homines autem regionis illius erant filii Jemini.* Jemini pro Benjamin est positum per aphaeresin primae syllabae, et eius detractionem compendii causa in pronunciatione, et adiectionem rursus unius literae in fine euphoniae gratia. Itaque, non tantum Chaldaeus, sed etiam Arabs, et Syrus hic loco Jemini positum habent Benjamin, omissa illa figura vocis.

17. *Elevatisque oculis vidit senex sedentem hominem cum sarcinulis suis in platea civitatis, et dixit ad eum: unde venis, et quo vadis?* 18. *Qui respondit ei: profecti sumus de Bethlehem Juda, et pergimus ad locum nostrum, qui est in latere montis Ephraim, unde ieramus in Bethlehem, et nunc vadimus ad domum Dei: nullusque sub tectum suum nos vult recipere* 19. *habentes paleas, et foenum in asinorum pabulum, et panem ac vinum in meos, et ancillae tuae usus, et pueri, qui mecum est: nulla re indigemus nisi hospitio.* Levites tum in domum suam iter habebat. Sed cum Dei tabernaculum id temporis in tribu Ephraim in civitate Silo positum esset, ibique Dei arca servaretur; tribum suam Ephraim ad quam pergebat per excellentiam domum Dei, tanquam in qua Deus suum habitaculum haberet, adpellavit.

20. *Cui respondit senex: pax tecum sit, ego praebebo omnia, quae necessaria sunt. Tantum quaeso, ne in platea maneas.* 21. *Introduxitque eum in domum suam, et pabulum asinis praebuit, ac postquam laverunt pedes suos, recepit eos in convivium.* 22. *Illis epulantibus, et post laborem itineris cibo, et potu reficientibus corpora, venerunt viri civitatis illius filii Belial, id est absque iugo:* hoc tantum Interpres posuit explicandi causa, quidnam Belial significet: effraenes scilicet, et proiectos ad omnem licentiam: *et circumdantes domum senis fores pulsare coeperunt clamantes ad dominum domus, atque dicentes: educ virum, qui ingressus*

est domum tuam, ut abutamur eo. 23. *Egressusque est ad eos senex, et ait: nolite fratres, nolite facere malum hoc, quia ingressus est homo hospitium meum, et cessate ab hac stultitia.* 24. *Habeo filiam virginem, et hic homo habet concubinam, educam eas ad vos, ut humilietis eas, et vestram libidinem compleatis. Tantum obsecro, ne scelus hoc contra naturam operemini in virum.* 25. *Nolebant acquiescere sermonibus illius: quod cernens homo eduxit ad eos concubinam suam, et eis tradidit illudendam.* Ipse Levites, huius enim erat concubina, hanc eduxit, illorumque libidini eam permisit. Si autem ipse eduxit, consequens est, ut etiam prodierit, cumque ipsum habere voluerint, cum quo libidinose agerent, quomodo in hanc illorum libidinem non incidit, quando foras prodiit? Levites, qui proculdubio intro audivit, quid foris ageretur, dum uxorem suam eduxit, hoc aut sic fecit, ut foras illam tantum emiserit, quin etiam ipse prodiverit; aut si exivit, sique in illo adhuc libidinoso impetu erant contra illum, se dextre, celeriusque intro recepit, quam ut ab illis adprehenderetur. Videntur autem libidinosi grassatores isti, etsi conditionem illam, qua ipsis uxor istius Levitae offerebatur, primo respuerint, deinde acceptasse, fortasse feminae forma capti, omissaque iam erga virum libidine, totos se ad hanc vertisse. Neque enim, nisi erga eam incredibiliter exarsissent, tanta libido eorum exstitisset; ut illius vi illam etiam enecarent, et opprimerent.

Qua cum tota nocte abusi essent, dimiserunt eam mane. 26. *At mulier recedentibus tenebris venit ad ostium domus, ubi manebat dominus suus, et ibi corruit.* 27. *Mane facto surrexit homo, et aperuit ostium, ut coeptam expleret viam, et ecce concubina eius iacebat ante ostium sparsis in limine manibus.* 28. *Cui ille putans eam quiescere loquebatur: surge, et ambulemus. Qua nihil respondente intelligens quod erat mortua, tulit eam, et imposuit asino, reversusque est in domum suam.* 29. *Quam cum esset ingressus, arripuit gladium, et cadaver uxoris cum ossibus suis in duodecim partes, ac frusta concidens misit in omnes terminos Israel.* 30. *Quod cum vidissent singuli conclamabant: numquam res talis facta est in Israel ex eo die, quo adscenderunt patres nostri de Aegypto usque in praesens tempus. Ferte sententiam, et in commune decernite, quid facto opus sit.*

CAPVT XX.

Cum postulatione aliarum tribuum Benjamitae incolas civitatis Gabaa reos istius criminis dedere ad supplicium noluissent, bellumque inter eos propterea exortum fuisset, Benjamitae sic clade affecti sunt, ut sexcenti solummodo mares ex iis remanserint.

1. *EGRESSI itaque sunt omnes filii Israel, et pariter congregati, quasi vir unus de Dan usque Bersabee, et terra Galaad ad Dominum in Maspha* 2. *omnes anguli populorum, et cunctae tribus Israel in ecclesiam populi Dei convenerunt quadringenta millia peditum pugnatorum.* Sicut ecclesia populi Dei, iste illorum conventus vocatur; ita etiam convenisse dicuntur ad Dominum, tanquam ad cuius causam tractandam, contra quem facinus illud esset patratum, conventum illum instituerint. Quasi autem vir unus dicuntur congregati, quod pertinet ad significandum unum, idemque voluntatis omnium ad id studium, ut hoc deinde versu 11. magis explicatur. Maspham fuisse locum in regione trans Jordanem sita, iam alias declaratum est, et ubi negotii publici tractandi causa tanquam coram Deo conventus populi reperitur esse institutus etiam supra cap. 11. v. 11. At erat etiam Maspha in confiniis tribuum Juda, et Benjamin. Josue 15. v. 38. Ubi propter vicinitatem;

quoniam negotium ipsis erat cum Benjamitis, verisimilius videntur conventum istum nunc instituisse. Ibi igitur in ecclesiam populi Dei convenerunt, id est concilium populi Dei instituerunt. Anguli omnes populorum significant fines, et extremitates: unde ad hoc concilium Israeliticus populus convenerit undique. Dan versus Boream, Bersabee versus Meridiem erat limes Israeliticae regionis; terra Galaad erat pars regionis, quae trans Jordanem erat sita, et in ipsorum ditione: de quibus iam alias etiam fuit dictum.

3. *Nec latuit filios Benjamin, quod adscendissent filii Israel in Maspha. Interrogatusque Levita maritus mulieris interfectae, quomodo tantum scelus perpetratum esset, 4. respondit: veni in Gabaa Benjamin cum uxore mea, illucque diverti. 5. Et ecce homines civitatis illius circumdederunt nocte domum, in qua manebam volentes me occidere:* hoc superius, dum res haec acta narraretur, non est memoratum: intelligitur ergo et hoc ipsos minatos Levitae esse, quamvis hoc ibi in narratione expositum non sit: *et uxorem meam incredibili furore libidinis vexantes, denique mortua est. 6. Quam arreptam in frusta concidi, misique partes in omnes terminos possessionis vestrae, quia numquam tantum nefas, et tam grande piaculum factum est in Israel. 7. Adestis omnes filii Israel, decernite, quid facere debeatis. 8. Stansque omnis populus, quasi unius hominis sermone respondit: non recedemus in tabernacula nostra, nec suam quisquam*

intrabit domum. 9. *Sed hoc contra Gabaa in commune faciamus:* 10. *decem viri eligantur e centum ex omnibus tribubus Israel, et centum de mille, et mille de decem millibus, ut comportent exercitui cibaria, et possimus pugnare contra Gabaa Benjamin, et reddere ei pro scelere, quod meretur.* 11. *Convenitque universus Israel ad civitatem quasi homo unus, eadem mente, unoque consilio.* 12. *Et miserunt nuncios ad omnem tribum Benjamin, qui dicerent: cur tantum nefas in vobis repertum est?* 13. *Tradite homines de Gabaa, qui hoc flagitium perpetrarunt, ut moriantur, et auferatur malum de Israel. Qui noluerunt fratrum suorum filiorum Israel audire mandatum.* 14. *Sed ex cunctis urbibus, quae sortis suae erant, convenerunt in Gabaa, ut illis ferrent auxilium, et contra universum populum Israel dimicarent.* 15. *Inventique sunt viginti quinque millia de Benjamin educentium gladium praeter habitatores Gabaa.* 16. *Qui septingenti erant viri fortissimi, ita sinistra, ut dextera praeliantes, et sic fundis lapides ad certum iacientes, ut capillum quoque possent percutere, et nequaquam in alteram partem ictus lapidis deferretur.* Non debet hoc sic sumi, quasi per hyperbolem tantum esset dictum. Erat enim apud alias etiam nationes iaculationum ex fundis dexteritas summa. Quo in genere celebres praesertim ferebantur Baleares, insularum incolae, quae nunc Maiorica, et Minorica adpellantur, non longe ab Hispania. Apud Smyrnaeum l. 4. in sagitta-

rio certamine ad scopum fuerat exposita galea hirsuta setis equinis: cuius pilos ordine Teucer quidam sagitta abrasit. De Indis quoque Philostorgius in vita Apollonii l. 2. cap. 12. refert, adeo ipsos in iaculando excelluisse; ut emisso lapide, aut glande pueri extremos duntaxat capillos attingerent.

17. *Virorum quoque Israel absque filiis Benjamin inventa sunt quadringenta millia educentium gladios, et paratorum ad pugnam.* 18. *Qui surgentes venerunt in domum Dei, hoc est in Silo, consulueruntque Deum, atque dixerunt: quis erit in exercitu nostro princeps certaminis contra filios Benjamin? Quibus respondit Dominus: Juda sit dux vester.* Nimirum, sicut supra cap. 1. v. 2. Judae nomen pro tota tribu est positum, ita hic quoque. Designata autem tribu, facile ipsi per se poterant advertere, quis in hac tribu inter familiarum principes emineret, et apud quem deinde summa imperii esset. 19. *Statimque filii Israel surgentes mane castra metati sunt iuxta Gabaa.* 20. *Et inde procedentes ad pugnam contra Benjamin urbem oppugnare coeperunt.* 21. *Egressique filii Benjamin de Gabaa occiderunt de filiis Israel die illo viginti duo millia virorum.* 22. *Rursum filii Israel et fortitudine, et numero confidentes in eodem loco, in quo prius certaverant, aciem direxerunt,* 23. *ita tamen, ut prius adscenderent, et flerent coram Domino usque ad noctem, consulerentque eum, et dicerent: debeo ultra procedere ad dimicandum*

contra filios Benjamin fratres meos an non? Quibus ille respondit: adscendite ad eos, et inite certamen. 24. *Cumque filii Israel altera die contra filios Benjamin ad praelium processissent,* 25. *eruperunt filii Benjamin de portis Gabaa, et occurrentes eis tanta in illos caede bacchati sunt, ut decem et octo millia virorum educentium gladium prosternerent.* Mirum videri potest, quod cum illi consulto Deo, illiusque auspiciis conflixissent; victi tamen utraque vice sint. Est versu 22. Israelitas fortitudine, et numero suo fuisse confisos. Quamvis ergo, et causam belli Deus probavisset, et ad bellum gerendum ducem designasset, utque manus consererent, annuisset; vinci tamen ipsos passus est, quod virium suarum tantum fiducia certamen iniverint. Erat ergo haec illorum castigatio, quod non etiam auxilium a Deo peterent, sed spem in suis viribus ponerent. Quamobrem, cum iterum Deum consuluissent oblatis prius victimis, et sacrificiis, atque instituto ieiunio, ut sibi Deum propitium facerent; tum ipse Deus se se illis adversarios in manus daturum respondit, ut modo sequetur.

26. *Quamobrem omnes filii Israel venerunt in domum Dei, et sedentes flebant coram Domino, ieiunaveruntque die illo usque ad vesperam, et obtulerunt ei holocausta, atque pacificas victimas,* 27. *et super statu suo interrogaverunt. Eo tempore ibi erat arca foederis Dei,* 28. *et Phinees filius Eleazari filii Aaron praepositus domus.*

Consuluerunt igitur Dominum, atque dixerunt: exire ultra debemus ad pugnam contra filios Benjamin fratres nostros, an quiescere? Quibus ait Dominus: adscendite, cras enim tradam eos in manus vestras. 29. *Posueruntque filii Israel insidias per circuitum urbis Gabaa,* 30. *et tertia vice sicut semel, et bis contra Benjamin exercitum produxerunt.* 31. *Sed et filii Benjamin audacter eruperunt de civitate, et fugientes adversarios longius persecuti sunt, ita ut vulnerarent ex eis sicut primo die et secundo, et caederent per duas semitas vertentes terga, quarum una ferebatur in Bethel, et altera in Gabaa, atque prosternerent triginta circiter viros.* Isti, qui fugam iniverunt, utique in aversam ab urbe partem hoc fecerunt, siquidem ab illis fugerent, qui ex urbe contra eos eruperant. Quod ergo hic dicitur fugisse illos per viam, quae ferebatur in Gabaa; id sic sumendum est fugisse illos omnino illa via, sed in aversam ab urbe partem.

32. *Putaverunt enim solito eos more cedere. Qui fugam arte simulantes inierunt consilium, ut abstraherent eos de civitate, et quasi fugientes ad supra dictas semitas perducerent.* 33. *Omnes itaque filii Israel surgentes de sedibus suis tetenderunt aciem in loco, qui vocatur Baalthamar. Insidiae quoque, quae circa urbem erant, paulatim se aperire coeperunt,* 34. *et ab Occidentali urbis parte procedere. Sed et alia decem millia virorum de universo Israel habitatores urbis ad certamina*

provocabant. Ingravatumque est bellum contra filios Benjamin, et non intellexerunt, quod ex omni parte illis instaret interitus. 35. Percussitque eos Dominus in conspectu filiorum Israel, et interfecerunt ex eis in illo die viginti quinque millia, et centum viros omnes bellatores, et educentes gladium. 36. Filii autem Benjamin, cum se inferiores esse vidissent, coeperunt fugere. Quod cernentes filii Israel dederunt eis ad fugiendum locum, ut ad praeparatas insidias devenirent, quas iuxta urbem posuerant. 37. Qui cum repente de latibulis surrexissent, et Benjamin terga caedentibus daret, ingressi sunt civitatem, et percusserunt eam in ore gladii. 38. Signum autem dederant filii Israel his, quos in insidiis collocaverant, ut postquam urbem cepissent, ignem accenderent: ut adscendente in altum fumo captam urbem demonstrarent. 39. Quod cum cernerent filii Israel in ipso certamine positi (putaverunt enim filii Benjamin eos fugere, et instantius persequebantur caesis de exercitu eorum triginta viris) 40. et viderent quasi columnam fumi de civitate conscendere, Benjamin quoque adspiciens retro, cum captam cerneret civitatem, et flammas in sublime ferri; 41. qui prius simulaverant fugam fortius resistebant. Quod cum vidissent filii Benjamin, in fugam versi sunt, 42. et ad viam deserti ire coeperunt, illuc quoque eos adversariis persequentibus: sed et hi, qui urbem succenderant, occurrerunt eis. 43. Atque ita factum est, ut ex utraque parte ab ho-

stibus caederentur, nec erat ulla requies morientium. Ceciderunt, atque prostrati sunt ad Orientalem plagam urbis Gabaa. 44. *Fuerunt autem, qui in eodem loco interfecti sunt decem, et octo millia virorum omnes robustissimi pugnatores.*

45. *Quod cum vidissent, qui remanserant de Benjamin, fugerant in solitudinem, et pergebant ad petram, cuius vocabulum est Remmon. In illa quoque fuga palantes, et in diversa tendentes ociderunt quinque millia virorum. Et cum ultra tenderent, persecuti sunt eos, et interfecerunt etiam alia duo millia.* 46. *Et sic factum est, ut omnes, qui ceciderant de Benjamin in diversis locis, essent viginti quinque millia pugnatores ad bella promptissimi.* 47. *Remanserunt itaque de omni numero Benjamin, qui evadere, et fugere in solitudinem potuerunt, sexcenti viri: sederuntque in petra Remmon mensibus quatuor.* Ex versu 15. et 16. huius capitis perspicuum est, Benjamitarum in exercitu fuisse universe viginti quinque millia, et septingentos, atque adeo cum sexcenti tantum remanserint; consequens est, periisse ex ipsis eo bello vigintiquinque millia, et centum, ut sic integre numerus iste expositus est, supra versu 35. Hic autem, cum Scriptor millenario numero ubique usus fuisset, dum caesorum particulares summas posuit; idem deinde quoque fecit in summa universali; utrumque, pro ea consvetudine Scripturae, qua numerus aliquis integer ponitur, etiamsi recte talis

non sit, sed aliquid parum supra, vel infra. Est hic praeterea illud advertendum, eventum istius praelii esse primum compendiosius, et in summa expositum ad versiculum usque 35. inde vero eumdem describi latius, et cum pluribus suis adiunctis, esseque proinde hanc nonnisi eiusdem rei, sed tantum aliquantulo fusiorem repetitionem. 48. *Regressi autem filii Israel omnes reliquias civitatis a viris usque ad iumenta gladio percusserunt, cunctasque urbes, et viculos Benjamin vorax flamma consumpsit.*

CAPVT XXI.

Subit poenitentia Israelitas, quod Benjamin unam tribum ex se sic clade affecerint. Sexcentis residuis ex Jabes Galaad, et Silo procurantur uxores.

1. *JVRAVERVNT quoque filii Israel in Maspha, et dixerunt: nullus nostrum dabit filiis Benjamin de filiabus suis uxorem.* 2. *Veneruntque omnes ad domum Dei in Silo, et in conspectu eius sedentes usque ad vesperam levaverunt vocem, et magno ululatu coeperunt flere dicentes:* 3. *Quare Domine Deus Israel factum est hoc malum in populo tuo, ut hodie una tribus auferretur ex nobis?* 4. *Altera autem die diluculo consurgentes*

exstruxerunt altare, obtuleruntque ibi holocausta, et pacificas victimas, et dixerunt: 5. quis non adscendit in exercitu Domini de universis tribubus Israel? Grandi enim iuramento se constrinxerant, cum essent in Maspha interfici eos, qui defuissent. Syrus clarius hoc sic vertit: *Nam iuramentum maximum factum fuerat, quod is, qui non adscenderet ad praesentiam Domini in Maspha, morte plecteretur.* Cur autem exstruxerunt altare, cum ad victimas cremandas praesto esset aenaeum altare, quod a Moyse paratum est in deserto, sed nec liceret, praeterquam in illo sacrificare altari? Josue 22. v. 29. Cum a Salomone dedicaretur templum, atque altare aenaeum non cepisset victimas propter earum multitudinem; in alio praeterea atrii loco instituit sacrificationem. 3. Reg. 8. v. 64. Hoc ergo nunc etiam acciderit, quando totus exercitus se eo contulit ad immolandas victimas: et sicut Salomoni hoc postea, ita hoc ne istis quidem vitio datum est, cum hoc fecissent necessitatis causa.

6. *Ductique poenitentia filii Israel super fratre suo Benjamin coeperunt dicere: ablata est tribus una de Israel, 7. unde uxores accipient? Omnes enim in commune iuravimus, non daturos nos his filias nostras. 8. Idcirco dixerunt: quis est de universis tribubus Israel, qui non adscendit ad Dominum in Maspha? Et ecce inventi sunt habitatores Jabes Galaad in illo exercitu non fuisse. 9. Eo quoque tempore cum essent in Silo, nullus*

ex

ex eis ibi repertus est. 10. *Miserunt itaque decem millia:* non tantum Hebraeus, verum etiam Chaldaeus, Arabs, Syrus, et Septvaginta habent hic duodecim millia, quae missa sint, quare etiam illa lectio huic nostrae de decem millibus est anteferenda, *viros robustissimos, et praeceperunt eis: ite, et percutite habitatores Jabes Galaad in ore gladii tam uxores, quam parvulos eorum.* 11. *Et hoc erit, quod observare debebitis: omne generis masculini, et mulieres, quae cognoverunt viros interficite, virgines autem reservate.* Erat mandati istius severitas ingens. Attamen, vulgo Interpretes hoc factum ab iniustitia excusant, quod supplicium hoc meruerint, qui se a communi, et publico totius populi consilio, quodque inibatur ad vindicandum facinus, quod admissum erat contra Deum, seiunxerint. Erant praeterea iuramento obstricti ad sic puniendum eos, qui in Maspha ad illud concilium non comparuissent, ut est supra versu 5. Sed utique iuramentum ipsum etiam temerarium fuisset, et iniquum; nisi in causa, propter quam iuratum est, aequitas fuisset. Erat publica totius populi auctoritas; ut omnes ad illud concilium convenirent, idque exsequerentur, quod omnium consensu esset statutum. Erat causa iustissima, ut enorme, et inauditum scelus vindicaretur. Quod ergo publicae auctoritati non paruerint; factum illorum fuit piaculo, et supplicio dignum. Nam, si erga eum, qui ad bellum ire detrectat, dum hoc ei ab eo imperatur, qui ius praecipiendi habet, ma-

xime, si propter publicum bonum bellum urgens sit; aut de eo, qui ex praelio fugit, iustum supplicium esse potest; cur hoc, quod erga singulares personas valet, non valeat etiam erga integram civitatatem, si ab officio desciscat, nec pareat publicae auctoritati?

12. *Inventaeque sunt de Iabes Galaad quadringentae virgines, quae nescierunt viri thorum, et adduxerunt eas ad castra in Silo in terram Chanaan.* 13. *Miseruntque nuncios ad filios Benjamin, qui erant in petra Remmon, et praeceperunt eis, ut eos susciperent in pace.* Hebraice: *et vocaverunt eis pacem*, (וַיִּקְרְאוּ לָהֶם שָׁלוֹם) hoc est: nunciaverunt eis pacem. Chaldaeus: *Et clamaverunt illis allocutiones pacis.* 14. *Veneruntque filii Benjamin in illo tempore, et datae sunt eis uxores de filiabus Jabes Galaad: alias autem non repererunt, quas simili modo traderent.* 15. *Universusque Israel valde doluit, et egit poenitentiam super interfectione unius tribus ex Israel.* 16. *Dixeruntque maiores natu: quid faciemus reliquis, qui non acceperunt uxores? Omnes in Benjamin feminae conciderunt,* 17. *et magna nobis cura, ingentique studio providendum est, ne una tribus deleatur ex Israel.* 18. *Filias enim nostras eis dare non possumus constricti iuramento, et maledictione, qua diximus: maledictus, qui dederit de filiabus suis uxorem Benjamin.* 19. *Ceperuntque consilium, atque dixerunt: ecce solennitas Domini est in Silo anniversaria, quae sita est ad Se-*

ptemtrionalem urbis Bethel, et ad Orientalem plagam viae, quae de Bethel tendit ad Sichimam, et ad Meridiem oppidi Lebona. Hoc secundum versionem nostram Latinam sic adparet; quasi situs describeretur urbis Silo. Juxta vero descriptionem locorum apud S. Hieronymum Silo spectat non apud Borealem, verum ad Occidentalem partem civitatis Bethel. In Hebraeo non sunt illa verba: *quae sita est*, quibus quasi situs describeretur Silonis, sed tantum: *quae est*, ita, ut hoc accipiendum sit de solennitate hac, quam memoravit, ubinam, et quo in loco ageretur a virginibus, choreis ducendis extra urbem. Certe quidem Benjamitis, quibus ista, et in ipsa urbe Silone, quo adducti sunt, dicebantur, superfluum fuisset illius situm, quem oculis cernerent, describere.

20. *Praeceperuntque filiis Benjamin, atque dixerunt: ite, et latitate in vineis.* 21. *Cumque videritis filias Silo ad ducendos choros ex more procedere, exite repente de vineis, et rapite ex eis singuli uxores singulas, et pergite in terram Benjamin.* 22. *Cumque venerint patres earum, ac fratres, et adversum vos queri ceperint, atque iurgari, dicemus eis: miseremini eorum. Non enim rapuerunt eas iure bellantium, atque victorum, sed rogantibus ut acciperent, non dedistis, et a vestra parte peccatum est.* 23. *Feceruntque filii Benjamin, ut sibi fuerat imperatum, et iuxta numerum suum rapuerunt sibi de his, quae ducebant choros uxores singulas, abieruntque in possessionem suam*

aedificantes urbes, et habitantes in eis. 24. *Filii quoque Israel reversi sunt per tribus, et familias in tabernacula sua. In diebus illis non erat rex in Israel, sed unusquisque, quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat.*

LIBER RVTH.

PRAEFATIO.

Liber iste continet narrationem hanc: Elimelech ex Bethlehem propter famem una cum uxore Noemi, et duobus filiis Mahalon, et Chelion in Moabitidem regionem se contulit. Ubi duo isti illius filii uxores sibi copularunt: Mahalon uxorem duxit nomine Ruth, Chelion duxit Orpham. Mortuo autem et Elimelecho, et duobus eius filiis in eadem Moabitica regione, domum reverti instituit Noemi. Utraque autem eius nurus cum illam sequi coepissent, Orpha ex itinere reversa est, Ruth vero eam non deseruit. Haec postea svasu suae socrus spicas collectum ivit ad agrum cuiusdam nomine Booz, qui cognatus erat Elimelechi, eique postea nupsit etiam. Ex quo coniugio prognatus fuit Obed pater Isai, avus autem Davidis. Scopus huius libri est genealogiam ex stirpe Judae ducere usque ad Davidem, cuius deinde historia proponitur in libris Regum, et ex qua Davidis stirpe descendit Christus, ut huius genealogia agnosceretur. Post Davidem iam natum scriptum esse hunc librum, illud declarat, quod in genealogia, quae in fine huius libri proponitur, positus sit ipse etiam David. Quis librum hunc scripserit, certi nihil est. Nam quidquid dici solet, merae coniecturae sunt. Inter quas illa veri similitudinem tenet maximam, quae Samuelem habet istius libri scriptorem. Argumentum libri totum est historicum. Propter eius brevitatem, argumentique facilitatem, quod iam in summa exposui, nullam aliam Synopsim facio.

CAPVT I.

Elimelech cum uxore Noemi, et duobus filiis ob famem in terram Moab se confert. Moritur ipse ibi et duo eius filii, postquam sibi ambo desponsassent uxores. Noemi cum Ruth una ex nuribus suis domum redit.

1. *IN diebus unius iudicis, quando iudices prae-
erant, facta est fames in terra.* Quisnam iste iu-
dex fuerit, non constat, tantoque minus, quod,
ut initio subsequentis capitis dicetur, ne tempus
quidem definiri possit, quo res, quae hoc libro nar-
ratur, acciderit. *Abiitque homo de Bethlehem Ju-
da, ut peregrinaretur in regione Moabitide cum
uxore sua, ac duobus liberis.*
2. *Ipse vocabatur
Elimelech, et uxor eius Noemi, et duo filii: alter
Mahalon, et alter Chelion Ephrathaei de Bethle-
hem Juda.* Vocantur Ephrathaei ideo, quod Bethle-
hem, unde erant oriundi, alio nomine etiam sit ad-
pellata Ephrata. Gen. 35. v. 19. *Ingressique regio-
nem Moabitidem morabantur ibi.*
3. *Et mortuus est
Elimelech maritus Noemi, remansitque ipsa cum
filiis.*
4. *Qui acceperunt uxores Moabitidas, qua-
rum una vocabatur Orpha, altera vero Ruth. Man-
seruntque ibi decem annis.*
5. *Et ambo mortui sunt
Mahalon videlicet, et Chelion, remansitque mu-
lier orbata duobus liberis, ac marito.*
6. *Et surre-
xit, ut in patriam pergeret cum utraque nuru
sua de regione Moabitide. Audierat enim, quod
respexisset Dominus populum suum, et dedisset
eis escas.*

7. Egressa est itaque de loco peregrinationis suae cum utraque nuru, et iam in via revertendi posita in terram Juda, 8. dixit ad eas: ite in domum matris vestrae, faciat vobiscum Dominus misericordiam, sicut fecistis cum mortuis, et mecum. Chaldaeus: *Faciet Dominus vobiscum bonum, sicut id, quod fecistis cum maritis vestris dormientibus, quod renuistis ad accipiendum viros post mortem eorum, et mecum; quod aluistis, et sustentastis me. 9. Det vobis invenire requiem in domibus virorum, quos sortiturae estis. Et osculata est eas. Quae elevata voce flere coeperunt, 10. et dicere: tecum pergemus ad populum tuum. 11. Quibus illa respondit: revertimini filiae meae, cur venitis mecum? Num ultra habeo filios in utero meo, ut viros ex me sperare possitis? 12. Revertimini filiae meae, et abite. Jam enim senectute confecta sum, nec apta vinculo coniugali, etiamsi possem hac nocte concipere, et parere filios. 13. Si eos exspectare velitis, donec crescant, et annos pubertatis impleant, ante eritis vetulae, quam nubatis.* Si Noemi alios adhuc habuisset filios, cum lex esset Deut. 25. v. 5. ut si aliquis sine haerede decederet; frater teneretur illius uxorem ducere, suscitareque ex ea illi haeredem; isti debuissent Orpham, et Ruth ducere. Huius ergo cum ne spes quidem ulla superesset; Noemi nurus suas hortata est ad nubendum aliis maritis. *Nolite, quaeso, filiae meae,* nimirum hoc exspectare, ut ex me habeatis maritos, atque ista spe me sequi: *quia vestra angustia*

magis me premit, et egressa est manus Domini contra me.

14. *Elevata igitur voce rursum flere coeperunt. Orpha osculata est socrum, ac reversa est, Ruth adhaesit socrui suae.* 15. *Cui dixit Noemi: en reversa est cognata tua ad populum suum* Hebraice: *Jebimettech*, quod Septvaginta verterunt: σύννυμφος *uxor fratris*, subintelligiturque uxor fratris mariti, *et ad deos suos: vade cum ea.* Ex tota huius historiae narratione perspicitur Noemi probam fuisse mulierem, quamque Deus postea secundioribus rebus consolatus sit. Si autem nurum suam Ruth hortata fuisset, ut Orpham sequeretur, quaeque reversa sit ad deos suos, cum procul dubio isti Moabitarum dii falsi essent; hortatrix ad idololatriam fuisset. At vero Noemi verba non sunt latius extendenda, quam illa reipsa in mente habuerit. Illa nimirum, cum praemisisset, Orpham esse reversam ad populum suum, et ad deos suos; tum etiam dicebat Ruthae, ut cum Orpha vaderet. Ut vaderet autem, solummodo dicebat. Potuit autem vadere cum illa, quin necessario consequens sit, quod redeundo cum ipsa etiam deos eosdem, quos Orpha, colere debuerit. Duo praemiserat Noemi de Orpha: rediisse illam, et quali intentione redierit ad deos videlicet suos. Cum deinde subjecit: *vade cum ea:* non iam verbum: vade ad illud utrumque anterius refertur, sed ad solum Orphae reditum. Supra versu 8. tantum, ut in maternam domum redirent, svadebat Noemi nuribus, non ut

falsos deos colerent; nec ergo hic illius mens, et voluntas est ulterius extendenda.

16. *Quae respondit: ne adverseris mihi, ut relinquam te, et abeam. Quocunque enim perrexeris, pergam; et ubi morata fueris, et ego pariter morabor. Populus tuus populus meus, et Deus tuus Deus meus.* 17. *Quae te terra morientem susceperit, in ea moriar, ibique locum accipiam sepulturae. Haec mihi faciat Dominus, et haec addat, si non sola mors me, et te separaverit.* Est haec formula iuramenti, quae praesertim in libris Regum saepius occurret, et cuius exemplum est 1. Reg. 14. v. 45. 2. Reg. 19. v. 13. Qua qui iurat, mala sibi imprecatur, sed tamen illa, quaenam reapse sint, non exprimit, si fidem falleret. Cum hoc speciem haberet imprecationis, licet sub conditione, si fidem iuramenti violaret; imprecatio autem res tetra sit, propter verecundiam tenendam in sermone, Hebraei illam aperte non pronunciabant.

18. *Videns ergo Noemi, quod obstinato animo Ruth decrevisset secum pergere, adversari noluit, nec ad suos ultra reditum persvadere.* 19. *Profectaeque sunt simul, et venerunt in Bethlehem. Quibus urbem ingressis velox apud cunctos fama percrebuit, dicebantque mulieres: haec est illa Noemi.* 20. *Quibus ait: ne vocetis me Noemi id est pulchram, sed vocate me Mara, id est amaram.* Interpretationem utriusque vocabuli tantum Latinus Interpres posuit. Noemi autem, pressius adhuc iuxta Hebraicum idioma, tale aliquid significat,

in quo insint svavitas, et deliciae: quamobrem deinde huic contrario vocabulo amaram se adpellari voluit: *quia amaritudine valde replevit me Omnipotens.* 21. *Egressa sum plena, et vacuam reduxit me Dominus. Cur ergo vocatis me Noemi, quam Dominus humiliavit, et afflixit Omnipotens?* 22. *Venit ergo Noemi cum Ruth Moabitide nuru sua de terra peregrinationis suae, ac reversa est in Bethlehem, quando primum hordea metebantur.* Hordeum metebatur in vere statim post Pascha: namque secunda die Paschatis iam primitiarum nomine manipulus debebat offerri de novis frugibus in templo. Levit. 23. v. 11.

CAPVT II.

Ruth ad colligendas spicas pergit ad agros, casuque delata ad agrum Booz liberaliter, et humane ab eo habetur.

1. *ERAT autem viro Elimelech consangvineus homo potens, et magnarum opum nomine Booz.* Iste Booz infra cap. 4. v. 21. filius dicitur fuisse Salmonis. Salmon autem sub Josue vixit, qui uxorem duxit Rahab meretricem Matth. 1. v. 5. Booz autem filius Salmonis genuit Obed, qui pater fuit Isai, et avus Davidis. Itaque ab eo tempore, quo sub Josue Israelitae venerunt in Palaestinam, et a Salmone usque ad Davidem in genealogia, quae a Salmone ducitur ad Davidem tres tantum personae: Booz, Obed, et Isai intercessissent. Intervenit au-

tem spatium annorum 366. Nam cum ab exitu Israelitarum ex Aegypto usque ad aedificationem templi Salomonis anni fluxerint 480, ut est 3. Reg. 6. v. 2. in Palaestinam autem venerint anno quadragesimo, postquam egressi sunt ex Aegypto; David vero septvaginta annos natus decesserit, 2. Reg. 5. v. 4. cumque quarto anno Salomonis, postquam is Davidi in regno successit, aedificari coeperit templum, 3. Reg. 6. v. 2. si quatuor isti anni Salamonis, deinde septvaginta vitae Davidis, et denique quadraginta Israelitarum peregrinationis per desertum subtrahantur a summa annorum 480, remanebunt anni 366 illi, qui dicti sunt a Salmone usque ad nativitatem Davidis intercessisse. Jam, si Salmon, ducta uxore Rahab, etiam post sex et sexaginta annos tantum suscepisset Boozum; tamen pro his trinus Boozo, Obedo, et Isai trecenti adhuc anni manerent, per quod spatium isti sic vitam producere debuissent, ut quisque illorum hunc, qui ipsum in hac genealogia sequeretur, centesimo tantum aetatis suae anno gigneret. Erat vero tum iam hominum aetas multo contractior. Nam, ut paulo ante commemoratum est; David obiit septvagesimo aetatis suae anno. Huius autem ista aetas 3. Reg. 1. v. 1. sic describitur, ut iam tum senuisse valde dicatur, et quem iam in illa aetate ipse naturalis etiam calor defecerit. Hoc ergo Boozum a Salmone esse generatum, sic accipiendum est; ut intelligatur factum istud esse non proxime, sed interpositis aliquot generatoribus: quorum tamen mentio hic fa-

cta non sit: et qualiter in descriptione genealogiae ipsius Christi reperitur etiam Matthaeus fecisse: quique posuerit capitis 1. v. 8. a Jora genitum esse Oziam: tametsi inter Joram, et Oziam tres alii intercesserint: Ochozias, Joas et Amasias, ut est 2. Paral. capite 22. et sequentibus.

2. *Dixitque Ruth Moabitis ad socrum suam: si iubes, vadam in agrum, et colligam spicas, quae fugerint manus metentium, ubicunque clementis in me patris familias reperero gratiam. Cui illa respondit: vade filia mea.* 3. *Abiit itaque, et colligebat spicas post terga metentium. Accidit autem, ut ager ille haberet dominum nomine Booz, qui erat de cognatione Elimelech.* 4. *Et ecce ipse veniebat de Bethlehem, dixitque messoribus: Dominus vobiscum. Qui responderunt ei: benedicat tibi Dominus.* 5. *Dixitque Booz iuveni, qui messoribus praeerat: cuius est haec puella?* 6 *Cui respondit: haec est Moabitis, quae venit cum Noemi de regione Moabitide,* 7. *et rogavit, ut spicas colligeret remanentes sequens messorum vestigia, et de mane usque nunc stat in agro, et ne ad momentum quidem domum reversa est.* 8. *Et ait Booz ad Ruth: audi filia, ne vadas in alterum agrum ad colligendum, nec recedas ab hoc loco, sed iungere puellis meis*, metentibus videlicet, unde sequitur: 9. *et ubi messuerint, sequere. Mandavi enim pueris meis, ut nemo molestus sit tibi: sed etiam, si sitieris, vade ad sarcinulas, et bibe aquas, de quibus et pueri bibunt.* 10. *Quae ca-*

dens in faciem suam, et adorans super terram dixit ad eum: unde mihi hoc, ut invenirem gratiam ante oculos tuos, et nosse me dignareris peregrinam mulierem? Nosse positum est pro: oculos, et obtutum suum in aliquem vertere: quem enim noscere volumus, in hunc sequitur, ut oculos dirigamus. Adspicere autem rursus pro favere, et bene velle usurpatur: sicut e contrario, quae nobis invisa sunt, nec ferimus in oculis. 11. *Cui ille respondit: nunciata sunt mihi omnia, quae feceris socrui tuae post mortem viri tui, et quod reliqueris parentes tuos, et terram, in qua nata es, et veneris ad populum, quem ante nesciebas.* 12. *Reddat tibi Dominus pro opere tuo, et plenam mercedem recipias a Domino Deo Israel, ad quem venisti, et sub cuius confugisti alas.*

13. *Quae ait: inveni gratiam apud oculos tuos domine mi, qui consolatus es me, et locutus es ad cor ancillae tuae, quae non sum similis unius puellarum tuarum.* 14. *Dixitque ad eam Booz: quando hora vescendi fuerit, veni huc, et comede panem, et intinge buccellam tuam in aceto. Sedit itaque ad messorum latus, et congessit polentam sibi:* ex farina hordeacea tosta fiebat iste cibus, *comeditque et saturata est, et tulit reliquias.* 15. *Atque inde surrexit, ut spicas ex more colligeret. Praecepit autem Booz pueris suis dicens: etiam si vobiscum metere voluerit, ne prohibeatis eam.* 16. *Et de vestris quoque manipulis proiicite de industria, et remanere permittite, ut absque rubo-*

re colligat, et colligentem nemo corripiat. 17. *Collegit ergo in agro usque ad vesperam, et quae collegerat virga caedens, et excutiens invenit hordei quasi ephi mensuram, id est tres modios.* Istos tres modios tantum rursus Interpres posuit explicationis gratia. Ephi autem continebat decem gomor. Exod. 16. v. 36. Cuius mensurae quantitatem, relate ad nostras mensuras, ibi exposui ad eiusdem capitis 16. versum 16. efficere nimirum unum gomor quadraginta octo digitos cubicos, qui aequivalent quinque nostris circiter mediis.

18. *Quos portans reversa est in civitatem, et ostendit socrui suae, insuper protulit, et dedit ei de reliquiis cibi sui, quo saturata fuerat.* 19. *Dixitque ei socrus sua: ubi hodie collegisti, et ubi fecisti opus? Sit benedictus, qui misertus est tui. Indicavitque ei, apud quem fuisset operata, et nomen dixit viri, quod Booz vocaretur.* 20. *Cui respondit Noemi: benedictus sit a Domino, quoniam eamdem gratiam, quam praebuerat vivis, servavit et mortuis. Rursumque ait: propinquus noster est homo.* 21. *Et Ruth: hoc quoque, inquit, praecepit mihi, ut tamdiu messoribus eius iungerer, donec omnes segetes meterentur.* 22. *Cui dixit socrus: melius est filia mea, ut cum puellis eius exeas ad metendum, ne in alieno agro quispiam resistat tibi.* 23. *Juncta est itaque puellis Booz, et tamdiu cum eis messuit:* in Hebraeo est, quod se iunxerit: *ad colligendum:* (לְלַקֵּט) neque enim messuit, sed tantum spicas post metentes

puellas Booz, more pauperum, in agro colligebat. Fit vero etiam mentio messorum. Nempe, tam viri, quam puellae erant, quae metebant, et iam istarum, iam illorum fit memoratio: *donec hordea, et triticum in horreis conderentur*: In Hebraeo est *ad finem* (עַד־כְּלוֹת) *messis hordeaceae, et triticeae*. Neque enim frumenta in manipulis apud Palaestinos in horrea comportabantur; sed statim in agro excutiebantur, et triturabantur.

CAPVT III.

Ruth accepto consilio a socru ad Boozi pedes dormientis clam se noctu deponit, et ab eo, cum experrectus esset, postulat illius nuptias.

1. *Postqvam autem reversa est ad socrum suam, audivit ab ea*: Hebraice: *Et habitavit cum socru sua, et dixit ei Noemi* (וַתֵּשֶׁב אֶת־חֲמוֹתָהּ וַתֹּאמֶר לָהּ נָעֳמִי) Nimirum, cum illa institutum colligendi spicas in agro Booz continuaret, interim perseverabat habitare in domo suae socrus reversa ad eam quotidie vesperi ex agro: *Filia mea quaeram tibi requiem, et providebo, ut bene sit tibi.*
2. *Booz iste, cuius puellis in agro iuncta es, propinquus noster est, et hac nocte aream hordei ventilat*: hoc est, sub noctis initium, et tempore vespertini crepusculi. Tunc enim communiter in Palaestina in mari Mediterraneo flare solet aura lenis, idemque hoc fieri solet, et talis aura a mari venire in omnibus, ad maria sitis regionibus, et locis.

3. *Lavare igitur, et ungere, et induere cultioribus vestimentis, et descende in aream. Non te videat homo* Booz nimirum, de illo enim est sermo, *donec esum, potumque finierit.* 4. *Quando autem ierit ad dormiendum, nota locum, in quo dormiat, veniesque, et discooperies pallium, quo operitur a parte pedum, et proiicies te, et ibi iacebis. Ipse autem dicet tibi, quid agere debeas.* 5. *Quae respondit: quidquid praeceperis faciam.* 6. *Descenditque in aream, et fecit omnia, quae sibi imperaverat socrus.* 7. *Cumque comedisset Booz, et bibisset, et factus esset hilarior, issetque ad dormiendum iuxta acervum manipulorum, venit abscondite, et discooperto pallio a pedibus eius se proiecit.* 8. *Et ecce nocte iam media expavit homo, et conturbatus est, viditque mulierem iacentem ad pedes suos.* 9. *Et ait illi: quae es? illaque respondit: ego sum Ruth ancilla tua: expande pallium tuum super famulam tuam, quia propinquus es.* 10. *Et ille, benedicta, inquit, es a Domino filia, et priorem misericordiam posteriore superasti: quia non es secuta iuvenes pauperes, sive divites.* 11. *Noli ergo metuere, sed quidquid dixeris mihi, faciam tibi.* Jam superius notatum est, fratrem debuisse defuncti fratris ducere uxorem, si sine haerede decessisset. Hancque legem pertinuisse ad alios etiam propinquos, si deesset frater, tali ratione: ut, qui propinquitate ad defunctum propius accederet; is in officio ducendi viduam illius uxorem, eum qui longius distaret, semper

per antecederet; intelligetur adhuc ex hoc, subsequenteque istius libri capite. Dum ergo Ruth a Boozo petebat, uti super eam in strato, quo iacebat, pallium expanderet; modeste petebat recipi ad communem cum eo thorum, hoc est petebat, uti illius fieret uxor. Prior autem misericordia, quam Booz in Ruth laudavit, ea fuit, quam exhibuit viventi adhuc marito gerendo se nimirum morigeram erga illum; posterior vero, quod non quaesivisset alias nuptias, neque alieno, sive pauper, sive etiam dives is esset, nubere voluerit, sed tantum propinquum illius quaereret, unde defuncto marito nasceretur haeres. Quod factum non fuisset, si alieno nupsisset.

Scit enim omnis populus, qui habitat intra portas urbis meae, mulierem te esse virtutis. 12. *Nec abnuo me propinquum, sed est alius me propinquior.* 13. *Quiesce hac nocte, et facto mane, si te voluerit propinquitatis iure retinere, bene res acta est; sin autem ille noluerit, ego te absque ulla dubitatione suscipiam, vivit Dominus. Dormi usque mane.* 14. *Dormivit itaque ad pedes eius usque ad noctis abscessum. Surrexit itaque antequam homines se cognoscerent mutuo, et dixit Booz: cave, ne quis noverit, quod huc veneris.* 15. *Et rursum, expande, inquit, pallium tuum, quo operiris, et tene utraque manu. Qua extendente, et tenente, mensus est sex modios hordei, et posuit super eam.* In Hebraeo est tantummodo numerus senarius sine designatione, cuiusnam generis

hae sex fuerint mensurae. Intelliguntur vero gomor, quo in computandis mensuris vulgo uti consueverant. Cuius quantitas explicata est superioris etiam capitis versu 17. Pro pallio in Hebraeo est vocabulum *Hamitpachath*, quod linteum, vel peplum significat. *Quae portans ingressa est civitatem,*
16. *et venit ad socrum suam. Quae dixit ei: quid egisti filia? Narravitque ei omnia, quae sibi fecisset homo.*
17. *Et ait: ecce sex modios hordei dedit mihi, et ait: nolo vacuam te reverti ad socrum tuam.*
18. *Dixitque Noemi: exspecta filia, donec videamus, quem res exitum habeat. Neque enim cessabit homo, nisi compleverit, quod locutus est.*

CAPUT IV.

Booz Ruth ducit uxorem, ex eaque suscipit filium Obed, qui avus fuit Davidis.

---

1. *ADSCENDIT ergo Booz ad portam, et sedit ibi:* civitatis autem Bethlehem haec fuit porta, ibi enim Booz habitaverat, supra cap. 2. v. 4. et in portis civitatum antiquitus publica negotia tractari consueverant, et magistratuum conventus instituebantur, cuius rei vestigia Gen. 23. v. 18. Deut. 22. v. 15. Prov. 31. v. 23. sunt. *Cumque vidisset propinquum praeterire, de quo prius sermo habitus est, dixit ad eum: declina paulisper, et sede hic, vocans eum nomine suo: qui divertit, et sedit.*
2. *Tollens autem Booz decem viros de se-*

nioribus civitatis dixit ad eos: sedete hic. 3. *Quibus sedentibus, locutus est ad propinquum: partem agri fratris nostri Elimelech vendet Noemi, quae reversa est de regione Moabitide.* Non dicitur alicubi in superiore narratione hanc etiam esse conditionem Boozo oblatam, si Ruth duceret uxorem. Vel ergo haec quidem etiam conditio proposita fuit; sed tantum Scriptor silentio illam praeteriit: vel hoc ita Booz dixit, quod sponte sequeretur, ut qui duceret Ruth uxorem propinquus, illiusque defuncto marito suscitaret semen, ut phrasi Scripturae utar; ad eum etiam iure pertineret, et deveniret ager, cuius ex hoc matrimonio filius fieret deinde haeres. Quo modo haec agri cessio, vel dicta est venditio, latiore vocabuli usurpatione, pro possessionis, etiamsi per pecuniam non fieret, in alterum translatione; vel vero, quoniam socrus adhuc viveret, illaque ius ad agrum haberet, et qui nurum duceret, tunc tantum plenum ius haberet, si socrus decederet, aliqua erga socrum compensatione opus haberet, si illa vivente pleno iure illum possidere vellet. Seniorum autem nomine, quos Booz nunc, istius negotii causa, ad portam convocavit, intelliguntur magistratus, ut hoc Gen. 50. v. 7. Num. 22. v. 7. 1. Esd. 10. v. 8. pluraque alibi exempla declarant, ubi seniorum nomine illi vocantur; qui dignitate, et auctoritate reliquis anteibant. Semper enim hoc viguit apud omnes, ut senibus potissimum publica munia committerentur propter maturitatem consilii.

4. *Quod audire te volui, et tibi dicere coram cunctis sedentibus, et maioribus natu de populo meo. Si vis possidere iure propinquitatis, eme, et posside. Si autem displicet tibi, hoc ipsum indica, mihi, ut sciam, quid facere debeam. Nullus enim est propinquus excepto te, qui prior es, et me, qui secundus sum. At ille respondit: ego agrum emam.* 5. *Cui dixit Booz: quando emes agrum de manu mulieris, Ruth quoque Moabitidem, quae uxor defuncti fuit, debebis accipere, ut suscites nomen propinqui tui in haereditate tua.* 6. *Qui respondit: cedo iuri propinquitatis, neque enim posteritatem familiae meae delere debeo. Tu meo utere privilegio, quo me libenter carere profiteor.* Ex hoc intelligitur, quod quamvis is, qui ex uxore defuncti cognati nasceretur, haeres illius esset, qui erat defunctus, et cuius vi legis haberetur filius, etiamsi ab illius cognato esset prognatus; tamen ad istius etiam haereditatem ius habuisse, cuius secundum naturam esset filius. Nam, nisi hoc ita fuisset, iste ducendo uxorem Ruth suis, quos iam haberet ex se filios, et haeredes, incommodum aliquod metuere non debuisset. Sed quoniam, si prolem ex ea habuisset, ista vi legis spectaretur esse illius, cuius uxorem defuncti duceret, et tamen particeps etiam fieret haereditatis cum aliis suis tam lege, quam natura liberis, ne quid his decederet, atque ex suis bonis ad aliam cognationis suae lineam transferretur, suisque tam natura, quam lege liberis de haereditariis bonis diminueretur, sicque

minus firmitati, et vigori suae posteritatis consuleretur, ideo iste, ne Ruth uxorem cogeretur ducere, iuri suo cessit propinquitatis, et dicebat: *neque enim posteritatem familiae meae delere debeo.*

7. *Hic autem erat mos antiquitus in Israel inter propinquos; ut si quando alter alteri suo iuri cedebat; ut esset firma concessio, solvebat homo calceamentum suum, et dabat proximo suo. Hoc erat testimonium cessionis in Israel.* 8. *Dixit ergo propinquo suo Booz: tolle calceamentum tuum.* Booz suo illi propinquo dixerat, ut tolleret, hoc est, ut deponeret suum calceamentum. *Quod statim solvit de pede suo.* 9. *At ille maioribus natu, et universo populo, testes vos, inquit, estis hodie, quod possederim omnia, quae fuerunt Elimelech, et Chelion, et Mahalon tradente Noemi,* 10. *et Ruth Moabitidem uxorem Mahalon in coniugium sumpserim, ut suscitem nomen defuncti in haereditate sua, ne vocabulum eius de familia sua, ac fratribus, et populo deleatur. Vos, inquam, huius rei testes estis.* 11. *Respondit omnis populus, qui erat in porta, et maiores natu: nos testes sumus. Faciat Dominus hanc mulierem, quae ingreditur domum tuam, sicut Rachel, et Liam, quae aedificaverunt domum Israel, ut sit exemplum virtutis in Ephrata, et habeat celebre nomen in Bethlehem.* 12. *Fiatque domus tua, sicut domus Phares, quem Thamar peperit Judae de semine, quod tibi dederit Dominus ex hac puella.* Agri, et fundi Elimelechi, et eius filiorum defun-

ctorum, si ipsis semen non fuisset suscitatum; sponte ad eorum propinquos, et cognatos redire debuissent. Num. cap. 27. v. 8, 9, 10, 11. Quia tamen Noemi agrum Boozo vendidit; intelligitur uxores defunctorum in fundorum possessione mansisse, quamdiu viverent, atque hunc agrorum fructum esse cessum, atque venditum a Noemi. Nisi enim ius ad fructus saltem agri habuisset, cum ipsum agrum abalienare non posset; quod venderet, nihil habuisset.

13. *Tulit itaque Booz Ruth, et accepit uxorem, ingressusque est ad eam, et dedit illi Dominus, ut conciperet, et pareret filium.* 14. *Dixeruntque mulieres ad Noemi: benedictus Dominus, qui non est passus, ut deficeret successor familiae tuae, et vocaretur nomen eius in Israel,* 15. *et habeas, qui consoletur animam tuam, et enutriat senectutem. De nuru enim tua natus est, quae te diligit, et multo tibi melior est, quam si septem haberes filios.* 16. *Susceptumque Noemi puerum posuit in sinu suo, et nutricis, ac gerulae fungebatur officio.* 17. *Vicinae autem mulieres congratulantes ei, et dicentes: natus est filius Noemi, vocaverunt nomen eius Obed:* vi sua hoc nomen in Hebraea lingva servum significat: erga Noemi autem sic illum adpellarunt, cui servire, et cuius enutrire deberet senectutem, ut modo antecessit. *Hic est pater Isai patris David.* 18. *Hae sunt generationes Phares: Phares genuit Esron.* 19. *Esron genuit Aram. Aram genuit Aminadab.* 20.

Aminadab genuit Nahasson. Nahasson genuit Salmon. 21. *Salmon genuit Booz. Booz genuit Obed.* 22. *Obed genuit Isai. Isai genuit David.* In genealogia hac Obed filius Booz nominatur, tametsi ad posteros Mahalonis referri debuerit, cuius defuncti semen suscitaverat Booz. Nempe Obed lege illa suscitati seminis spectabatur quidem, ut filius Mahalonis, quoad successionem in illius haereditate, atque fundis: nec tamen propterea desiit naturalis esse filius Booz. Atque huius naturalis productionis rationem praese fert haec genealogia ad ostendendum naturale genus Davidis: a quo deinde stirps ulterius perduceretur usque ad Christum.

In Ruth Moabitide S. Joannes Chrysostomus hom. 3. in Matth. typum agnoscit Ecclesiae, quam ex gentilibus collectam sibi desponsaverit Christus. „Considera ea, inquit, quae in Ruth facta sunt, „nostris quadrare. Haec enim erat et alienigena, „et in extremam delapsa pauperiem. Sed videns „eam Booz nec ipsius paupertatem despexit, nec „generis ignobilitatem abominatus est: sicut et „Christus Ecclesiam suscipiens et alienigenam, et „magnorum laborantem penuria bonorum accepit „eam consortem.“ Rutham transivisse ad Israelitarum veri Dei religionem, efficitur ex cap. 1. v. 16. ubi professa est, eum, quem socrus Noemi haberet, sibi etiam esse Deum, et quod cap. 2. v. 12. sub alas Dei Israel confugisse praedicetur. Erat vero Deuter. 23. v. 3. lege cautum, ne Moabites, unde Ruth genus ducebat, intraret Ecclesiam Domini

in aeternum. Quod tantum de iuribus civitatis, cum illius nationis homine non communicandis, non vero de admissione ad Religionem esse intelligendum, ibi ad illum locum explicatum est.

Pag.	*lin.*	*errata*		*corrige*
25	11	tam	- - - - - -	iam
31	29	partem	- - - -	partem pertinebat,
48	7	ex sola	- - - -	in sola
64	8	Cur Diem	- - -	Diem
72	21	uberius	- - - -	ulterius
105	24	vonvallis	- - -	convallis
107	22	oblationem	- -	oblationum
109	29	*comodes*	- - - -	*comedes*
120	4	*chocrogrillum*	- -	*choerogrillum*
142	15	ita esset	- - -	ita esset,
178	27	sibi	- - - - -	ansam sibi
179	24	ἀχημον	- - - -	ἀισχήμον
181	10	dimimissio	- - -	dimissio
183	7	sed	- - - - - -	et
191	17	*suum*	- - - - -	*meum*
—	19	*suum*	- - - - -	*meum*
195	18	gloriatiorem	- -	gloriationem
210	18	ante	- - - - - -	ante se
248	22	habere	- - - -	haberet
251	16	Rom. 11. v. 22.	-	Rom. 1. v. 22.
267	26	præſtiterint	- -	præſtiterunt
331	13	non societas	- -	tota societas
332	30	univercitas	- - -	universitas
384	18	Occidentem	- -	Orientem
460	5	idque	- - - -	inque
464	9	*de adscenderunt*	-	*descenderunt*
494	3	irrisum	- - - -	irritum
508	1	*libere*	- - - -	*bibere*
510	25	rei	- - - - - -	rei gratia.
512	25	*Naphtali*	- - -	*Nephtali*
534	21	exhausi	- - - -	exhauſti
540	6	*desesere*	- - - -	*deserere*
563	15	illom	- - - - -	illum
564	24	Nozaraeus	- - -	Nazaraeus
610	5	civitatatem	- -	civitatem
611	6	apud	- - - - -	ad



Tabella ad finem Tomi III ponenda.



sc. Franc. Karacs Pestini 1802.

